No 9

47

1847

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
8
8 B
30

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Assistentia Germaniae.



BIBLIOTECA NAZ.
VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

SERENISSIMO PRINCIPI AC DOMINO,

DN. VVOLFGANGO VVILHELMO, COMITI PALATINO RHENI, DVCI BAVARIÆ, IVLIÆ, CLIVIÆ ET MONTIVM; COMITI IN VELDENTZ, SPONHEIM, MARCHIA, RAVENSPVRG, ET MŒRS, DOMINO IN RAVENSTEIN, &c.

Domino ſuo Clementiſsimo.

QVOD OLIM DE FALSIS VAriarum ſectarum Doctoribus ſapienter S. Auguſtinus annotauit, Sereniſsime Princeps, Domine Clementiſsime, hodie quoq; verum habet. *Opinio diuerſa, vanitas vna eſt. De illis in alio Pſalmo dicitur: Ipſi de vanitate in vnum colligantur. Quamuis opinionum varietate diſcordent, ſimili tamen vanitate colligantur.* Certè quanta opinionum diuerſitate de ſummis fidei capitibus hodie diſcordent Lutherani & Caluini- Aug. in Pſ. 80. Pſ. 61. 10.

 ſtæ,

Digitized by Google

ſtæ, quantiſq; ſe mutuò & animorum odiis, & ſtili conuitiis inceſſant, vtrorumq; de Cœna, de Vbiquitate, aliiſq; eiuſcemodi argumẽtis publicati libri opidò teſtantur. Quanta verò iſti ipſi vanitate iterum in vnum colligentur, vel recentiſsimum duorum vtriuſq; partis Prædicantium exemplum liquidò docet. Cúm enim Rationes ſolidiſsimæ, quibus ad Lutheranam deſerendam, Catholicãque fidem amplectendam Serenitas V^a. meritiſsimò commota fuerat, in lucem à me antehac datæ ac prolixiùs aliquanto explicatæ fuiſſent: nobile ſcilicet par diſpariũ Prædicantium, Meiſnerus Lutheranus & Baſſecourt Caluinianus, ilicò diſcordiarum obliti, poſitis tantiſper lethalibus odiis, data dexterâ de communi operâ ſibi ſpoponderunt, vt commune periculum, quod ſibi miſeri ab illis rationibus certo certiùs impendere ſentiebant, propulſarent. Sed quid inuictum Rationum robur ab his doloſis vulpibus timeat? Nam & de illis rectè profectò pergam cum Augu-
In Pſ. 80. ſtino, vbi ſuprà, dicere; *Ergo in peius ſibi iſti conſentiunt,*

ſentiunt, quamuis diſſentire à ſe inuicem videantur: ideò Samſon caudas vulpium colligauit. Vulpes inſi- Iud. 15. 4. *dioſos, maximeq́; hæreticos ſignificant doloſos, fraudulentos, cauernoſis anfractibus latentes & decipientes, odore etiam tetro putentes. Contra quem odo-* 2. Cor. 2. 15. *rem dicit Apoſtolus; Chriſti bonus odor ſumus Deo in omni loco. Iſtæ vulpes ſignificantur in Canticis canticorum, vbi dicitur; Capite nobis vulpes puſillas, ex-* Cant. 2. 15. *terminantes vineas, latentes in cauernis tortuoſis.* Clara hæc iſtorum Prædicantium eſt deſcriptio. Cucurrerunt & illi, neſcio à quo Samſone adulantibus caudis colligati, ad lętiſsimas Catholicarum Rationum ſegetes, florentiſsimaſq; vineas perdendas: ſed telis armati, quibus vulpes ſolent, hoc eſt, inſidiis, dolis, fraudibus, anfractibus, latibulis, cauernis tortuoſis. Incipio igitur hoc libro, cœleſtis præſidij ope, iſtas nouas vulpeculas capere, earum inanes circa prima Serenitatis V^{ræ} Fundamenta inſidias detegere, multiplices fraudes doloſq; prodere, latibula omnia obſtruere, malum fætorē pellere, vt apertam Rationum Serenitatis V^{ræ} veritatem, bonumq; odorem in

omni loco ſparſum, nihil ab iſtis detrimenti accepiſſe, omnes in clara luce videant. Etſi autem cogitaueram vna operâ totam fallacium iſtarum vulpium venationem dare, aliud tamẽ in arena conſilium capere coactus ſum. Tot enim tantaq́ue vulpinarum fraudum ſpecimina, Meiſnerus ac præcipuè Baſſecourtius altero prolixior, in priorum fundamentorum aggreſsione dederunt, vt diuidenda opera fuerit, ne & maiori morâ tardior, & nimia prolixitate moleſtior tota Defenſio prodiret. Itaque primam partem, quam altera non magno interuallo ſequetur, nunc do: quã Serenitati V^ræ. Lubens Meritoq́ue dedicatam conſecratamq; volo. Nam vt Argumentum libri, quod Serenitatis Veſtræ proprium eſt, & Clementiſsimum adfectum, quo Serenitas Veſtra me meaq́ue tenuia obſequia proſequitur, taceam; certè nupera illa in Societatem noſtram, atque verè Principalis propenſiſsimi animi munificentia, qua ei Serenitas Veſtra in hac Vrbe ſua ſtabilem ſedem conſtituere, Collegiumq́ue liberaliſsimè fundare voluit,

Digitized by Google

luit, tanta eſt, vt illi nullis grati animi offiſciis à nobis vnquam ſatis reſponderi poſsit. Æterni ergo debiti obſidem intereà, licet imparem, librum hunc dedico conſecroq́; Serenitati Vrę., eiq́; Societatem noſtram demiſsiſſimè cõmendo & à Deo Opt. Max. Perpetuam Fælicitatem cum Sereniſsima Coniuge & Prole votis omnibus precor. Neoburgi, Pridie Calendas Apriles. Anno partæ ſalutis, M. DC. XVII.

Serenitatis Veſtræ

Humillimus Sacellanus

IACOBVS REIHING.

COPIA

Digitized by Google

COPIA PRIVILEGII
Societatis IESV.

CVm ex mandato Sacræ Cæſar. Maieſtatis omnibus & ſingulis Typographis, Bibliopolis, ac aliis quamcunque librariam negotiationem exercentibus, ſeriò firmiterq́ inhibeatur, ne quiſquam libros vllos à Societatis noſtræ Patribus hactenus editos, aut impoſterum edendos, intrà S. Romani Imperii, Regnorum & Dominiorum ſuæ Caſ. Maieſt. hæreditariorum fines ſimili aliòue Charactere, aut forma, ſiue in toto, ſiue in parte recudere, vel aliis recudendos mittere, aut alibi etiam impreſſos adducere, vendere, & diſtrahere, clàm ſeu palàm, citrà ſupradictorum Patrum conſenſum ac teſtimonium audeat vel præſumat: Ego MELCHIOR HÄRTELIVS Societatis IESV per ſuperiorem Germaniam Prouincialis, concedo Laurentio Danhuſio facultatem excudendi librum, cui Titulus, Excubiæ Angelicæ Ciuitatis Sanctæ, pro Defenſione XII. Fundamentorum Catholicorum Sereniſſimi Principis VVOLFGANGI VVILHELMI Comitis Palatini Rheni, Ducis Bauariæ, Iuliæ, Cliuiæ & Montium, &c. duobus leuis armaturæ ſociis Balthaſari Meiſnero Præconi Lutherano & Fabricio Baſſecourt Tubicini Caluiniano, oppoſitæ à IACOBO REIHING è Societate IESV. In quorum fidem hoc ei teſtimonium manu noſtra ſubſcriptum & Sigillo noſtro munitum dare voluimus. Dilingæ 4. Aprilis. Anno 1617.

Melchior Härtelius.

APPRO-

Digitized by Google

APPROBATIO.

EXcubias Angelicas pro Defenſione XII. Fundamentorum Catholicorum Sereniſſimi Principis VVOLFGANGI VVILHELMI Comitis Palatini Rheni, Ducis Bauariæ, Iuliæ, Cliuiæ & Montium &c. duobus Prædicantibus Balthaſari Meiſnero Lutherano, & Fabricio Baſſecourtio Caluiniano, à P. IACOBO REIHING oppoſitas, & à deputatis noſtræ Societatis Theologis lectas atque probatas, Ego MELCHIOR HÄRTELIVS Societatis IESV per Germaniam ſuperiorem Prouincialis poteſtate mihi ab Admodum R. P. N. Præpoſito Generali MVTIO VITELLESCO facta, Typis publicari permitto. In cuius rei fidem Auctori hoc Teſtimonium manu mea & Sigillo conſueto munitum dedi. Dilingæ 4. Aprilis. Anno 1617.

Melchior Härtelius.

Digitized by Google

CARMEN
IN EXCVBIAS AN-
GELICAS

Ad Sanctæ Ciuitatis Muros,
Pellendis fugandiſque

DVOBVS TRITONIBVS,

BALTHASARI MEISNERO
&
FABRICIO BASSECOVRT,
Malis tubicinibus,
collocatas;

Ad R. P. IACOBVM REIHING Soc. IESV.

Scriptum

à

BERNARDO MOSMILLERO
V. I. D. Procancellario Palatino Neo-
burgico.

SIte collatis Ædilem Roma tabellis
Eligeret, ſed Roma vetus, quæ mille Deo-
rum
Ancillata gulæ, pecus omne abſumpſit in aras,

Et

Et ſi Saturno, curua cum falce, locandam
Monte Palatino tibi Curia crederet ædem,
Nil equidem mirer, ſi fædis omnia monſtris
Saxa, & ridiculis ſcateant aſarota figuris;
Si quidquid potuit mentiri Græcia, doctus
Lyſippus longo decircinet argumento;
Si ſuperimpoſiti ſupremo culmine tecti
Tritones gemini, quorum pars vltima fædum
Deſinat in piſcem, conchas inflare parati
Inſideant, & rauca vocent ad Murmura ventos;
Conuenient hi cornicines cum Numine; turpis
Si DEVS eſt, toruos etiam decet eſſe Miniſtros;
Et pridem hunc meruere locum, victisq́; Sabinis
Rex illos ſimili Tullus ſtatione locauit:
Sed non hic noſtri labor eſt tam futilis æui,
Aut animi, IACOBE, tui, neq; curuus, vt olim,
Romano latebras quærit Saturnus in aruo;
Pridem illum tota PETRVS proſcripſit ab vrbe.
Tu maius molitus opus, mirabile Templum,
Et dignum meliore DEO, dictantibus aſtris,
Eductum ſupra faſtigia nubis, & albæ
Tecta niuis, camerasq́; hyemis, Solisq́; cubile,
Fundaſti in PETRA, quam nec Maris ira, nec Orci,

 Per-

Digitized by Google

Perpetuo aſſultu, ſemperque ardente camino
Conuellant, latum, quamvis ringantur, ad vnguem:
Tum nequa à fixo deliret linea puncto,
Quàm vigili, ad ſacram, multum meditatus, amuſ-
ſim
Expendis latus omne oculo! conſentit vbique
Et fabricæ areolam delineat Auguſtinus,
Ille ſuâ & niueâ ferruminat omnia calce;
Teſſerulas alii, & vario ſcutulata lapillo
Per totum deſcripſerunt emblemata Templum,
Quos noſtræ celebrant longè præ Mentore chartæ;
Quin imo Auguſtus Sanguis, Neoburgicus HE-
ROS,
Biſſenos lapides, humeris adnixus, & alto
Scintillans animo, prima ad fundamina traxit;
Non illi vel Sinadicis latuere ſub antris,
Non in Tænario viruerunt monte, nec vndis
Eurotæ abluti traxere à flumine lucem,
Sed ſi quis nitor eſt, venit de fontibus AGNI:
Non illos maculis ſparſit lucentibus ATYS,
Sed ſi quis rubor eſt, de IESV *ſanguine fluxit;*
Omnes ex illo bibiti ſunt corde colores.
Iamq; adeò ſancto deductum ad ſidera ſumptu,

Se

Digitized by Google

Se prodebat opus, cœlumq́ imitata, videri
Digna Fide potuit, digna hoſpite Numine ſedes,
Egreſſa æternæ ſeptem Miracula famæ:
Cùm ſubitò, quaſi Saturno delubra dediſſes,
Neſcio quis luteâ partus mox bullit ab undâ,
Et tollit deforme caput, potuitq́ videri
Rana, ſed è Lyciis ſic transformata colonis,
Incruſtata lùto, galeata putredine fundi,
Rancidulumq́ aliquid blæſa de nare coaxans,
Prodidit inuidiam, fabricæque peroſa decorem,
Spumat, & immunda templo maledicit ab algâ:
Sed quorſum hos rictus? non ſi te ruperis, vlla,
Decidua à ſtructo ſoluetur arenula muro;
Splendida cùm nullam facerent maledicta ruinam,
Seſe in Tritonem mutat Ranunculus, exit
Longum Syrma trahens, cœloque minatus, & orbi,
Maiora in noſtros mouit crepitacula muros;
Sed ne vnus tantum caneret Taratantara Triton,
Submiſit parilem ſentina Gehennica fratrem,
Tuq́ tuo ſuccurriſti, male Calue, Luthero,
Ne monſtrorum inopem quiſquam illum Acheronta putaret;

Atq; orbis videat quàm conſpirantibus armis
Confidant hi Titanes diſcindere cælum,
Seſe inteſtino ſoliti diſcerpere bello.
Nimirum quando pietas incurritur haſtis,
Diuerſas eadem coniungit teſſera Sectas,
Vt ſubeant vnà vinctæ teſtudine vallum:
Sed meliorem hederam nequeam ſuſpendere merci,
Quàm ſi eadem Caluo ſtomachum mouet atque Luthero,
Et reliquis placitam tales odêre Gemelli.
Ergo inuaſerunt hæc monſtra biformia culmen,
Et ne Tritones poſſes dubitare, profeſſus
Ille vltro ſe flare TVBA, tam ſplendida pandis
Follibus, & claro crepuit mendacia ſtlopo,
Flatu vt ſpargendos ſperaret in aëra muros.
O miſeri, grauiore alij molimine venti,
Splendidiore ira, atque oris maiore cauerna
Inuaſere iſtud, ſed inani flamine Caſtrum;
Si potuit Decium, & Boream ridere Neronem,
Si tot Cæſareis armata furoribus ora
Non timet, ardentes ſecum rapientia ſyluas,
Commoueat noſtras imbellia veſtra columnas?
Et miſer à Phtiſicis flatus pulmonibus actus

Vix

Digitized by Google

Vix doctus quamuis morientem extinguere tedam,
Æquatas cœlo ſperet proſternere turres?
Priſtina ſi rapiat tumidos veſania Pſyllos,
Quos iuuat inflantem conſumere brachia ventum,
Efferuere ſcholis ſi Grammaticalia bella
Incipiant, & de verbo lis nata Latino
Armatos trudat ferulis in prælia fratres,
Hic vomite & pleno ſpumabula turgida rictu
Exſpuite in pueros, hunc hunc percurrite campum;
Vt vel in aggeſta Pſylli tumulentur arenâ.
Et metuant ſimiles exinde laceſſere Buccas:
Ad noſtros fruſtra diſrumpitis ilia muros.
Ne tamen hæc etiam ſacro labecula Templo
Hæreat, & diuina premat faſtigia Triton,
Rectè etiam hac tandem malus exulat hoſpes ab arce.
Ecquid enim? Alcidæ tanta eſt reuerentia templo,
Vt metuat ſummos allambere muſcula poſtes,
Atq; coronatam vexans mala beſtia frontem
Clauigeri ſummâ tectum non vellicet alâ;
Quid facit in noſtro deformior incola tecto?

Iure

Iurè ergo ſuperà Tubicen tibi ſanctior arce
Excitus, Iacobe, *tuam vigilabit ad Ædem;*
Et certè has abiget cœleſtis buccina laruas.
Vos porro, vt dignum eſt, duo noſtri incommoda ſecli,
Exeſte, & noſtris temerati abſiſtite pinnis;
Eſt, qui vos deceat nigra iam nidus in undâ,
Hîc regnate, iſto fædi putreſcite limo:
Fronte homines, cauda piſces, & corde chimæræ.

PRÆ-

Digitized by Google

PRÆFATIO, IN QVA CENSVRA INSCRIPTIONIS DVORVM PRÆDICANTIVM, ET NOSTRÆ RATIO.

HÆRETICORVM DISCORDIA *in veræ fidei exitium concors eſt.* Nihil enim, *Tertulliano teſte,* interest illis licet diuerſa tractantibus, dum ad vnius veritatis expugnationem conſpirent. *Ita eſſe nouo exemplo diſcere licet. Edidi ante annos duos, & aliquot diſſertationibus prolixiùs explicaui duodecim Catholicæ fidei à Sereniſſimo Palatino Neoburgico ſuſceptæ rationes; quas cùm ob numerum, tum ob pretium ac ſoliditatem gemmeis duodecim Sanctæ Ciuitatis Fundamentis, quæ S. Ioannes in ſacra Apocalypſi ſua particulatim enumerat, comparaui, atque inde libro frontem & corpus feci. Frontem libri inſcripſi,* Muri Ciuitatis Sanctæ, hoc eſt, Catholicæ Religionis Fundamẽ- *De præſcript. c. 41.*

A ta

ta duodecim, &c. *Corpus totum pro Fundamentorum numero diuerſis Apocalypticæ gazæ gemmis exornaui eo animo, vt ex tanto rationum lumine, ac robore Catholici de ſua ſecuritate gauderent, Acatholici ad eandem Principali exemplo anhelarent. Et certè illos omnes hinc confirmari, hos multos nutare ſcio: Prædicantes excipio, illi enim pro ſuâ inueteratâ pertinaciâ moueri aut cedere, neſciunt. Oderunt talpæ lucem; & prædonibus inuiſum eſt arcis robur: vnde illæ terram contrà ſolem exaggerare, ne lucem recipiant; iſti muros quatere & fundamenta conuellere, vt prædâ potiantur, conſueuerunt.*

Hoc ipſum auſi ſunt contra Sanctæ Catholicæ Ciuitatis tam lucida, tamque valida fundamenta duo tenebricoſi & imbelles Prædicantes, Balthaſar Meiſner Lutheranus, & Fabricius Baſſecourt Caluiniſta; Capitales in ſecta inimici, ſed optimi in Romanæ Eccleſiæ malum amici, vt id ſcilicet hodie aduerſus Ciuitatem ſanctam, quod olim Herodes & Pilatus contrà illius Dominum, repræſentarent. Meiſnerus VVittenbergenſis Profeſſor, *De Inſcriptione Theſium Meiſneri.* *è The-*

è Theſibus ſcalam centum ac quadraginta ficulneos gradus altam fabricauit , in illa ſuis auſpicius I*O ANNEM* R*ODENBORCHIVM in eadem Academia Poëſeos Profeſſorem*, Muros Babylonis Romanæ , & conficta Religionis Papiſticæ Fundamenta (*hæc primæ frontis conuitia ſunt*) *animosè adoriri & demoliri hortatus eſt, rei benè gerendæ illicium ei ſupremam lauream Theologicam propoſuit. Commodè profectò accidit , ut indecorè fingendi peritus artifex, qui neſcio quam Babylonem & conficta fundamenta ſomniauit , aliquem de Parnaſſo Poëtaſtrum ad hanc Theologicam arenam exciuerit : nimirum quam iſte laurum de ſubtilibus , doctis atque honeſtis fabulis , quales Muſis placent, deſperauit, illam ex craſſis, inſcitis atque infamibus figmentis, cuiuſmodi in Lutherana Theologia cuduntur, reportare à Meiſnero cogitauit, quaſi de Veritate triumphare , & coronari Mendacium poſſit.*

Fabricius paulò ſeciùs in aciem prodit. Is enim tanquam Sacerdos ad imperium Ioſue Iubilei tuba *De inſcriptione libri Fabriciani.*

armatus, Eccleſiæ Romanæ, veluti Hierichuntinæ vrbis mœnia vno clangore diſſlare ac ſolo æquare ſibi pollicetur. In frõte ſcriptũ habet, Tuba Dei ad ſubvertendos muros Iericho Eccleſiæ Romanæ. *Difficilè huic fronti credo, ex ſequentibus capitibus.*

I. Ioſue cũ viri contra ſe ſtantis, & euaginatum gla-
Ioſue 5. v. 14, 15 *dium tenentis vocem illam inaudiſſet:* Sum Princeps exercitus Domini, cecidit pronus in terram, & adorans ait; Quid Dominus meus loquitur ad ſeruum ſuũ. *Nimirum Angelum Dei legatum debitè veneratus, Dominiq́ ſui ex eo mandatum ſciſcitatus eſt. Nemo certè Caluiniſta, idololatriæ metu hunc Angelo honorem cum Ioſue dediſſet.*

Ibid. v. 16. *II. Ad illam Angeli iuſſionem:* Solue calceamentum tuum de pedibus tuis, locus enim in quo ſtas, ſanctus eſt, fecit Ioſue, vt ſibi fuerat imperatum. *Et hîc Caluiniſta naſum criſpaſſet, loci ſanctitatem, & calcei abiectionem de ſuperſtitione ſuſpectam habuiſſet, minimè cum obſequenti Ioſue paruiſſet.*
Ioſ. 6. v. 1. *III. Vrbs* Iericho clauſa erat timore filiorum Iſraël, & nullus egredi audebat aut ingredi. *Nullum hoſtem timet Eccleſia Romana,*

na, dies noctesq́ patet, vt gentes ingredi poſſint ad ſalutem, & ſectæ egredi ad perditionem. Illi dictum eſt per Eſaiam: Aperientur portæ tuæ iugiter, dieac nocte non claudentur, vt afferatur ad te fortitudo gentium, & Reges earum adducantur. *Oſtendant Caluiniſtæ ſuæ Synagogæ apertas portas ante Caluinum; oſteudant vel vnum Regem Gentium ad illam adductum: certè quam tot ſeculis nemo egreſſus, nemo ingreſſus eſt, ea verè clauſa Ierichoeſt. IV. In capienda Iericho, mandauit Ioſue;* Quidquid auri & argenti fuerit & vaſorum æneorum ac ferri, Domino conſecretur, repoſitum in theſauris eius. *Si geſtis Caluiniſtarum fides habenda eſt, quis credat Duces illorum, Ioſuanam hanc legem in expugnanda Eccleſia Romana laturos? quin etſi ferrent, credibile eſt plures multò, quàm vnum* Achan *inter Iſraëlitas, ex Caluiniſtis contrà legem de anathemate non parùm ſurrepturos eſſe. V. Nec ipſa demum vrbis Ierichopia expugnatio, ingenio Caluiniſtico probari poteſt. Septiduana Amburbalia Ioſue celebrauit. Sex diebus ſemel, ſeptimo ſepties circum Iericho itum*

Iſa. 60. v. 11. *Ioſue 6. v. 19.* *Ioſue 7. v. 1.*

Digitized by Google

Ioſ. 6. v. 12. ſeqq. *eſt; ſacerdotes aliquot portarunt Arcam fœderis, præceßére alii ſeptem cum ſeptem iubileorum buccinis, ſecutus eſt populus. In ſeptima proceßione ſeptimo die, ad ſeptimum tubarum clangorem, populique clamorem muri Hierichuntini corruerunt. Pietatis, non Fortitudinis hæc victoria fuit. Pro incurſione militari religioſa Proceßio, pro ſigno Arca Domini, pro Martio ære remißionis buccina, pro armorum ſonitu tubæ clangor & populi clamor fuit. Puduiſſet tam pii ambitus Caluiniſtas, & contra tot ſeptenarios tanquam ſuperſtitioſißimas nugas excepiſſent. Et vt vellent contra ingenium ſuum talem proceßionem adornare, ſacerdotes tamen illis deeſſent: nullos enim habent, niſi à nobis impiè fugitiuos, qualis & iſte Fabricius eſt, reliqui merißimi Laici ſunt; Nam, quod olim Tertullianus de aliis, verè de Caluiniſtis hodie dixero,* Laicis

De præſcr. c. 41. ſacerdotalia munera iniungunt. *Illud quidem verum eſt infauſtis Caluini auſpiciis præcones & popellum Caluiniſticum, non dies ſeptem, ſed annos amplius ſeptuaginta, non ſepties, ſed continuò ferales calumniarum & execrationum buccinas aduerſus*

Digitized by Google

uerſus Romanam Eccleſiam plenis buccis inflare, ita tamen infeliciter, vt tantis conuitiorum clamoribus & infamiæ clangoribus, nec lapidem de Romanæ Eccleſiæ muro mouerint, adeò firmus immotuſque ſtat. Nihil ergò fidei vel his de cauſis meretur Fabriciani libri inſcriptio mentito Ioſuanæ tubæ colore fucata. Sed illud quoque multò maximè inhoneſtam libri frontem prodit, quòd is conuitiis, mendaciis, apertè perfidis Patrum, Iuris Canonici, Theologorum allegationibus tam refertus ſit, vt eâ re non DEI, qui Veritas; ſed Diaboli qui mendacii pater eſt, & de Calumnia nominatur, tuba æquiùs appellatus fuiſſet.

Et quanquam talia ſint Eccleſiæ Catholicæ fundamenta, vt aduerſus illa nec portæ, nec tubæ inferorũ omnes vnquam ſint præualituræ, tam parùm præterea periculi à Meiſneriana ſcala tubaq́; Fabriciana Ciuitati ſanctæ impendeat, vt vix operæpretium futurum ſit aduerſus tam inanes incurſus & imbelles ſonos iuſtum militem educere, ne tamen Ciuitati ſanctæ præſidium aduerſus quamcunq; vim paratiſſimum deeſſe ſuſpicẽtur, ſeque tamq́ue glorioſi milites de incredi-

Apoc. 21 v. 12. Inſcriptionis noſtræ ratio.

credibili ſtrage iactitent, Angelos duodecim in portis ſanctæ ciuitatis excubantes, ne procul copias alienas accerſam, contra inſanos iſtorum impetus in ſubſidiũ vocare viſum eſt. Aderunt, ſcio, libenter cœleſtes ſpiritus, ex ſacræ ſcripturæ præſidio euocati aptiſſimi quique ad ſingula Fundamenta tuenda, & irritos imbellium hoſtium conatus reprimendos.

GENE-

Digitized by Google

GENERALIS HOSTIVM IN OMNIA FVNDAMENTA IRRVPTIO AB ANGELICIS EXCVBIIS VNIVERSE REPELLITVR.

QVod hoſtis in Vrbis expugnatione conſueuit, vt primùm illam totam inuadat atque obſidione cingat, tum verò in certas portas atque valla impetum faciat, id quoque Meiſnerus Vaſtator, & Baſſecourtius Tubicen æmulari voluerunt. Antea enim quàm ſigillatim in quæq; fundamēta furerent, generatim in omnia irruerūt. Huic igitur primæ illorum inſanæ irruptioni non peculiarem aliquem certæ portæ Cuſtodem Angelum, ſed Præſidium Ciuitatis Sanctæ cœleſte vniuerſum opponere commodum iudicaui. Adeſto igitur Sacra Dodecas, & primam hoſtilem conuitiorum, errorum, fraudum, falſi criminum coronam cœleſti robore diſturba.

CAPVT I.

DVODECIM GENERALIA Argumenta Meiſneri refelluntur.

NOn diſplicuit, credo, Meiſnero duodenarius, quem

Digitized by Google

quem Ciuitas Sancta in Portis, Excubitoribus & Fundamentis amat; nam & ille in prima obſidione aduerſus illam duodecim Argumenta generalia in aciem produxit. Videamus qualia & quàm firma.

Confutantur prima tria Meiſneri Argumenta. §. 1.

Verſ. 4. ARgumentũ Meiſneri I. iſtud eſt: *Rationes fidei allegatæ iam dudum protritæ, omni neruo deſtitutæ, ſolutu facilimæ ſunt, & nullum cordatum ad imitationem excitare poſſunt, prauitatem cauſſæ & infirmitatem Papiſticæ religionis luculenter indicant.* Hoc conuitiorum globo, Sereniſſimi Principis fundamenta primùm Meiſnerus aggreditur. Dignum Prædicante exordium, argumentum meris calumniis ſtipatum, indignum Theologo. Quid enim facilius, quàm dicere: Rationes hæ ſunt tritæ, enerues, diſſolutæ, vecordes, infirmæ, leuiculæ? Non decent aduerſarium hæ voces ante pugnam, inaniſſimæ glorioſi militis iactationes ſunt. Proterat, eneruet, diſſoluat, infirmet: Tum liberè exclamet. Ante talia dicta, facto opus eſt; Cùm illa initium faciunt, cauſſam produnt. Victi animi eſt, ad maledicta conuerti, & priùs maledicere, quàm reſpondere. Tale Meiſneri ingenium eſt, cuius prima acies, conuitiorum congeries eſt. Etiam canes ita pugnare ſolent; lapide, vt ſentiant, icti primùm furi-

ribundis morſibus in lapidem ſæuiunt. Age verò, Meiſnere, quis rationes has iam dudum protriuit? Tu ipſe fortaſsè in Antileſsio tuo, quem iam dudũ, antè triennium ſcilicet adhuc magiſtellus Gieſſæ, vt doctor fieres, extruſiſti; at quibus quæſo, vngulis illas calcâſti? an mendaciis, calumniis, falſi criminibus, quæ bono numero inde collecta, tibi Sacerdos Vngarus palàm ſcripto obiecit, & tu in Apologia tua ſine rubore partim diffiteri nõ auſus es? Si feliciter protriuiſti, quid actũ agis? Si leuiculæ ratiunculæ, ſi infirmæ, diſſolutæ, enerues ſunt, quid tam glorioſus heros cum illis congrederis, & de illarum victoria tanquam ſingulari, ſupremam lauream Poëtæ Roderborchio ſpondes? Si cordatum neminem ad imitationẽ poſſunt excitare, excors ergo tibi & vecors eſt Sereniſ: Princ: Palatinus, qui illis ad Catholicam fidem capeſſendã excitatus fuit? excors tibi Sapientiſſimus Auguſtinus, qui his plerisq; ad Eccleſiam Catholicã ſe pertractum, & in eadem detentum eſſe, pluribus locis à me paſsim recitatis, (quæ tu, ne vrereris, declinaſti) apertiſſimè confitetur? Magna calumnia, & quidem in limine ab obſcũro & nouo iſto doctorculo Lutherano in Sereniſſimũ Principem, & maximum Eccleſiæ Doctorem iacta.

Argumentatur ſecundò Meiſnerus. *Duo poſtrema, non tam noua & diſtincta fundamenta, quàm concluſiones ſunt* Theſ. 2

 ex

ex prioribus collectæ, ideoq; numerus Argumentorum non ſatis reſpondet gemmeis diſtinctiſque Fundamentis Apocalypticis, quippe quorum memorantur duodecim Apocal. 21. *v.* 14. *Rationes autem pro fide Papali reipſa diuerſæ, non niſi decem afferuntur.* Numerum Fundamentorum his verbis Meiſnerus imperitè & inſipienter admodum vellicat. Veniam mereretur, niſi Philoſophiam ſobriam edidiſſet, & nomen non vulgaris Dialectici apud ſuos ambiret. Qualis hæc illatio? Duo vltima fundamenta ſunt concluſiones ex prioribus ortæ, ergo non ſunt noua & diſtincta fundamenta. Nemo Logicæ auditor tam indoctus eſt, vt diſcrimen inter prima actu & virtute prima principia ignoret. Quis Logicus neſcit, principiorum primorũ concluſiones, fundamenta & principia aliarum ſequẽtium concluſionum eſſe? Annon Concluſio à ſuis principiis, etiam cùm principium alterius concluſionis eſt, tam diſtincta eſt, vt numerari iure poſſit? Prudentia & Modeſtia Chriſtiana, quæ duo vltima Sereniſſimi Principis Fundamenta fuerunt, ex prioribus Fundamentis quidem nata illis nituntur, ab illis tamen apertè diſtinguuntur, & cum iis ſuſceptæ Catholicæ fidei poſtremæ Principi cauſſæ fuerunt. An ideò principia vnius concluſionis plura diſtincta non ſunt, quia vnũ ex altero deducitur, eoque nititur? Quid ſi duodecim Apocalypſeos fundamenta ordine enumerata

Digitized by Google

talia eſſe inſinuentur, quorum poſteriora prioribus impoſita iis nitantur? An ideo verè Duodecim non ſunt? Si denique duo vltima, quia ex prioribus educta ſunt, à fundamentorum numero exturbata voluit Meiſnerus, cur decem reliqua non in nouenarium contraxit? nam & quintũ, Succeſſio nempe Romanorum Epiſcoporum in Cathedra Petri, ex quarto, quod eſt primatus Petri, non ſecus atque concluſio è ſuis principiis infertur. Nimirum Prædicans iſte nodum in ſcirpo quærere voluit.

Tertium Meiſneri Argumentum eſt. *Fundamenta hæc ſunt ἄγραφα nec in ſacris literis fundata.* Iſtud & reliqua nouem Argumenta Generalia deinceps Aduerſarius ita pertractat, vt ex iis, quæ contra Leſſij Conſultationem generatim diſputauit, multa verbatim hìc repetat. Vt enim mali Oratores exordiis, ita Prædicantes translatis abundant Tractatibus. Sed ad rem. Fundamenta noſtra, Meiſnere, nec extrà litteras ſacras ἄγραφα, nec ſi eſſent, eamob rem contemnenda ſunt. Peſſimè diſputas: nam & aſſumptum falſum, & illatio futilis eſt. Oſtendo primum. Fundamenta noſtra ſunt hæc; Veſtra in ipsâ quoque veſtræ Confeſſionis formulâ aduerſus Catholicos calumniandi & fingendi conſuetudo; Eccleſiæ in Scripturis ac rebus fidei declarandis auctoritas; legitima Apoſtolorum, & qui illos ſecuti ſunt, vocatio; Petri primatus, & is Theſ. 8i

 in

Digitized by Google

in ſucceſſione perpetuus; Conciliorum Patrumq; conſenſus; Eccleſiæ Sanctitas, Vniuerſitas, Concordia. Age, Meiſnere, quid horum ἄγραφον? Confeſſionis Auguſtanæ & Apologiæ complura mendacia, eaq; luculenta in veraciſſimis diuinis Scripturis reperiri quidem non poſſunt, caueri tamen illa
Matt. 7. 15. iuſſit, qui *à falſis Prophetis attendere* monuit. Non eſt cum mendacibus Spiritus ille, *qui docet omnem veritatem*
Ioh. 16. 13. Manus Domini eſt ſuper Prophetas, *qui vident*
Ezech. 13. 9. *vana & diuinant mendacium.* Eccleſiæ in docendo auctoritatem porrò, quàm firmat Scriptura, quæ illam
1. Tim. 3 15. *columnam & firmamentum veritatis* prædicat, & *audiri* ſub
Matth. 18. 17. infamia nominis à Chriſtiano alieni comminatur? Apoſtolicam Eccleſiã, quippè ab Apoſtolis ad nos vſque, & ultra in omne æuum legitima vocationis ſerie continuãdam Scriptura quoque indicat; nam ſuper muros Ieruſalem à Domino conſtituti Cu-
Iſ. 62. 6. ſtodes *tota die & tota nocte in perpetuum non tacebunt*, & cum
Matth. 28. 20. Apoſtolis futurum ſe *omnibus diebus vſq; ad conſummationem ſeculi*, Dominus promiſit. Sicut Chriſtum Pater,
Ioan. 20. 21. ita ille miſit Apoſtolos, vt & iſti mitterent alios, ſerieque miſſionis continuatâ, Eccleſiæ Dei nun-
Eph 4. 13. quam deeſſent Paſtores, *donec occurramus omnes in vnitatem fidei & agnitionis filii Dei, in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti.* Petrum Apoſtolum, eiuſq; ſucceſſores, ſummos totius Eccleſiæ Paſtores agno-
Matth. 16, 18. ſcunt ii omnes, qui Chriſto, cùm ædificium ſuper
po-

petram perpetuum promiſit, & Petro omnes oues *Ioan. 21. 17.*
ſuas paſcendas tradidit, fidem adhibent. Et ſaluberrimam Conciliorum authoritatem, nonne Dominus commendauit, cùm etiam duobus aut tribus *Matth. 18. 17.*
in nomine ſuo congregatis, ſe in medio eorum futurum eſſe promiſit? *Io. 14. 16*
& Spiritum Sanctum in æternum manſurum ad docendum & ſuggerendum omnia à Patre ſuo Eccleſiæ impetrauit? vt iure optimo Apoſtoli in primo Concilio, hæc decreto ſuo verba inſeruerint: *Viſum eſt Spiritui Sancto & nobis.* *Act. 15. 28.*
Nec Eccleſiæ ſanctimoniam tacent ſanctæ literæ; Nam & Paulus Eccleſiam Sponſam Chriſti, ſanctam & immaculatam prædicat: *Ep. 5. 25*
& Ioannes, ciuitatem ſanctam, tanquam Sponſam, ornatam Viro *Apoc. 21 2.*
ſuo è cælo deſcendentem intuetur. Quin Chriſtus *Matt. 7. 16.*
quoq; bonam Arborem à bono fructu cognoſci docet: magna arbor Eccleſia, cuius fructus ſanctitas eſt. Teſtimoniis de Eccleſiæ Catholicæ per vniuerſum orbē dilatatione tam pleni ſunt ſacri libri, vt Auguſtinus, libro de vnitate Eccleſiæ, non niſi de Scripturis hanc Eccleſiæ amplitudinem aduerſus anguſtias Donatiſtarum demonſtrare receperit, & de Lege, de Pſalmis, de Prophetis, de Euangelio id abundè præſtiterit. Ex viginti & aliquot ſacris teſtimoniis ab eo allatis, pauca quædam in Fundamenti noni explicatione nos quoq; produximus. Quis denique neſcit, Chriſtum Pa- *Io. 17. 11.*

tri

tri ſupplicaſſe, vt fideles vnum ſint, ſicut ipſe & Pa-
Act. 4. 32. ter: imò & à Patre exauditum eſſe, nam *multitudinis credentium cor vnum & anima vna* naſcentis Eccleſiæ initio fuit. Præterea, *Eph 4. 4. & 5.* *vnum eſt* Eccleſiæ *corpus, vnus Spiritus, vnus Dominus, vna Fides, vnum Baptiſma.* Qua ergo impudentia auſus es, Meiſnere, Fundamenta Sereniſſimi Principis noſtri, tanquam ἄγραφα, nec in ſacris litteris fundata calumniari? Ex Scripturis exciſa ſunt, vt Eccleſiam aduerſus omnes inferorum portas firmiſſimam fundarent. *Veritatis cupidi,* ait Meiſnerus, *non remittuntur ad conditionem morum, ad nomen Catholici, & ſimiliter externas dubiasqué notulas.* An non Apoſtoli ſuo iubent Symbolo credere ſanctam Catholicam Eccleſiam? Cui fini, niſi vt ab illa diſcamus veritatem, quæ & ſanctæ vitæ, & vniuerſi orbis teſtimonium habet? Miror, ſi non & Apoſtolis obiiciat Meiſnerus, has Eccleſiæ notas extrà Scripturam & dubias eſſe. Ad Eccleſiam, illamq; ſanctam & Catholicam ab Apoſtolis mittimur in ſymbolo: An credis Apoſtolis, Meiſnere? An notæ illæ, *Sancta* & *Catholica,* agraphæ? Credis ergo aliquid contra tuam fidem, non ſcriptum. An dubiæ notulæ? Blaſphemus es in Apoſtolicam fidem. Non ſunt, vt tu loqueris, *dubiæ notulæ, ratiunculæ fallaces, ſigna minimè certa,* quibus Apoſtoli Eccleſiam nobis in Symbolo deſcriptam, & in ſacris litteris expreſſam reliquerunt. Ad verbum Domini confugiendum ais; At illud

nobis

Digitized by Google

nobis intento digito Eccleſiam Vnam, Sanctam, Catholicam monſtrat; hæc eſt candelabrũ, in quo lucerna fidei, Verbum Dei lucet; hæc eſt fida Prophetarum, quos audire debemus, interpres; hæc eſt ſacrarum litterarum, in quibus permanere iubemur, ſecurum depoſitorium; hæc eſt diuinæ veritatis columna & firmamentum. Cum Dauide, Ioſaphato, Ezechia, Ioſia, Eſdra, Beroenſibus, Conſtãtino Magno ad Scripturæ Tribunal nos citas: non abhorremus, adſumus. Audi nobiſcum claras Scripturæ voces de Catholicà Eccleſià, & tam certò à nobis, quàm Donatiſtæ ab Auguſtino, vinceris. Ceſſa mirari pii Principis à ſecta veſtra diſceſſionẽ; vidit Eccleſiam veram à Scripturis Vnam, Sanctam, Catholicam depingi: nihil horum in veſtra, omnia in noſtra Eccleſia clarè perſpexit.

Sed & illud alterum, nimirum conſequentiæ Meiſnerianæ vanitatem, facillimum eſt demonſtrare. Quàm enim inepta hæc collectio? Sunt Fundamenta agrapha, ergò nihili facienda: quaſi verò quidquid in ſacris ſcriptum non eſt, fidem parere non poſſit. Vbi ſcriptum teſtimonium de autoritate huius illiuſué libri ſcripturæ? Ideoné fidei generandæ inidoneum? Mira opera, quæ Chriſtus patrabat doctrinæ ſuæ confirmandæ, ſcripta non erãt, & tamen meritiſſimò intuentes cunctos ad fidem dictis illius adhibendam permouere debebant:

Idem de Apoſtolis eorumque Succeſſoribus gentes ab Idololatria ad Chriſtianam fidem ſuſcipiendam, primò inducentibus verè dicere in promptu eſt. Gentiles Eccleſiam primò ex Miraculis, ſanctis moribus, mira propagatione prudenter agnouerunt; tum deinde in Scripturis, quibus ab illa credere didicerunt, eius autoritatem certa fide compererunt.

Quartum, quintum & ſextum Argumentum Meiſneri refutatur, §. II.

Theſ. 9. QVartum Meiſneri Telum eſt. *Sunt Secundaria.* Quid ità Meiſnere? *Notum enim,* inquis, *& aliquoties probatum eſt, fidem veram non niſi ex Scriptura hauriri.* Nec tu, nec tui vnquam falſiſſimum hoc veſtrum principium probâſtis; à nobis non ſemel conuicti eſtis credere, quod ſcriptum non eſt. Vt alia taceam, vel ad vnam illam traditionem non ſcriptam, de diuinorum librorum authoritate, ita miſerè hæretis, vt aliqui à Scriptura ad propria veſtri cerebelli criteria turpiter confugiatis; non nemo etiam veſtrûm, vni illi traditioni fidem diuinam adhibere non vereatur. Et tu, quî hoc loco probas hoc improbum dogma? Teſtem adducis Chryſoſtomum homil. 49. in opere imperfecto ità loquentem: *Chriſtianos volentes accipere firmitatem fidei veræ, ad nullam rem confugere decet, quàm ad ſacram Scripturam.* Non hæc Chryſoſtomi Catholici, ſed Maximini Ariani verba ſunt; illâ enim

nim ipsâ & præcedenti homilia perſtringuntur acerbiùs homouſiani, quod non Catholici, ſed Ariani hominis officium eſſe conſueuit. Vide, ſi lubet, quæ Iacobus Gretſerus veſtro infælicis memoriæ Hunnio de his ipſis verbis tanquam Chryſoſtomi vanè glorianti prolixè repoſuit in Reſponſo ad Theſes illius cap. 13. Intereà miror te cauſſæ tuæ aliud, quàm Hæretici hominis patrocinium non adhibuiſſe: Sed alios, quàm ſui ſimiles Patronos Hæretici non reperiunt. Et verò quanquam S. Chryſoſtomi eſſe dictum illud daremus, quid & tu ad *Secundariũ Argumentum* confugis? an nulla tibi ad manum erat Scripturæ ſententiola, quam peruerteres? quid ex Patre doces, qnod vel maximè tuâ ſententiâ ex Scriptura debuiſti? Verè facis, quod in Fundamentis Sereniſſimi Principis falsò culpas. Iam antè oſtendi Fundamẽta illa è Scripturis ipſiſſimis & apertiſſimis petita eſſe; merum ergo & hîc conuitium eſt, quod ſub Ieſuitarum nomine in Catholicum Principem iacis, *Chriſtianos conſultantes non ad ſacras litteras, ſed ad Argumenta ſecundaria, quæ ex ſcripturis non depromuntur, à nobis ablegari.* Primas damus cum Patribus, ſacrarum litterarum & diuinæ traditionis authoritati: Patrum teſtimonia & rationis argumenta illi poſtponimus.

Quintò ſic argumentatur Prædicans. *Sunt ἐξωτερικὰ, non ἀκροαματικὰ, aut ἀποδεικτικὰ, δόξαι generant, non ἐπιστήμην non* Theſ. 13.

 oritur

oritur ex talibus πληροφορία: non ſunt οἰκεῖα quæ ex ſolis Scripturis petuntur; ſunt rationes tantùm topicæ. & ad rudem plebeculam mouendam accommodatæ, afferuntur contra τρόπον παιδείας. Argumentum iſtud, Græcis voculis more Prædicantico fætum, à duobus prioribus nihil differt, illiſq; nec hilo melius eſt. Nam & falſum eſt, quidquid de Scripturis non eſt depromptum, Topicum & vulgare eſſe; & verum non eſt, fundamenta Principis, ſcripturæ ſuffragio carere, vt ſuprà demonſtratum. Apertiſſimè in Scripturis ſacris Vna, Sancta, Catholica & Apoſtolica Eccleſia legitur: Non fugimus, vt Prædicans eadem Theſi criminatur, ſacrum Codicem, non ibi exitium paratur noſtræ fidei, ſed Lutheranæ perfidiæ. Quæramus Catholicam Eccleſiam cum Auguſtino in veteribus & nouis Scripturis: legamus ad viginti ſeptem ab illo recitata Teſtimonia, niſi illa tam pro nobis aduerſus Lutheranos, quàm pro Auguſtino contra Donatiſtas ſteterint victi ſumus. Quod de Eccio ex Luthero refert Prędicans, eum coràm Duce Bauaro Guilielmo faſſum eſſe, quòd Lutherana fides non ex Scriptura, ſed ex Patribus tantùm quodammodo refutari poſſit, id inprimis fidem, quantam ſibi Lutherus conciliauit, iure meretur; tum verò eo dicto Eccius, ſi id protulit, minimè indicare voluit, Lutheri fidem Scripturę eſſe adeò conſentaneam, vt ex illa erroris ſatis ſupérque reipſâ argui non poſſit: ſed

ſed eam eſſe Lutheri & aſſeclarum in ſcripturæ tam contextu, quàm ſenſu licentiſſimè corrumpendo inſolentiam & pertinaciam, vt ſolis Scripturæ verbis, abſque Patrum antiquorum, & veteris Eccleſiæ ſententia, de ſacrorum librorum numero, lectione, ſenſu, frangi ſe nec ſinant, nec fateantur. Imò vt Patrum & Eccleſiæ antiquioris Teſtimonia proferantur, eò tamen uſque huiuſmodi pertinacia obdureſcit, vt ſibi ſolis de Scripturæ germano ſenſu, præ omnibus ſeculis credi impudenter expoſcant. *Pighius*, inquit Prædicans, *ſeriò diſſuadet, ne in ſcripturarum certamen amplius deſcendatur*, *lib.* 1. *de Eccl. hierarch. c.* 4. Quare diſſuaſit? an quòd Catholicos parùm in Scriptura præſidii habere putaret, & illorum cauſſæ ex Scripturis diffideret? minimè verò. Antiquiſſimum iuxta atq; doctiſſimum Tertullianum ſecutus eſt Pighius: & Tertulliani mens fuit, non eſſe hæreticos ad Scripturarum certamẽ admittendos: hæc illius in aureo de præſcriptionibus libello, prima aduerſus Hæreticos præſcriptio fuit. *Huc dirigebamus*, inquit, *& hic præſtruebamus ad locutionis præfationem, ut iã hinc de eo congrediamur, de quo aduerſarii prouocãt, Scripturas obtendunt, & hac ſua audacia quaſdam mouent &c. Hunc igitur potiſſimum gradum obſtruimus, non admittendos eos ad v'am de Scripturis diſputationem: ſi hæ ſunt vires eorum, anné eas habere poſſint, diſpici debet, cui competat poſſeſſio Scripturarum, ne is admittatur ad eas, cui nullo modo competit.* En vt Tertullianus

Tertul. l. de praſc. c. 15.

nus olim hæreticos Scripturæ armis, tanquam vulpem Leonis exuuiis, doloſè tectos, iis exuere, ac primum hunc inſolentiæ gradum illis obſtruere aggrediatur, At quia nouerat pronos in maledicta hæreticos, timidi aut fugitiui militis probrum ſibi, vti hodie Meiſnerus Pighio & Ieſuitis, obiecturos, mox ità excipit: *Hoc de conſilio diffidentiæ, aut de ſtudio aliter ineundæ conſtitutionis induxerim, niſi ratio conſtiterit.*
c.16.
Senſus dicti eſt: Niſi mihi mei inſtituti ratio alia in promptu eſt, non iniquè feram, vt dicar in animum meum hoc induxiſſe, conſilio diffidentiæ aut ſtudio nouitatis. Quare etiam eodem capite & duobus conſequentibus triplicem rationem ſui inſtituti pluribus commemorat, quoniam ſcilicet & obſequendum ſit Apoſtolo, prohibenti hæreticũ poſt vnam correptionem, non diſputationem conuenire; nihil deinde proficiat congreſſio Scripturarum, niſi planè, vt aut ſtomachi quis ineat euerſionem, aut cerebri; nec deniq; parùm, rudi dubioq; auditori noceat. Vndè clarè ità concludit: *Non ad Scripturas prouocandum eſt, nec in his conſtituendum certamen.* I Meiſnere, & dic Tertullianum meticuloſè Scripturæ virgulam cenſoriam declinaſſe. Nos Catholici, ſi bonam cauſam noſtram ſpectemus, Scripturæ tribunali aſſiſtere vobiſcum nihil reformidamus: ſi veſtram inflexibilem peruicaciam cogitamus, cum Tertulliano tædet de ſcripturis vobiſcũ certare.
Sextum

Sextum Argumentum eſt. *Sunt incerta & falli-* Theſ. 12.
da. Videamus quibus machinis Meiſnerus funda-
menta incertet. *Ex Scripturis,* ait, *non proferuntur.* At
ego reſponſum, ad toties repetitam cantilenam,
non repeto. *Non ſunt notæ vniuerſales & perpetuæ, ſed tum
demùm aliquem locum habent, cùm Eccleſia in illuſtri ſtatu conſtitu-
ta eſt, cùm patet claretq́, non autem cùm latet vel languet.* Audi,
Meiſnere. Eccleſia noſtra, ex quo ſemel in omnem
terram Apoſtolorum operâ radios ſuos diffudit,
ſemper illuſtris fuit, ſemper patuit, nunquam la-
tuit: nam illa thronus Chriſti eſt, de quo per Pro-
phetam Dominus; *Thronus eius ſicut Sol in conſpectu meo,* Pſ. 88.
& ſicut Luna perfecta in æternum. Ex Apoſtolica formu- 38.
la, ſemper Sanctam Eccleſiam Catholicam credi-
mus.

Septimi, Octaui & Noni Argumenti confutatio §. III.

SEptimum Argumentum eſt. *Sunt nimis generalia &* Theſ. 13.
*communia. Vix enim datur Eccleſia, quæ iſtas rationes non
iactitet, vel iactare queat.* O vaniſſime diſputator!
Tua, Caluiniana, Anabaptiſtica, Suenckfeldica, &
ſimiles Eccleſiæ, non poſſunt, nec audent de noſtris
notis gloriari; imò improbant illas, ne, quod ſunt,
ſpuriæ ſectæ videantur. Ad diuini verbi puram
prædicationem & Sacramentorum debitam admi-
niſtrationē, tanquam germanas notas, prouocāt,
& in

& in foueam verè incidunt, quam nobis Meiſnere hîc necquicquam paraſti. De his enim duabus notis veriſſimè dicitur, non tantùm *vix eſt*, ſed nulla eſt Eccleſia, quæ nō illas iactitet, pari ſpe victorię. Sunt ergo nimis generales & cōmunes veſtræ notę; noſtrę nobis tā peculiares ſunt, vt cùm dixiſſes, vix dari Eccleſiam, quæ illas non iactet, præter Græcā Eccleſiam & Iudaicam Synagogā, nec de tua, nec de natis è tua ſectis mutire auderes. Quin etiam, quæ de Græcorum & Iudæorum cætu, de vtriſque falsò, de Iudęis etiam admodum ineptè effutis. Nec Græci à Romana Eccleſia ſegregati, nec Iudæi hodie, omnes noſtræ Eccleſiæ notas vel poſſident vel prætendunt: non vna, non duæ, non plures, ſed omninò omnes veram oſtendunt Eccleſiam, ſi vel vna deſit alicui congregationi, vera Eccleſia non erit. *Græca Eccleſia*, inquis, *non minus allegat Epiſcoporum ſeriem, Concilia, Patres, Miracula, Vnitatem & ſimilia.* Habet illa quidem ſeriem Epiſcoporum, ſi poteſtas ordinis ſpectetur, non diffitemur; ſed eiuſdem doctrinæ prædicationem cum maioribus communem & ab ijs deductam, quæ tamen ſeries maximi ad veram Eccleſiam demonſtrandam eſt momenti, minimè habet: Et locus, & tēpus, & auctor Græci ſchiſmatis, & dogmata, in quibus ab antiqua Græca Eccleſia diſceſsio facta eſt, nominari poſſunt. Habuit antiqua Græcia Patres doctrina & Sanctimo-

Digitized by Google

nia claros, Concilia authoritate veneranda, miracula numero & magnitudine ſtupenda; noua Græcia, quæ à Catholicis diſſidet, nec Patres, nec Concilia, nec miracula habet; & de Patribus, Conciliis, miraculis veteris Orthodoxæ Græciæ nihilo iuſtiùs gloriari poteſt, quàm vos Germani hæretici, de ſanctis primis Germaniæ Epiſcopis, à quibus fidē didicimus, & de diuinis prodigiis, quæ in Germania Catholicæ fidei confirmandæ euenêre. Atque ne ſigillatim omnia commemorem, quàm apertum eſt, Græcos Schiſmaticos, Petro in Romanis ſucceſſoribus honorem cum maioribus ſuis debitum non habere? quàm facile demum demonſtrare, illos nec loco, nec tempore Catholicos eſſe? Sed à Græcis ad Iudæos tecum eo. *Et iſti, inquis, verâ fide deſtituti, vrgere poſſunt ſuas prærogatiuas olim conceſſas, vt antiquitatem, ſanctitatem, concordiam, Rabbinorum in Scripturis interpretandis magiſterium, & id genus alia.* Hominis deſperati argumentum. Nimirum Eccleſiarum, quę Chriſtiano nomine gloriantur, pluribus ad hanc rem, vel in ſpeciem aptis exemplis deſtitutus, aſylum præter Iudaicam Synagogam, nullum habebas. Sed imperitè nimis & fruſtra eò confugiſti. Primùm enim nos hîc Eccleſiæ verè Chriſtianæ notas, quibus à Sectis ſub Chriſtiano nomine fallentibus diſcernitur, præcipuè quærimus. Dein Synagoga Iudæorum Catholica & Apoſtolica, nec

D fuit

fuit vnquam, nec nunc eſt. Vna gente circumſcripta à Moſe & Prophetis, non à Chriſto & Apoſtolis orta & propagata eſt. Denique ante Chriſtum potuit ſimilibus indicijs Synagoga aduerſus ſibi tum infeſtos hæreticos meritiſſimò & feliciſſimè decertare: cum verò Chriſtum præſentē, quem ante venturum rectè crediderat, impiè reſpuit, ſuo vitio periit, & in vanam vmbram deſiit, nec iam iis, quę turpiter amiſit, niſi impudenter gloriari poteſt. Diuiſa & dilacerata per orbem errat, nec templum, nec ſacerdotes, nec Prophetas habet; Viris ſanctis & diuinis prodigiis nullis fulget. Apage igitur, Meiſnere, cum tuo illo imbelli dilemmate: *Aut argumenta Ieſuitarum ſunt incerta, aut Græcorum quoq; & Iudæorum religio, quippe iſtis notis non deſtituta, eſt approbanda.* Neutro cornu feris. Falſum eſt, quod tu tanquam verū alteri cornu fallaci acu aſſuis, Græcorum & Iudæorum religionem iſtis notis non eſſe deſtitutam. Nec Græcorum ſciſſura, nec Iudæorum reliquiæ Catholicæ Chriſti Eccleſiæ notis inſigniuntur. Et Iudaicus grex non tantum iſtas non habet, ſed etiam iuſtas piæ olim & Deo dilectæ Synagogæ teſſeras amiſit. Vbi igitur eſt tua, vt tu quidem illam ſapienter ſcilicet iactas, *inuicta conſequentia?* quæ vix viſa, victa eſt. Nec quicquam virium habet illa adiecta querula calumnia, nos in communibus fidei noſtræ fundamentis explicandis, *valdè loquaces & garrulos eſſe*, in ſingulorum

gulorum

gulorum verò dogmatum probatione, *obmuteſcere, nec vllum ſolidum argumentum proferre poſſe.* Sed quàm muti ſimus in Cõtrouerſijs peculiaribus, & quàm Meiſnerus ad mentiendum neſciat obmuteſcere, vel ex vnius Bellarmini quatuor Tomis, liquidò conijci poteſt. Et quàm ſolida ſint eiuſdem Bellarmini argumenta, veſtra in refutando mora non leuiter indicat: Nec vnus veſtrum, nec plures, nec omnes plenũ ad omnia reſponſum adornâſtis & edidiſtis. Non igitur diffidentiæ metu, ſed compendij ſtudio ſæpiùs vos generalibus argumentis aggredi malumus. Prolixior eſt in particularibus quæſtionibus, breuior in generalibus fundamentis pugna. Ibi difficilior, tardior, occultior; hic facillima, celerrima, euidentiſſima eſt victoria noſtra. Ideo Meiſnerus ſuadet, *vt à Rhetoricatione de communibus fidei Romanæ prærogatiuis ad ſpecialem ſingulorum articulorum probationem auocemur.* Nimirum citò & apertè vinci, quod nos illi non inimico animo optamus, fugit.

Argumentum IIX. Meiſ. hoc proponit. *Sunt cognitu difficilia, quod inprimis intellectum volumus, de ſanctitate & miraculis, de Conciliorum canonibus & Patrũ ſententiis.* Cæcutientes etiam clariſſima ægrè vident. Quid mirum, Meiſnerum cum muribus & ſui ſimilibus veſpertilionibus, & ſanctitatis & miraculorum claram in Catholica Eccleſia lucem, fulgidaq; Patrum ſidera nictare? *Quis facilè diſcernet*, inquit Meiſnerus, *num vera & diuina, num verò diabolica ſint miracula, quæ eduntur?*

Digitized by Google

Bonus, ſincerus, ab odio & pertinacia purgatus animus: qualis nec olim Phariſæorum ergà Chriſti, & Porphyrii, Eunomii, Vigilantii ergà Martyrum; nec hodie Meiſneri ergà Catholicæ Eccleſiæ miracula eſt. Chriſto mira facienti & dicenti, *Si opera non*
Ioan. 15. 24. *feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent*, nimirum Meiſnerus illud ſuum obiicere, *Sunt cognitu difficilia*, & cum Phariſæis, tanquam contrà Dæmonum præſtigias, murmurare non erubuiſſet.

Sed difficile quoque ſcitu videtur prædicanti, *num Chriſtiana ſit, an ſimulata ſanctitas, quæ cernitur.* Non eſt difficile ſcitu, in quod Deus apertis prodigiis, & totus orbis communibus ſuffragiis conſpirat. Quis eſt, qui de Auguſtini, Ambroſii, Chryſoſtomi, Bernardi, Dominici, Franciſci, vt ex pluribus ſanctis noſtratibus paucos nominem, ſinceriſſima ſanctimonia dubitet? Et Lutherus, & Philippus, ne Chriſtiano orbi contradicerent, tres poſteriores è nominatis in ſanctorum numero habere nihil dubitarunt. Hypocriſis pauculis aliquandiu, toti Orbi diu imponere non poteſt.

At denique longè difficillima cognitu eſt Meiſnero Conciliorum & Patrum concors ſententia. Primùm enim, quis *omnia Patrum Doctorumq́ue ſcripta euoluat?* Qui docendi munus in Eccleſia habent, illorum eſt fidem Patrum, qui ante ſe in Eccleſia docuerunt, ſcire & ſeruare; Eam ad rem cum Scripturis

Patres

Patres voluendi? quos euoluere Catholicis Doctoribus, qui vxoris & liberorum negotioſiſſimis curis, vt Prædicantes, non impediuntur, minimè eſt difficile. Antiquus hic Eccleſiæ Dei mos eſt, vt exortis fidei controuerſijs, ad Patrum cōcordem ſententiam intentus ſit animus. Epheſini Concilij Sacerdotes penè ducenti, quanto ſtudio ſanctorum Patrum, qui antè vixêre, ſententias contra Neſtorium ex oriente & occidente collegerunt, *ne*, vt Lirinēſis loquitur, *aliquid poſteris traderent, quod à patribus non accepiſſent.* Et vt aliqui diuturnioris laboris impatientes ſint, alieni laboris beneficio compēdium ſui facere poſſunt. Extant circa controuerſas hodie fidei quæſtiones omnium Patrum per omnes ætates teſtimonia magno numero diligenter collecta à Iodoco Coccio; præcipuorum & antiquorum Patrū ſententiæ de ijſdem quæſitis accuratè diſponuntur in maiori Petri Caniſij opere Catechiſtico; proſtant in eodem genere Confeſſiones Tertulliani, Cypriani, Auguſtini, Ambroſij, per varios editæ. Hi libri conſulantur, periclitandæ illorum fidei Patrum opera locis citatis inſpiciantur, & Patrum concors ſententia, quantumcunque de illa deſperare iubeat Meiſnerus, de ſingulis hodie agitatis controuerſiis, non multo tempore clariſſimè cognoſcetur. Sed inquit Meiſnerus; *Omnes ſectæ Concilia & antiquos Patres nonnunquā pro ſe allegant.* Benè *nōnunquam:*

Vincent. Lirin. aduerſus hæreſ. c. 42.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

nam ſectis adeò Patres fauent, vt eorum teſtimoniis, quod nos perpetuò & copioſè facimus, nō niſi rarò & ſtillatim vti poſſint. Nota eſt iam in vulgus quoq; hoc in genere ſcripto voceque publicè demonſtrata Iacobi Heilbrunneri infamia, & ne obſcurus lateat impudentiſſimus Patrum corruptor Fabricius Caluiniſta, eius ego ſubleſtam fidem paſſim hoc libro publicè teſtatam faciam.

Illa etiam religioſiſſimo Meiſneri animo difficultas ſe ingeſſit; *Sæpius ſuboriri poſſunt*, ait, *hæ fluctuationes, nondum omnes Patres legiſti, nec omnium ſcripta ad nos peruenerunt, fortè aliud tradiderunt illi, quorum monumenta interierunt, fortè ſcripta ipſorum ſunt ſuppoſititia vel caſtrata.* O ſcrupulos Prædicanticos! ô nugas! Vani hi timores ſunt, & animum Eccleſiæ Catholicæ totiuſque Chriſtiani orbis, conſtanti etiam de Patrum ſcriptis iudicio ſecurè adhærentem nihil turbant. Omnium artium & omnis hiſtoriæ in humanis rebus fides peribit, ſi iſtis ſuſpicionibus attendendum eſt. Legit quis Quintilianum præcepta dicendi tradentem, Liuium res Romanas narrantem, & vtrique cum vniuerſo propè orbe credit. An tuta fides? non certè, ſi quidem Meiſneriani hi ſuſurri audiantur. Nondū omnes Rhetores, omnes Romanos hiſtoricos legiſti; fortè aliud tradiderunt, quorum ſcripta ad nos non peruenerunt, fortè Quintiliani ac Liuij ſcripta ſuppoſititia vel caſtrata ſunt? Apage cum his gerris

Prædi-

Digitized by Google

Prædicans: humanum genus talibus inanijs non mouetur.

Et denique vt huius argumentationis vanitas magis pateſcat, dic age, Meiſnere: Quod eſt ad veram fidem ſuſcipiendam optimum medium? vnica ſcriptura; prędicatio ſcripturę ſacrę conſentanea. Audio; & dico tibi: Hoc cognitu difficile; quis vt credat, totum Biblicum codicem euoluat? quotuſquiſq; totum percurrit? quomodo quietus erit antequam totum perlegerit? quid facient plures Analphabeti? & omnes ſectæ ſcripturas perpetuò iactant, & nihil quod ſcripturis nō confirment, proferunt; fortè etiam ſcripturæ partes aliquæ interierunt? & in ijs fortè alia quædam tradebantur; fortè nonnulli ſcripturæ libri non ſunt legitimi aut malâ manu vitiati? His ſuſpicionum fluctibus iactato animo, quem portum oſtendes, Meiſnere, ſi tua de Patribus aduerſus nos diſputatio multum, ſi diuina per os Eccleſiæ traditio & populi Chriſtiani cōſenſus nihil apud animum tuum roboris habent? Vides, quàm nos nihil; aut te tuoſq; plus ferias hoc telo?

Nonum à Phariſæis telum petit Prædicans. *Sunt Phariſaica; ijſdem enim notis proculdubio pugnarunt olim Phariſæi aduerſus fidem Chriſtianam & Apoſtolicam.* Notæ, quibus Prædicantes ſuam Eccleſiam inſigniunt, hæ duæ laudantur, purum Dei verbum, & ſacramenta

menta. Dicam ego; Iudæi & Phariſæi his ſymbolis contra Chriſtianos pugnarunt; ergo Iudaica & Phariſaica, & Prædicantes Phariſæi ſunt. Quis neſcit, quanta fuerit Iudæorum de lege Domini; & Sacramentis aduerſus gentes gloriatio? Nobis, inquiebant, Lex data eſt à Deo per Moſen, nobis credita ſunt eloquia Dei, iudiciorum formam & ſacrificiorum ritum ipſe Deus nobis præſcripſit, circumciſionis ſignaculo in Dei peculium illo jubente notati ſumus. Ità illi pro Moſis Lege & Circumciſionis ſacramento pugnabant: ſe, quòd ex Lege viverent & circumciſi eſſent, vnicum Dei populum; Apoſtolos, quòd ceremonias Legis abrogarent, & Circumciſionis Sacramentum antiquarent, diuini verbi violatores; gentes à ritibus & Sacramentis ſuis, etiam à ſalute alienas pronunciabant. Sed nimirum hunc Iudæorum faſtum, Paulus binis ad Romanos & Galatas litteris magna vi ac contentione depreſſit. Quæro igitur ex te Meiſnere, cùm tuam Eccleſiam à puro Dei verbo & Sacramentis veris contra noſtram commendas, quia ſimilibus notis ſuam Synagogam contrà Chriſtianorum cœtum Iudæi & Phariſæi prædicarunt; an Iudaizes & Phariſaizes? Nequaquam, dices, illi enim Legem & Sacramenta vetera, quæ Chriſti aduentu obliteranda erant, vanè iactarunt, nos nouæ legis Euangelio & Sacramentis, quæ à Chriſto accepimus, verè

glo-

Digitized by Google

gloriamur. Quaſi verò nos Sacerdotium Aaronicum, ſucceſſionem Leuiticam, originem Moſaicam, ſynedrium Iudaicum, cùm Eccleſiæ noſtræ, hoc eſt, Catholicæ, dotes numeramus, attingamus. A Chriſto & Apoſtolis, eorumq́; Principe Petro originem, ſacerdotium, ſucceſſionem deducimus. Apoſtolorum & ſuccedentium Epiſcoporum Concilia producimus, ſanctitatem prædicamus, miracula exponimus. De Moſe, Aarone, Leuitica tribu, Rabbinis Iudęorum nihil ſolliciti ſumus. Sed Iudæi quoque ſuis illis Notis, dum benè in venturum Chriſtum crediderunt, aduerſus Apoſtatas benè vti potuêre; cùm verò Chriſtum præſentem reiecerunt, clariſq́; de illo ſcripturis repugnarunt, malè illis fundamentis cadentē Synagogam fulciebant, cùm iam miracula illis nulla, Chriſto & Apoſtolis innumera ſuppeterent, quibus Synagogæ caſus multò antè à Prophetis prædictus demōſtraretur. Agite, Meiſnere & præcones reliqui, ſi nos Phariſæi, vos cum Luthero veſtro Apoſtoli eſtis, oſtendite in Scripturis Eccleſiæ Dei interitum, nouos mittendos Apoſtolos; Probate vos Apoſtolos eſſe, facite de mortuis viuos; hæc enim Apoſtolorum contra Phariſæos, hæc Chriſti arma fuêre, qui non tantùm ſine ſcripturis, ſed etiam ſine miraculis fidem noluit imperare & de perfidia Iudæos damnare. Vos de ſcripturis fucum, de miraculis nihil facitis;

Digitized by Google

tis; nos ſcripturas & miracula, quæ vos non niſi cū Phariſæis impudentiſſimè negare, aut calumniari poteſtis, habemus. Phariſæi non ſumus, nec vos Apoſtoli.

Vltima tria Meiſneri Argumenta refelluntur. §. *IV.*

DEcimum Argumentum Meiſnerus iſtud opponit. *Sunt diuinis aſſertionibus contraria.* Quot & quæ? quinque numerat Meiſnerus. *Credentiū multitudinem, externum ſplendorem, ſanctitatem in abſtinentia hypocritica & interdicto matrimonij ſitam, vana miracula, perpetuam Paſtorum ſucceſſionem.* Et cui diuinæ aſſertioni contraria eſt credentium multitudo? illi Domini dicto, quo *pauciſſimos fore fideles extremo mundi ſeculo prædictum eſt,*
Luc. 18. v. 8. inquit Prædicans, *Veruntamen veniens filius hominis putas inueniet fidem in terra?* Nimirum non ouum ouo, nec lac lacti ſimilius eſt, quā hæreticus hæretico. Ex Donatiſtarum pharetra hoc telum clepſit Meiſnerus, nam & illi his Domini verbis ſuam paucitatem cōtra Catholicorum multitudinē commendarunt. Auguſtinū teſtēdo, qui hunc imperitum Meiſneri & Symmiſtarum ictum iam olim fæliciter eluſit,
De vnit. Eccl. c. 15. cum de Donatiſtis ita ſcripſit; *Item dicunt de Apoſtaſia orbis terrarum dictū eſſe, quod ait Dominus: filius hominis veniens, putas inueniet fidem in terra? quod nos intelligimus dictum, vel propter ipſam fidei perfectionē, quæ ita difficilis eſt in hominibus vt in*

ipſis

Digitized by Google

ipſis quoq; admirabilibus ſanctis, ſicut in ipſo Moſe, inueniatur aliquid, vbi trepidauerint, vel trepidare potuerint, vel propter iniquorũ abundantiam & paucitatem bonorum, de qua ſatis diximus. De eximia ergo quadam fide, vel ea quæ per dilectionẽ operatur, & ſanctos facit, non de illa, quæ plurimis quoq; malis in Eccleſia communis eſt, Dominum locutum eſſe Auguſt. docet, qui tamẽ infra eadem verba Aduerſariorum arbitrio intellecta, in ipſosmet dexterrimè retorquet: *Veruntamen iſtos miror*, ait, *non attendere quid dicant, cum velut pro ſe commemorant, quod ait Dominus; Filius hominis veniens, putas inueniet fidem in terra? quaſi Africa* (dicam ego Meiſnero, Germania) *nõ ſit terra? Si enim hæc ita dixit, tanquam omninò in nullis inuenturus fidem, aut de quadam terra dixit & incertum eſt, de qua dixerit, aut de tota terra dixit, & non inueniunt quomodo non de Africa* (Germania) *non dixerit: ſanè videant, ne fortè conſequentibus verbis tales tetigerit, quales iſti ſunt. Cùm enim dixiſſet, filius hominis putas inueniet fidem in terra, credo quia poterat quibuſdam ſuperbis hæreticis, qui in aliqua parte terrarum ſe ab orbis vnitate ſeparauerunt, aſcẽdere in cor vana & inflata cogitatio, quod ipſi eſſent iſti, deficientibus & pereuntibus à fide cæteris gentibus, per quas Eccleſiæ Communio dilatatur continuò ſecutus Euangeliſta, Dixit autem, inquit, ad quoſdam, qui ſibi iuſti videbantur, & ſpernebant cæteros, ſimilitudinem iſtam etc.* Vide, Meiſnere, quàm illâ Domini ſententiâ vel Catholicos nihil, vel Lutheranos quoq; tuos valdè ferias, atque illos inſuper, qui ab orbis vnitate ſeparati ſe ſolos cæteris genti-

De Phariſæo & Publicano.

bus pereuntibus per fidem ſuam certo certiùs iuſtos iactitant, Phariſaiſmi, de quo nos criminaris, manifeſtò reos facias.

Sed cui ſcripturæ repugnat Eccleſię Catholicę ſpendor & gloria? Illis Chriſti verbis, quæ à Phariſæis de aduentu regni Dei interrogatus protulit a-
Luc. 17. 20. pud Lucam; *Non venit regnum Dei cum obſeruatione.* Non
De vnit. Eccleſ. c. 19. poſſum, quin dicam cum Auguſtino? *Aliquid proferte, quod non egeat interprete, nec vnde conuincamini, quòd de alia re dictum ſit, & vos illud ad veſtrum ſenſum detorquere conemini.* Talia enim ſunt hæc Chriſti verba, vt quid regni Dei nomine intellexerit, difficile ſit certò edicere, nec eadem omnium interpretum mens fuerit. Alius aduentum Chriſti primum ad redimendum; alius alterum ad iudicandum mundum; aliquis gratiam Chriſti in animos illapſam; non nemo Eccleſiam Catholicam à Chriſto ſignificari arbitratur. Quid ergo tàm præfidenter Meiſnerus ſummam victoriæ ponit in ſenſu horum verborum de Eccleſia, qui interpretibus incertus, imò ſi ſcripturæ contextus, quem optimi interpretis loco habent Prædicantes, inſpiciatur, minus probabilis eſt? Loqui enim Chriſtum de primo ſuo in mundum aduentu non ſolùm ex verbis conſequentibus, quibus de altero ad iudicium aduentu cum diſcipulis tractat, veroſimillimum euadit, ſed ex eorum etiam, quibus id reſponſum dat, vanâ coniectura: Ex-

Digitized by Google

Expectabant enim Phariſæi pompam comitatumque regiũ, ex quo Meſſiæ aduentum cognoſcerent, atque obſeruarent. Neque igitur omnem ſui aduentus obſeruationem reijcit; quis enim illam, quæ ex ſcripturis, miraculis, præcurſoris teſtimonio hauriebatur, improbet? Sed inaniſſimum regij faſtus indicium de ſuo regno, quod non eſt de hoc mundo, eſſe oſtendit. Et idcircò addit; *Neque dicent ecce hic, aut ecce illic*, vti ſcilicet de Regis illuſtriſſimo aduentu publicâ famâ dici conſueuit. Sed demus Meiſnero per Regnum Dei Eccleſiam denotari, nihil tamen ex illis Domini verbis aduerſus Eccleſiæ Catholicæ amplitudinem, quod illam damnet, eliciet. Quam enim obſeruationem ab Eccleſia remotam vult Prædicans? an Regiarum opũ affluentiam? Scimus & fatemur Eccleſiam pauperem natam eſſe & aduenisſe, neque enim aduentus Sponſæ inde agnoſci debuit, vnde ſuum noluit agnoſci Sponſus: nec tamen ignoramus etiam à Prophetis prędictũ eſſe quondã, de opibus liberali Regum manu in matrem Eccleſiam olim effundendis, quibus illa non ad ſuperbum dominatum, & immodicum luxum abuteretur, ſed verum Dei cultum magnificè propagaret, & graues pauperũ miſerias benigniſſimè ſubleuaret. Neq; tamen in his adultæ Eccleſiæ diuitiis ſplendorem Eccleſiæ Catholicæ collocamus, non inde illam obſeruamus,

mus, ſed ex terminis terræ & ſæculorum occupatis, ex clariſſima ſanctimonia, illuſtriſſimis miraculis, & id genus aliis. Hanc ſi obſeruationem hîc proſcriptam vult Meiſnerus, næ ille nimium quantum diuinis aſſertionibus eſt contrarius. Annon Chriſtus apertè locum, in quo cæptura & ad quem protendenda eſſet deſignauit, cùm Apo-
Luc. 24. 44. ſtolis rediuiuus imperauit, *prædicari in nomine eius pœnitentiam ac remiſſionem peccatorum per omnes gentes, incipien-*
De vnit. Eccleſ. c. 10. *tibus ab Hieruſalem.* Quid, ait Auguſtinus, *hac voce veracius, quid diuinius, quid manifeſtius? Me piget eam commendare verbis meis, & hæreticos* (inter quos Meiſnerus) *non pudet eam oppugnare verbis ſuis:* imò etiam Domini verbis, quaſi ille, qui veritas eſt, dicere potuerit repugnantia: nam cùm nos in omnibus gentibus Eccleſiæ radios obſeruandos dicimus, Meiſnerus regnum Dei cum obſeruatione, ipſius Domini teſtificatione, non venire ingeminat; quaſi verò his verbis obſcurioribus eam obſeruationem proſcripſerit, quam apertiſſimis deinde diſcipulos poſt glorioſum in vitam reditum edocuit. *Te-*
ibidem. *neamus*, inquit Auguſtinus, *Eccleſiam ex ore Domini deſignatam, vnde cœptura, & quouſque peruentura eſſet, cœptura ſcilicet ab Hieruſalem, & peruentura in omnes gentes,* Vnius gentis obſeruatio, ſi de Eccleſia illa verba accipienda ſunt, à Domino rectiùs prohibita creditur, cùm enim dixiſſet, *Regnum Dei non venit cum obſeruatione,*

ſubiecit,

ſubiecit, *neque dicent, ecce hic aut ecce illic.* Ita Eccleſiam obſeruant hodie cum Donatiſtis Lutherani: illi dicebant, hîc in Africa, neque alibi vera eſt Eccleſia; iſti dicunt, hîc in Germania Europæ particula ſolùm ſupereſt Dei Eccleſia. Ita gladius eorum in nos vibratus intrat in corda ipſorum, & verè illis de hoc Chriſti dicto, quod de alio Sponſæ in canticis Auguſtinus Donatiſtis dixit, dici poteſt; *Videtis nunc illud, quod proferre conſueſtis* , Regnum DEI non venit cum obſeruatione, *quemadmodum excuſsis omnibus eiusdem loci verbis aliud indicat, quàm vos putatis.* *De vnit. Eccleſ. c. 19.*

Verùm videamus quàm ſtrenuè calumnietur Eccleſiā Catholicam, & ſcripturę ſacræ ſenſum adulteret Meiſnerus, vt aliquid contra Eccleſiæ ſanctitatem dixiſſe videatur. *Iactitant*, inquit, *ſanctitatem in obſeruatione hypocritica & interdicto matrimonij ſitam.* Penè quot verba, tot calumniæ. Eccleſia in ieiunio nec iactantiam, nec hypocriſin, ſed DEI gloriam, corporis caſtigationem, mentis purgationem, Chriſti patientis aliquam imitationem, peccatorum vindictam quærit, & affectat. Non profert Eccleſia matrimonij interdictum: aliud enim eſt matrimonium vetare, aliud Sacerdotibus, qui liberè meritoque ex lege Eccleſiæ, voto perpetuæ caſtitatis ſe obſtrinxerunt, nuptias ſacrilegas prohibere. Hoc, non illud, facit Eccle-

ſia,

Digitized by Google

ſia, nec illud ex hoc, niſi fallax ſophiſta, qui à dicto ſecundum quid, ad dictum ſimpliciter procedit, colligit. Nam ſi hæc collectio firma eſſet; Eccleſia prohibet Sacerdotibus coniugium, ergo coniugium prohibet; & illa ſtaret; Paulus Apo. 1. Tim. 5. viduas quaſdam nubentes, quòd fidem primam irritã fecerint, damnat: ergo damnat nubẽtes. Peſſima illatio, in qua verũ eſt Antecedens, conſequens verò, præterquã quòd mendax in Paulum contumelia eſt, ex Antecedente minimè infertur. Et tribus demùm, de iactantia, hypocriſi & interdicto matrimonij, calumnijs, in tam breui ſententia, non contentus Meiſnerus, coronidis inſtar hanc quartam addit, quòd ſanctitatẽ in abſtinentia cibi thoriq; collocemus. Sunt hæc magna ad ſanctimoniam ſingularem præſidia, non tamen omnibus neceſſaria: In Charitate Dei & proximi ſummam perfectionem Catholica doctrina conſtituit; etiam in coniugio & communi victu ad ſanctitatem aditus eſt. Conſentimus Chryſoſtomo dicenti; *Ieiunium in choro virtutum certè vltimum ſortitur locum. Præcipuæ virtutes ſunt charitas, humilitas, miſericordia, quæ & ipſam virginitatem ſuperant.* Sed vt ieiunia, quæ Chriſtiani omnes nonnunquam Eccleſiæ iuſſu ſuſcipiunt, & continentiam, quam ſacerdotes eiuſdem decreto profitentur, diuinæ ſcripturæ repugnare Prædicans demonſtret, exclamat. *Aſt hæc Dæmoniorum dogmata eſſe dicuntur.* 1.

Hom. 47 in Math.

Tim.

Digitized by Google

Tim. 4. O impudentiam Prædicanticam. Dæmoniorum dogma ab Apoſtolo dicitur prohibere nuptias & eſcas tanquam natura ſua malas, & non à bono Deo, ſed à malo genio creatas, *quia,* inquit Paulus, *omnis creatura Dei bona eſt.* Ita olim docuêre Ebionitæ, Marcioniſtæ, Manichæi, Encratitæ, alij: Catholici nec olim, nec hodie. Catholicorum doctrina de ieiunio & continentia Apoſtolica eſt, non diabolica; Auguſtinus loquitur; *Videtis,* inquit, *multum intereſſe inter hortantes ad virginitatem, bono minori bonum amplius præponendo, & prohibentes nubere, concubitum propaginis, qui ſolus propriè nuptialis eſt, vehementiùs accuſando; multum intereſſe inter abſtinentes à cibis propter ſacratam ſignificationem, vel propter corporis caſtigationem: & abſtinentes à cibis, quos Deus creauit dicendo, quod eos Deus non creauit. Proinde illa doctrina eſt Prophetarum & Apoſtolorum: hæc Dæmoniorum mendaciloquorum.* *l. 30. cōt. Fauſt. c. 6.*

Et miracula Catholicorum à Domino *Pſeudoprophetis circa mundi finem venturis adſcribi* Meiſnerus ſignificat, ſed non probat. Quid vaniùs quàm ſic argumētari. Pſeudoprophetę faciunt ſigna magna & prodigia, Catholici itidem faciunt, ergo Pſeudoprophetæ ſunt. Syllogiſmus ab ijs, qui vel ſummulas Dialecticæ didicerunt exſibilandus: eſt enim in ſecunda figura ex meris affirmatiuis. Quid Catholici cum Pſeudoprophetis in perpetratione mirorum commune habent? An quia non vera mi- *Matth. 24. v. 24*

racula, ſed ludibria miraculorum faciunt? Chriſto, Apoſtolis, antiquis Chriſtianis idem obiecerunt Phariſæi, Gentiles, Ariani, Porphyrius, Eunomius, Vigilantius: ab his Meiſnerus hanc calumniam mutuatus eſt. An quia falſam doctrinam prodigiis confirmant, Deus autem qui veritas eſt, mendacio ſuffragari non poteſt? Et hoc tam facilè negatur, quàm ſine argumento aſſeritur. Miracula noſtra gemina ſunt miraculis primarum ætatum in Eccleſia etiam aduerſariorum calculo purâ. Et tunc ad ſepulchra Martyrum, ſacrarum reliquiarum contactu, ſanctorum poſtulata deprecatione, facta corporis Chriſti oblatione multa ſupra naturam, vti hodie, effecta ſunt. Aut illæ ætates quoque de Pſeudoprophetia accuſandæ, aut noſtra cum illis erroris ſuſpicione abſoluenda.

Ambr. ſer. 93. Hier. cōt. Vigilat. 4

S. Aug. de ciuit. 22. c. 8.

Sed quid deniq; Meiſnerus de Scriptura profert, quo continuam Paſtorum ſucceſſionem diuidat ac rumpat? *Antichriſtum in templo Dei ſeſſurum & Eccleſiam per multos annos Paſtaturum eſſe, aliquoties prænuntiarunt Apoſtoli.* An huic prędictioni contraria eſt perpetua atq; indiuulſa Paſtorum ſeries? Miror Miſnerum, qui inter ſuos Dialecticus nō vulgaris haberi vult, tam inſulſas & infirmas ê ſcriptura conſequentias cudere. Qualis enim hæc eſt illatio? Antichriſtus ab Apoſtolis dicitur ſeſſurus in templo Dei & Eccleſiam

2. Theſ. 2

Digitized by Google

cleſiam multis annis vaſtaturus; Ergo ſeries Paſtorum Eccleſiæ eſt interrupta. Quem tu hîc Antichriſtũ, Meiſnere, ſomnias? an Pontificem Romanum? At enim hoc non Apoſtolorum oraculum, ſed Prędicantium indoctiſſimum & craſſiſſimum figmentum eſt, Fundamento V. à me ſatis detectum. An vnum quendam hominem, qui paucis ante finem mundi annis Meſſiam ſe venditabit, & diuinos honores affectabit? Rectè. Sed quomodo, qui venturus eſt, ac nondum adeſt, Paſtorum Eccleſiæ, qui ante nos vſque ad nos fuêre, ordinem interturbat? Fac verò illum iam adueniſſe, & Eccleſiam Dei diu vexaſſe, an ideò Pontificum ſeriem interrupit? tam parum, quàm Arius, Neſtorius, Eutyches, ſimileſque peſtes, quæ Eccleſiam Dei diu olim afflixerunt; tàm parum, quàm Lutherus, Caluinus, Zvvinglius, qui hodie Eccleſiam vexant. Talis eſt ergo hæc Meiſneriana conſequentia de Antichriſto Templum Dei occupante, & Eccleſiam diu vaſtante, ideoque ſucceſsionem Paſtorum legitimorum abrumpente, qualis iſta; Arius olim, & Lutherus hodie Catholicorum templa occuparunt, & Catholicam Eccleſiam multis locis diu vaſtarunt, ergo Romanorum Pontificum, ſeu ſummorum Eccleſiæ Catholicæ Paſtorum ſeries abrupta eſt. Quid ineptius? Non ergo fundamenta Sereniſsimi Princi-

Digitized by Google

pis diuinis aſſertionibus, quod Meiſnerus oſtendere voluit, ſed Meiſnerianis ſcripturæ ludificationibus, quod nos demonſtrauimus, ſunt contraria.

Vndecimum Argumentum Prædicantis eſt. *Sunt fraudulenta: Nam eò collimant omnia, vt Chriſtiani à ſcrutiniò ſcripturarum abducantur, & poteſtas Romanæ Eccleſiæ aſſeratur.* Calumnia eſt iam ſupra refutata. quid? hæc fundamenta à ſcrutinio ſcripturarum abducunt? non à Scripturis abducunt, ſed ad Eccleſiam, qualem ſcripturæ nobis pingunt & monſtrant, adducunt. Illud verò nouum conuitium hîc non diſſimulandum, cum ait Meiſnerus à nobis *capi ſimpliciores hiſce carnalibus ratiunculis.* Quid enim in iſtis fundamentis carnem ſapit? An Eccleſiæ concordia, an ſanctimonia, an amplitudo, an Cõciliorum & Patrum nobiſcum conſenſus, an Petro data ſumma poteſtas, & in ſucceſſoribus hucuſque continuata? Hæc Chriſti dona, & ſpiritus diuini fructus ſunt, non carnis germina. Non noſtra Religio, ſed veſtra hæreſis carni adulatur. Apud nos multa carni moleſta, apud vos nihil: apud nos crebra ieiunia, multi continentes, longæ preces, ſeueræ peccatorum expiationes, ſpontaneæ corporis in ſeruitutem redigendi caſtigationes; omnia hæc apud vos longè exulãt. Nihil adeò noſtrum vobis inuiſum, & quod à noſtra religione tam vos abſterreat, quam auſterior carnis diſciplina: nihil adeò ad vos volupta-

pta-

Digitized by Google

pietatis, quàm honeſtatis ſtudioſiorem plebeculam illicit, quàm ſumma carnis indulgentia. Non itaq; fidei noſtræ rationes carnales ſunt, ſed eæ, quibus Lutherus in venerem & Bacchum pronus nouum Euangelium mundo propinauit, & mundi particula hauſit. Nolo indigeſtum calumniarũ aceruũ, quem hîc Meiſnerus veris argumentis, quibus fundamenta fraudulenta eſſe oſtenderet, deſtitutus in religionem Catholicam congeſſit, particulatim ſcrutari. Immemor enim partium diſputatoris, Rhetorem ſeu potius rabulam agit, & ab vna voce alio typo, ne artificium lateret, impreſſâ ſepties repetens orationem meris penè mendacijs nulla veriſimilis argumenti ſpecie fucatis religionem noſtrã egregius iſte orator imò arator proſcindit.

Duodecimum atq; poſtremum Meiſneri Argumentum iſtud eſt. *Denique humanis præcipue auctoritatibus fulciuntur. Multitudo verò adſtipulantium toties iactata, quid aliud eſt quàm humanum teſtimonium, quod errori non facit patrocinium?* Eccleſiæ Catholicæ teſtimonium ab ipſis diuinis ſcripturis ſæpius commendatum, diuinum rectiùs quàm humanum cenſetur: nõ tantùm ſtylum, ſed linguam quoq; Eccleſiæ ſanctus mouet, ac regit ſpiritus, vt qui illam audit, Chriſtum audire, & qui non audit, Ethnicus eſſe à Chriſto pronuncietur. Verendum non eſt vt patrocinetur errori columna & firmamentum veritatis. *Pleraq; fundamenta,*

Digitized by Google

pergit Meiſnerus, *non tam ſacris litteris, quàm Patrum dictis vitioſè nihilominus & ſæpe præter mentem ſcribentium accommodatis muniuntur.* Patrum dicta copioſè recitantur, vt veſtra in Scripturis interpretandis nouitas, & à priſca Patrum fide apoſtaſia clarius eluceſcat: ſi vitioſè producta ſunt oſtende, Meiſnere: niſi oſtendis, quod nec vno exemplo per omnes Theſes facis, calumniator es. Tua quidem Falſi crimina ex multis pauca, quæ in auctorum allegationibus libello contra conſultationem Leſſij commiſiſti, à Sacerdote Vngaro in lucem tam clarè prodita ſunt, vt in Apologetico tuo ad nonnulla aliud non haberes dicere, quàm palam confiteri. Aude, ſi potes, talem & mihi confeſſionem extorquere.

Quid verò deniq; tibi tam moleſtum eſt in ſingulis rationibus repetitum Principis & ad imitationem propoſitum exemplum? *Nemo,* inquis, *pius plus illo mouebitur, quàm olim Chriſtiani videntes multorum Principum, imò & Imperatorum ad Arianos ἀποστασίαν.* Quaſi verò idem ſit ab hæreſi ad Catholicam Eccleſiam redire, & ab Eccleſia in partes Arij, Lutheri, Caluini abire. Prius noſter Princeps, poſterius Imperatores in Arianiſmum olim lapſi, & hodie Principes Lutherum ſecuti fecêre. Auguſtinum à Manichæis ad Eccleſiam ijſdem rationibus, quod manifeſtiſſimè verbis Auguſtini adductis oſtendi, reuer-

Digitized by Google

reuerſum, nôn Imperatores ex Ecclesia ad Arium fugitiuos inſecutus eſt Sereniſſimus Princeps. Quod addis, *iam dudum in ſcripturis prædictum eſt, plurimos extremo ſeculo ab Apoſtolica fide diuortium facturos*, credo & impletum video non in Principe noſtro, ſed in illis, quos tuus Lutherus primò, tu verò tuique Symmiſtæ pergitis ad hoc diuortium cum certo exitio ſollicitare.

Concludit tandem generalem fundamentorum refutationem Meiſnerus Theſi XIX. his verbis. *Atque hæc fuerunt illa decem membra, quæ generalis reſponſi loco præmittere voluimus.* Copia, magnoq; numero gaudet Thraſo Meiſnerus, *illa decem membra*, inquit. Vix quinque ſunt, & decem iactat. Carpſit, initio noſtrorum Fundamentorum duodenarium, quòd reipſa eſſent tantùm vndecim: iurè carpendus ipſe, qui non duodecim pro vndecim minore exceſſu, ſed decẽ pro quinq; multò maiore numerat. Quid enim ſex de illis membris, niſi vnius argumenti ſub variis nominibus vaniſsimæ repetitiones & inaniſſimæ Tautologiæ ſunt? *Sũt Agrapha.* Quare? *Non ſunt in ſacris litteris fundata.* Theſ. IIX. *Sunt ſecundaria.* Quare? *Quoniã ex ſcripturis nõ deprompta* Th. IX. *Sunt exotica*, Quare? *quia non ſunt ἀποδεικτικὰ, quæ ex ſolis ſcripturis petuntur.* Th. XI. *Sunt incerta & fallacia.* Quare? *Cũ è ſcripturis nõ proferantur.* Th. XII. *Sunt fraudulẽta.* Quare? *Quia eô collimant õnia vt Chriſtiani à ſcrutinio ſcripturarũ abducãtur*, Th. 17. *ſunt huma-* *Meiſner. nugator.*

humana. Quare? *quia non tam ſacris litteris quam Patrum dictis muniuntur, & vrgent Principis deficientis exemplum, cum tamen non exemplis, ſed diuinis legibus ſit iudicandum.* Th. 18. O verboſum diſputatorem, & Arithmeticæ multiplicationis perquam peritum! Omnium ſumma eſt; hæc fundamenta non ſunt ex Scripturis deſumpta. Hoc vnicum argumentum eſt, ſi multorum verborum Locutuleij Meiſneri, qui ex quinque nouit decem facere, compendium fiat. Et illud nullum, quia falſum eſſe in tertio Argumento demonſtraui, ſed Prædicantibus familiare, quibus aliud in ore nihil, quam *Verbum Domini, verbum Domini,* ſcilicet Prædicantium non Domini ſenſu intellectum. Sed iam a Meiſneri generali irruptione ad Baſſecourtianæ tubæ primos ante pugnam abſurdiſſimos ſonos properemus.

CAPVT. II.

FABRICII BASSECOVRTI IN Præfatione ad Lectorem mala fides in Patribus & Theologis Scholaſticis citandis demonſtratur.

FAbricius in limine, non vti Meiſnerus certis Argumentis ordine poſitis fundamenta generatim inuadit, ſed in Ieſuitas, Romanam Eccleſiam, Myſterium Tranſubſtantiationis abſonos tua

ſua tuba clangores tumultuanti ſimilis edit. Vt ex vngue leo, ita ex primo ſigno hic tubicen non veri Dei, ſed mendacis Famæ tuba canere dignoſcitur. Turpe eſt ab ipſo limine errare: quid turpius, quàm primis verbis, & prima pagina, quod Fabricius fecit, plurium Patrum teſtimonia perfidè mutilare atq; corrumpere?

Epiphanius à Fabricio corruptus. § I.

PRima Fabricij ad Lectorem aduerſus Ieſuitas hæc verba ſunt. *Piè monet Epiphanius.* Agite vos ſerui Dei, qui certam regulam nouiſtis & via veritatis inceditis, ne diſtrahamini vocibus & vniuſcuiuſq; verbis. Erroneæ enim ſunt viæ horum, & accliuis callis adulterinæ eorum intelligentiæ; magna iactant. *Quod nullis melius conuenire puto, quàm nudiustertiùs ortis Ieſuitis.*) Pium eſt hoc Epiphanij monitum contrà hæreticos Catharos, ſed à Fabricio impiè & infideliter aduerſus Catholicos Ieſuitas detortum.. Epiphanius eo loco viam regiam, qua ad veritatem perueniatur, ſanctam Dei Eccleſiam eſſe, hac deſerta hæreſes per tranſitus ſepium perpetuò, donec in publicam viam redeant, errare aſſerit: hinc monet fideles, vt in via Eccleſiæ agnita maneant, & Catharorum, aliarumque ſectarum deuia caueant. Videamus nunc, quàm aptè Fabricius Reformatus moneat de Ieſuitarum viis fugiendis.

Epiph. hær. 59.

dis. Vnica regula & via, qua gloriantur ſe incedere Reformati, ſcriptura eſt, non Eccleſia; via notiſſima & tutiſſima ad hæreſum labyrinthos euitandos & Ieſuitis, & omnibus Catholicis, eſt ſancta Dei Eccleſia. Epiphanius alloquitur fideles viam Catholicæ Eccleſiæ tenentes, eoſque abſterret à via Catharorum ſingulari minimeque trita. Fabricius ſuos Reformatos in ſcripturis per diuerticula extra Catholicam ſemitam incedentes, à Ieſuitis viâ Catholicæ Eccleſiæ publica gradientibus auocat. Quàm obliqua hæc & diſtorta verborum Epiphanij vſurpatio? vt ea tamen recta videretur, buccinator iſte Caluinianus verba Epiphanij fregit ac mutilauit; eâ fraude Lectori perſuadere voluit, regulam certam & viam veritatis ab Epiphanio vnicam ſcripturam, erroneas verò vias, quidquid extra ſcripturam docetur, appellari, ideoque ijs verbis aptiſſimè Reformatos in vna ſcriptura conquieſcentes, contra Ieſuitas Eccleſiæ etiam, quod non eſt ſcriptum, dicenti credendum eſſe contendentes, præmuniri. Verùm enimverò ſi integra Epiphanij verba inſpiciantur, non tantùm iſtius Prædicantis violenta manus in Epiphanium tenebitur, ſed etiam tam hodie Catholicorum aduerſùs Caluiniſtas & Lutheranos, quàm olim eorundem contra Catharos efficax antidotum deprehendetur. Ità igitur Epiphani-

us

us Catholicos in via Eccleſiaſticæ Traditionis contra Catharorum auia figmenta manere ſuadet. *Quemadmodum*, inquit, *ſi quis tranſitum reperiat in ſepi circa publicam viam, & per hunc ſibi eundum eſſe putet, & relicta publica via per hunc eat, putans ſe propinquiſſimum habere, vnde reflexu facto rurſus viam apprehendat: ignoret autem quòd mons conſiſtit altiſſimus & longo interuallo exſtructus: percurrat autem & non reperiat, per quam viam exitum faciat, & per vnum ſignum ſiue milliare progreſſus, adhuc amplius viam non reperiat, & ſic ad plures ſe conuertat: Cùm autem ſic laboret, & facultatem non habeat, per quam viam ad rectum iter perueniat, fortaſſis neque inuenire poterit, niſi reflexerit per eam, per quam etiam ingreſſus eſt. Sic omnis hæreſis velut compendium quoddam inuenire potens à longa via diſceſſit. Inuentus eſt autem ipſi murus infractus, ipſa ignorantiæ implicatio. Et non vtique inuenerit talis, quomodo ad veram viam perueniat, niſi reflexerit ad primariam viam, hoc eſt, regiam: ſicut etiam lex ipſa palàm clamat ſancto Moſe ad Regem Edom dicente*; Hæc dicit frater tuus Iſraël; circa confinia tua tranſibo ad terram, quam iurauit Dominus Patribus noſtris daturum eſſe, &c. Non declinabimus hinc aut illinc, via Regia ibimus. *Eſt enim via Regia, Sancta Dei Eccleſia, & iter Veritatis. Vnaquaque verò harum Regiâ relicta, & ad dexteram vt ſiniſtram inclinatione facta, vbi deinceps nimium ſe in errorem dederit, diſtrahetur, & non amplius menſuram habet apud vnamquamq; ſectam erroris impudentia. Agite itaq; ſerui Dei, vos filii ſanctæ Dei Eccleſiæ,*

Digitized by Google

qui certam regulam nouiſtis, & via veritatis inceditis, ne retrahamini uocibus, & vniuscuiuſq; confictæ profeſſionis verbis; Erroneæ enim ſunt horum viæ & accliuis callis adulteratæ eorum intelligentiæ. Magna iactant, & parua ignorant, libertatem promittunt, cùm ipſi ſint ſerui peccati. Ità Epiphanius. Quid verò tu Fabrici antecedentia verba, quibus tu, tuique ſimiles à longa Eccleſiæ via recedentes depingimini, omiſiſti? Cur illa verba, *eſt enim via regia ſancta Dei Eccleſia*, tacuiſti? Cur verba quoque ex Epiphanio recitata interpolaſti, & illam appellationem honorificam, *vos filii ſanctæ Dei Eccleſiæ*, ſuppreſſiſti? Volens nimirum ſolam ſcripturam pro Eccleſia obtrudere, videbas profectò iſtis in medium prolatis non Ieſuitas, qui obedientes ſe Eccleſiæ filios præſtant, ſed Caluinianos miniſtros, hoſtiles Eccleſię deſertores, in certam ſuſpicionem erroris venturos. Meridiana enim luce clarius eſt, vtri à longa via antiquæ Eccleſiæ receſſerint, vtri breue viæ cōpendiū quærant, vtri ſolius ſcripturæ non Eccleſiæ diſcipulos ſe profiteantur, vtri libertatem promittant, Ieſuitæ, an Caluiniſtæ. Nos cum Epiphanio Eccleſiam & matrem piam, & viam longam, ac regiam & certam regulam agnoſcimus; vos cum Catharis hac matre & via deſerta, ſcripturæ ſenſum adulterātes pro Nothis & erronibus habemus, donec ad matrem optimam, & in antiquam viam redeatis.

Hi-

Hilarius ab eodem deprauatus, §. II.

CAtholicam Romanam Eccleſiam ſanctæ ciuitati, quam Ioannes Apoſtolus in ſacra Apocalypſi vidit, comparaui. Ea comparatio Fabricio admodùm diſplicuit: vt illam refelleret, à Patribus ſubſidium quærens & verè non reperiens, diras illorum in Romanam ſedem mendaciſſimè finxit. Ab Hilario ità orditur. *Quaſi verò Princeps ſagaciſſimus ignorare potuiſſet*, vbi ſit templum, in quo ſedet Antichriſtus, non Iudæus aliquis, inquit Hilarius, ſed qui ſub ſpecie prædicationis Chriſtianæ Chriſto erit contrarius; *Dummodò vocatus adfuiſſet aliquis, qui aduerſus Circea Ieſuitarum pocula antidotum decoxiſſet.* Imò tibi, Fabrici, qui omnem iam pudorem decoxiſti, contra inſignitam iſtam tuam impudentiã antidotum coquendum eſt. Hilarius libro contra Auxentium toto, nec verbo negat Antichriſtum fore Iudæum; nec meminit Romani Epiſcopi, nec agit de ipſo Antichriſto, ſed de eius prænuncijs & miniſtris hæreticis Ario & Auxentio Ariano Epiſcopo Mediolani, non Romæ Catholicum templũ occupante. Et audet Fabricius ſcribere ſecundùm Hilarium Romæ eſſe Templum, *in quo ſedet Antichriſtus, non Iudæus aliquis, ſed qui ſub ſpecie Chriſtianæ prædicationis Chriſto eſt contrarius.* Nec verba iſta, nec ſenſus illorum eſt in Hilario. Ità Hilarius loquitur. *Hanc*

Hilar. contra Auxent.

(pacem) *nos, fratres dilectiſſimi, & amiſſam quærere, & turbatam componere, & repertam tenere curauimus. Sed huius ipſius temporis noſtri peccata non meruerunt: nec imminentis Antichriſti præuij miniſtriq; ſunt paſsi: qui pace ſua, id eſt impietatis ſuæ vnitate ſe iactant, agentes ſe non vt Chriſti Epiſcopos, ſed Antichriſti ſacerdotes. Ac ne maledicis verborum in eos vti comitiis arguamur: cauſam perditionis publicæ, ne cuiquam ignota ſit, ne taceamus. Antichriſtos plures eſſe etiam Apoſtolo Ioanne prædicante cognouimus. Quisquis enim Chriſtum, qualis ab Apoſtolis eſt prædicatus, negauit, Antichriſtus eſt. Nominis Antichriſti proprietas eſt, Chriſto eſſe contrariũ. Hoc nunc ſub opinione falſæ pietatis efficitur. Hoc ſub ſpecie prædicationis Euangelicæ prædicatur, vt Dominus Ieſus Chriſtus, dum prædicari creditur, denegetur.* Quis non hîc videat fraudem Prædicantis, qui verba Hilarij tam mutilè & imperfectè, ac quædam ſua eodem typo, quo Hilarij, deſcripta tanquã Hilarij retulit? Annon Hilarius apertè loquitur de præuijs miniſtris Antichriſti, de pluribus Antichriſtis, qui etiam tempore Apoſtolorum hæreſes de Chriſto docuerunt? An non de Ario & illius aſſeclis agit, cùm ait; *Hinc illæ variæ opiniones: hinc ſub vnius Chriſti fide prædicatio plurimorum. Hinc Arij ſpiritus nuper ex Angelo Diaboli in lucis Angelum figuratus; cuius hæreditas nominis* (vt Lutheri ad Meiſnerum, & Caluini ad Fabricium,) *ad Valentem, Vrſatium, Auxentium, Germinium, Caium ſucceſsit atq; defluxit. Nam ipſi nunc Chriſtum nouũ, per quem Antichriſtus ſubreperet, intulerunt.* Multa dehinc

nar-

narrat de Auxentij Ariani apud Mediolanēſes Pſeu-doEpiſcopi inſignibus fraudibus, quā artem ab eo Fabricium, ſi tamē Hilariū ipſe inſpexit, citiſſimè didiciſſe, ſpecimen hoc in Hilario datum indicat. An non deniq; vltimis libri verbis Auxentium, qui Mediolani Catholicam Eccleſiā tenebat, pro Antichriſto haberi & caueri monet? *Vnum, inquit, moneo, cauete Antichriſtum.* Quia verò ſimplices decipi poterant eò, quòd Auxentius in templo Catholico, cui populus aſſuetus erat, doceret, addit Hilarius. *Malè enim vos parietum amor cepit. Malè Eccleſiam Dei in tectis, ædificiisq́; veneramini, Malè ſub iis pacis nomen ingeritis. Anne ambiguū eſt in iis Antichriſtū ſeſſurum? Montes mihi, & ſiluæ, & lucus, & carceres, & voragines ſunt tutiores, in iis enim Prophetæ aut manētes, aut demerſi Dei Spiritu prophetabant. Abſiſtite ab Auxentio Sathanæ Angelo: hoſte Chriſti vaſtato: perdito fidei negatore, quam ſic eſt Regi profeſſus, vt falleret, ſic fefellit, vt blaſphemaret.* Nihil ergo hîc Hilarius de Romano Epiſcopo, ſed de Ariano Mediolanēſi Auxentio, quē in tēplo, quod Catholicis eripuerat, tanquā Antichriſti nunciū audiri vetat, cùm & Antichriſtus ipſe in tēplo ſeſſurus ſit, & antiqui Catholicorū parietes, ſi noua intra illos doctrina inſonet, nihil ꝑſint. Nec verò ab Auxētij exemplo licebit Fabricio, vt fraudē nonnihil tegat, ità argumētari. Auxentius Arianus nouā doctrinā antiquę Catholicę repugnantē in tēplo Catholico docēs Antichriſtus fuit, ergo & Papa

Digitized by Google

Romanus, nouam fidem antiquis inauditam in Catholico templo docens, Antichriſtus eſt. Nam hæc conſequentia nulla eſt, donec Prædicantes probarint Romanæ Eccleſiæ doctrinam nouam eſſe & à veteri alienam: aliter olim Romanos Epiſcopos, aliter ſanctos Patres docuiſſe. Interea nos ex Hilarij de Auxentio ſententia inferemus: ergo Lutherus in VVittenbergico, & Caluinus in Geneuenſi templo Catholicis erepto, doctrinam antiquitati ad Apoſtolos vſque ignotam & contrariam (quod vel ipſi fatentur) populo proponentes, veri Antichriſti prænuntij ac miniſtri ſunt.

Bernardus violatus à Fabricio. §. III.

POſt impoſturam ex Hilario factam, inſigni Falſi crimine Fabricius S. Bernardi in Eccleſiã Romanam propenſiſſimi litteras ad magiſtrũ Gaufridum ſcriptas violauit iſtis verbis. *Vidit Bernardus Romam, certè non vt fidei murum, non gemmantia*
Ep. 125. *fundamenta, ſed inquit; Beſtia illa eſt, de qua in Apocalypſi, cui datum eſt os loquens blaſphemias, & bellum gerere cum ſanctis, Petri Cathedram occupat, tanquam Leo paratus ad prædam.* O effrontem calamum, ô falſam manum! Hæc de Roma, de Romano Epiſcopo Bernardus ſcripſerit? Luculentiſſima in Bernardum calumnia eſt. Nec de Romana Eccleſia, nec de legitimo Romę Epiſcopo, ſed de Antipapa Schiſmatico, hæc & alia id genus

gra-

grauiora Bernardus protulit. Petrus Leonis maligna factione poſt Innocentium II. legitimè electū, Pontificatus dignitatem inuaſit, Innocentium perſecutus urbe fugauit, Eccleſias Romanas deprædatus eſt. Bernardus cum orbe Chriſtiano, pro Innocentio contra Petrum Leonis, Anacletum nominatum, paucoſq; eius aſſeclas ſtetit, ac quatuor epiſtolis Innocentij innocentiam defendit, Petri ſceleratam ſuperbiam obiurgauit. Hunc ille Antichriſtū, abominationem ſtantem in loco ſancto, Baal, parricidam, beſtiam Apocalypticam appellauit: & audet impudens Fabricius aſſerere, hæc nominum dedecora à Bernardo Romanæ Eccleſiæ, eiuſque vero præſidi eſſe impoſita. Sed ipſe Bernard. loquatur, & innocentiam ſuam ab hac calumnioſa Caluiniſtæ manu vindicet. Ad Hildebertum Turonenſem Archiepiſcopum hæc ſcripſit. *Ecce namque Chriſtus Domini, iſte Innocentius poſitus eſt in ruinam, & in reſurrectionem multorum. Nam qui Dei ſunt, libenter iunguntur ei: qui autem ex aduerſo ſtat, aut Antichriſti eſt, aut Antichriſtus. Cernitur abominatio ſtare in loco ſancto: quem vt obtineret, incendit igni ſanctuarium Dei. Perſequitur Innocentium, & cum eo omnem innocentiam. Fugit ille, nimirum à facie Leonis* (alludit ad nomen ſchiſmatici Antipapæ) *ſicut dicit Propheta; Leo rugiet, quis non timebit?* Et paulò poſt de fuga Innocentij. *Pulſus vrbe*, inquit, *ab orbe ſuſcipitur. A finibus terræ occurritur cum panibus fugienti, etſi furor Semei Gerardi*

Vide Baron Anno Chriſti 1130.

Ep. 124

H Engo-

Engoliſmenſis (qui ab Innocentio ad Petrum Leonis transfugerat) *nondum ex toto quieſcat maledicere David. Velit nolit peccator, qui videt & iraſcitur; magnificatur in conſpectu Regum, portans coronã gloriæ. Nunquid non omnes Principes cognouerũt, quia ipſe eſt verè Dei electus? Francorum, Anglorum, Hiſpanorũ & poſtremò Romanorũ Rex Innocentium in Papã ſuſcipiunt, & recognoſcunt ſingularẽ Epiſcopũ animarum ſuarum. Solus adhuc ignorat Achitophel ſuũ iam patefactũ ac diſſipatum conſiliũ. Fruſtra molitur miſer ſuper populũ Dei malignare conſilium: excogitare aduerſùs ſanctos Sancto firmiſſimè adhærentes, & contemnentes curuare genua ante Baal. Nulla fraude præualebit Parricidæ ſuo obtinere regnum ſuper Iſraël, & ſuper Ciuitatem ſanctam* (En Bernardus Eccleſiam Catholicã Romanam, Ciuitatem ſanctã nominat) *quæ eſt Eccleſia Dei viuentis, columna fidei & firmamentum veritatis. Funiculus triplex difficilè rumpitur. Electio meliorũ: approbatio pluriũ: & quod his efficacius eſt, morũ atteſtatio, Innocentium apud omnes commendãt: Summum confirmant Pontificem.* Ità quoq; in literis ad Magiſtrum Gaufredum, cùm verba à Fabricio recitata contra Schiſmaticum Antipapã protuliſſet, infrà

Ep. 125. Innocentiũ ſic commendat. *Alemanniæ, Franciæ, Scotiæ, Hiſpaniarum & Hieroſolimorum Reges, cum vniuerſo Clero & populis, fauent & adhærent Domino Innocentio, tanquam filij Patri, tanquam Capiti membra, ſolliciti ſeruare vnitatem Spiritus in vinculo pacis.* Erubeſce Calumniator ad tantas laudes Innocentij Romani Pontificis, quem tu à Bernardo blaſphemæ beſtię nomine obiurgatum ſcripſiſti.

Digitized by Google

pſiſti. Non Romanam ſedem, nec illius verum Præſulem, ſed iniuſtum inuaſorem ità compellat. Romanum Epiſcopū ille Chriſtum Domini, Dei electum; Franci, Angli, Africani, Romani Regū ſingularem Epiſcopum; ſanctum, ſummum Pontificem; plurimorum Regum, vniuerſi Cleri & populorū Patrē ac Caput appellat. Antichriſti, abominationis, leonis, Baalis, parricidæ, beſtiæ blaſphemantis, & cum ſanctis pugnantis nomina, Schiſmatico lupo, non Catholico Paſtori imponit.

Hieronymus truncatus à Caluiniſta. §. IV.

NEc Hieronymus à crudeli manu tutus eſt: etiam in illum ſæuit, vt illum in Eccleſiā Romanam ſęuum fuiſſe lectori perſuadeat. Ità ergo de Hieronymo Fabricius. *De Roma Hieronymus;* *Ep. 17. ad Marcellam.* Hic locus, (*ſcilicet Bethlehem*) *ſanctior eſt rupe Tarpeia, quæ de cælo ſæpius fulminata oſtendit, quòd Domino diſpliceret. Lege Apocalypſin Ioannis & quid de muliere purpurata cantetur continere*. Duabus hîc S. Hieronymum iniurijs afficit Fabricius Primùm verba illius mutilè & vitioſè recitat. Deinde in Romanā Eccleſiam dicta vult, quę Hieronymus in ſequentibus verbis à Fabricio fraudulenter ſuppreſſis, nō ad Eccleſiam ſanctā Romanam, quam prædicat, ſed ad vrbis ciuiumq; mores, quos increpat, excertè refert. Deſumpta ſunt verba

Digitized by Google

ex epiſtola, quam Hieronymus, Paulæ & Euſtochij in Betlehem commorantium nomine, ad Marcellã Romæ degentem ſcripſit, eam adhortans, vt relictà Roma ob pompæ ſecularis ſtrepitum inquieta, Betlehem vrbem locis ſacris illuſtrem, & ab omnibus ſeculi turbis remotam, quietis ergò proficiſcatur. Laudat verò inter alia, præſertim ſpeluncam ſalutifero Chriſti ortu glorioſam, eamque ampliſſimis præfert palatijs. *Verumtamen*, inquit, *vt ad villulam Chriſti & Mariæ diuerſorium veniamus (plus enim laudat vnusquiſq; quod poſſidet) quo ſermone, qua voce ſpeluncam tibi poſſumus Saluatoris exponere? Et illud præſepe, in quo infantulus vagiit, ſilentio magis, quàm infimo ſermone honorandum eſt. Vbi ſunt latæ porticus? Vbi aurata laquearia? Vbi domus miſerorum, pœnis & damnatorum labore veſtitæ? Vbi inſtar Palatij opibus priuatorũ extructæ baſilicæ? vt vile corpuſculum hominis pretioſius inambulet, & quaſi mundo quicquam poſſit eſſe ornatius, tecta magis ſua velint aſpicere, quàm cælũ? Ecce in hoc paruo terræ foramine cælorum conditor natus eſt, hic inuolutus pannis, hic viſus à paſtoribus; hic puto locus* (ſpelunca ſaluatoris ſcilicet, non Betlehem, vt imperitè commentatur Fabricius) *ſanctior eſt Tarpeia rupe, quæ de cælo ſæpius fulminata oſtendit, quòd Domino diſpliceret. Lege Apocalypſin Ioannis & quid de muliere purpurata & ſcripta in eius fronte blaſphemia, ſeptem montibus, aquis multis & Babylonis cantetur exitu, contuere.* (non, *continere*, vt ſine ſenſu cum Solęciſmo legit indoctus Tubicen.) Quid verò hic abrupiſti Prædicans? nondum

eſt

eſt periculum detegendæ tuæ falſimoniæ. Pergit ergo Hieronymus. *Exite, inquit Dominus, de illa populus meus: & ne participes ſitis delictorum eius, & de plagis eius non accipiatis. Fugite de medio Babylonis, & ſaluate vnusquisque animam ſuam. Cecidit enim, cecidit Babylon magna, & facta eſt habitatio Dæmonum, & cuſtodia ſpiritus immundi.* Miror hæc omiſiſſe Prædicantem, quibus in fictam Romanæ Eccleſiæ infamiam plus poterat abuti. Timuit ſcilicet, ne lector in Hieronymo ea legens, in verba ſequentia incideret, & factam Hieronymo iniuriã notaret. Quæ enim ſequuntur, apertè oſtendunt priora Hieronymum non de Romana Eccleſia, ſed de Romanæ vrbis faſtu ſcripſiſſe. Hæc enim continuò ſubijcit; *Eſt quidem ibi ſancta Eccleſia,* (non magna Babylon) *ſunt Trophæa Apoſtolorum & Martyrum,* (non habitatio Dæmonum) *Eſt Chriſti vera Confeſſio,* (non ergo cecidit) *eſt ab Apoſtolo prædicata fides, & gentilitate calcata, in ſublime ſe quotidie erigens vocabulum Chriſtianum* (non ergo ideò exeundum & fugiendum Româ) *ſed ipſa ambitio, potentia, magnitudo vrbis, videri & videre, ſalutari & ſalutare, laudare & detrahere, vel audire, vel proloqui, & tantam frequentiam hominum ſaltem inuitum videre, à propoſito Monachorum & quiete aliena ſunt. Aut enim videmus venientes ad nos, & ſilentium perdimus: aut non videmus & ſuperbiæ arguimur. Interdúmq; vt reddamus viſitantibus vicem, ad ſuperbas fores pergimus, & inter linguas rodentium miniſtrorum, poſtes ingredimur auratos.* Vide Prædicans, quàm Hieronymus Ro-

manam Eccleſiam commendet, nec ob illius fidem & ſanctitatem, ſed ob ciuium ambitionē & populi frequentiam, ſanctioris vitæ & quietis cupidis vrbe excedere ſuadeat. Sed tu duabus Hieronymi corruptelis non contentus, etiam tertiā addere voluiſti: cùm enim vitioſè ex Hieronymo allegaſſes, *Continere* pro *contuere*, ità pergis nouum annectere tanquā Hieronymi conuitium de Romana Eccleſia. *Quid verò continet? Catholicæ fidei murum? Non, ſed cū Hieronymo in fronte nomē blaſphemiarum.* O frontem mēdacis Calumniæ nomine inquinatā. An idem Romanū Imperium, & Romana Eccleſia? De illo, non de hac apertiſſimè Hieronymus loquitur, dum illud Pauli; *niſi veniat diſceſſio primū* &c. Algaſiæ exponit, aitq; Paulum Theſſalonicenſibus obſcurè Romani Imperij interitum indicaſſe, ne apertis verbis Romanos imperij ſui æternitatem iactantes aduerſùs orientem tunc Eccleſiam concitaret. *Nec vult*, inquit, *apertè dicere Romanum Imperium deſtruendum, quod ipſi, qui imperant, æternum putant. Vnde ſecundum Apocalypſin Ioannis, in fronte purpuratæ meretricis ſcriptum eſt nomen blaſphemiæ, id eſt, Romæ æternæ. Si enim apertè, audacterq; dixiſſet, non veniet Antichriſtus, niſi prius Romanum deleatur Imperiū, iuſta cauſſa perſecutionis in orientem tunc Eccleſiam conſurgere videbatur: quodq; ſequitur, iam enim myſterium operatur iniquitatis, tantū, vt qui tenet, nunc teneat, donec de medio fiat, tunc reuelabitur ille iniquus, hunc habet ſenſum: multis malis atq; peccatis, quibus Nero impuriſſimus Cæ-*

q. 11. ad Algaſiā.

2. Theſ. 2. 3.

Ad Algaſiam q. 11.

ſarum

Digitized by Google

ſarum mundum premit, Antichriſti parturitur aduentus: & quod iſte operaturus eſt poſtea, in iſto ex parte completur, tantū vt Romanum Imperium, quod nunc vniuerſas gentes tenet, recedat, & de medio fiat, & tunc Antichriſtus veniet fons iniquitatis, &c. Non ergo Romana Eccleſia, non Petri ſacerdotiū habens ęternitatis promiſſionem ab ore veritatis, in fronte nomen habet blaſphemiæ ſecundùm Hieronymum, ſed Romanum Imperium, quod, qui imperant Cæſares, æternum putant. Myſterium iniquitatis, quod operatur Pauli tempore, non Romanus Epiſcopus, ſed crudeliſſimus Nero eſt: hic, non ille figura Antichriſti. Romanum Imperium, quod vniuerſas gentes tenet, non Eccleſia Catholica per gentes diffuſa, non Romana fides in vniuerſo mundo annunciata recedet, & de mundo fiet. Non igitur Hieronymus cum Ioanne Apoſtolo Romanæ Eccleſię fronti nomen blaſphemiæ inſcripſit, ſed Prædicans vrenda manu Hieronymo adſcripſit blaſphemiam. *Matth. 16.*

Tertullianus vitioſè citatus à Fabricio. §. *V.*

POſt Hieronymum, vt Romanę Eccleſię probrū probabilius faciat, etiā Tertullianū producit, & hæc ex illo verba, tanquā illius, peculiari typo profert. *Roma velut altera Babylō & velut prioris filia Babylonis.* Non ſunt hæc Tertulliani verba, nec vſquam toto cōtrà Iudæos libro legū tur. At, inquies, ſenſus *Lib. contra Iudæos c. 9.*

horum

horum verborum in Tertulliano eſt; ait enim, ſæpè ſcripturas diuinas *figuratè vti tranſlatione hominum, ex comparatione criminum*, & per Prophetam dici ad populum Iſrael; *Pater tuus Amorrhæus & mater tua Cethæa: quorum ex genere procreati non ſunt, ſed ob conſimilem impietatem, ſic & per Aegyptum, nonnunquam totum intelligi ſuperſtitionis & maledictionis elogio.* Cur non igitur & Roma, quæ Babylon à Ioanne vocatur ob ſuperbiam & crudelitatem, rectè dicatur *altera Babylon & prioris filia Babylonis*? Rectè potuiſſet ità loqui Tertullianus; at non ità locutus eſt, vt tu eum loquentem inducis. Non jam in ſenſu, ſed in verbis Tertulliani tuam fidem deſidero, Fabrici; ſed maluiſti aliena, quàm propria Tertulliani verba ponere, ne tuam fraudem omnium oculis exponeres. Ipſiſſima ergo Tertulliani verba ego recitabo, vt tua in Tertullianum & Romanam Eccleſiam malitia videatur. *Sic & Babylon,* inquit Tertullianus, *apud Ioannem noſtrum Romanæ vrbis ſignificationem portat. Proinde & magnæ, & regno ſuperbæ, & ſanctorum debellatricis,* An non clarè loquitur Tertullianus de Roma gentili, de vrbis amplitudine, Imperatorum faſtu, Chriſtianorum perſecutione, & ob hæc illam Babyloni confert? Quid hæc ad Romanam Eccleſiam, quæ nec imperio ſuperbiebat, nec ſanctos debellabat, ſed à Romanis Imperatoribus crudeliſſimè affligebatur? Ideò igitur Fabricius hæc clara Tertulliani verba ſubticens, generatim

Lib. cōt. Iudæos.

ratim

ratim Romam nominauit, vt ſuam fallaciam ſub fictis verbis occultaret.

Caſſandri, Coſteri, Bellarmini, Gelaſii, Gregorii de Valentia, circa myſterium Tranſſubſtantiationis corruptelæ à Fabricio factæ. §. VI.

CVm Fabricius primâ libri pagellâ quinque, & quidem altera illius facie quatuor Patres impudenter corrupiſſet, vt, quam orſus erat telam, eodem filo pertexeret, primâ ſecundę pagellæ facie idem crimen in quinque Theologos deſignauit. Dixeram ego in Præfatione, Bonum Deum Principi Sereniſſimo, altiſſimum diuinæ fidei murum ſublimibus myſteriis, totius orbis & ſedecim ſeculorum concordia firmiſſimè cohærentem oſtendiſſe. Hîc Fabricius, vt myſteriis Catholicæ fidei, quod Caluiniſtis Dei hominumq; irriſoribus ſolenne, petulantiſſimè illuderet, primùm ex Innocentij tertij libro de myſteriis Miſſæ, non ea, quæ ad ipſum myſterium, & rem ſacrificij pertinent, ſed quarundam ſecundariarum Ceremoniarum cauſſas myſticas ex ſenſu quorundam ſcripturæ locorum accommodatitio deſumptas in medium profert, & cum execrationis calumnia quæritat, an hæc ſint myſteria ſublimia, quibus fingitur murus Romanæ fidei fulgere? Minimè verò ſunt. Nõ conſiſtit Catholicæ fidei perfectio in Ceremoniis ſacris:

Digitized by Google

ctis: primariis myſteriis poſteriores ſunt Cæremoniæ, quæ ad illorum amplitudinem declarandam, & venerationem augendam ſalutariter inuentæ ſunt, & laudabiliter, nequicquam impijs Caluiniſtis frementibus, retinentur. Sed ipſe Fabricius, cùm hanc ſuam mimicam irriſionem parum myſteriis noſtris nocere animaduerteret, in Tranſſubſtantiationem, quam de altioribus Catholicæ fidei myſterijs profitemur, inſanus irruit, vt per illam Romanæ fidei myſteria ſublimia ſterneret vniuerſa. At quibus armis? meris fraudibus; nimirum dolus an virtus, quis in hoſte requirat. Non potuit ſcilicet, aliter myſterium hoc Romanæ Eccleſiæ, quàm ipſam Romanam Eccleſiam aggredi: & qui Patres in Romanæ Eccleſiæ odium vitiauit, Theologos in Traſſubſtantiationis expugnationem violare, vt cum mendacio triumpharet, debuit.

Primùm ergo Caſſandrum lib. conſult. art. 117. ſic de Tranſſubſtantiatione loquentem alieno typo inducit; *Hoc eſt portentum portentorum, quod planè noua ac portentoſa inuexit.* At liber ille Caſſandri tot articulos non habet, & in decimo, qui de Cœna & Tranſſubſtantiatione eſt, de verbis iſtis nihil reperire eſt. Dum ergo Fabricius locum Caſſandri nominet, in quo verba illa legere liceat, falſimoniæ notam non effugiet,

Vt

Vt porrò Tranſſubſtantiationem nōn ſedecim ſeculorum concordia cohæſiſſe cum Eccleſia Romana oſtenderet, Coſterum iniquiſſimè in ſui mendacii teſtimonium vocat. *Diem*, inquit, *natalem iſtius portentoſi fœtus citatum habemus à Coſtero Ieſuita, ante annos trecentos in Concilio Lateranenſi.* Coſterus nominis, non dogmatis originem refert in Concilium Lateranenſe: dogma ipſum apertis Chriſti verbis, & veterum Patrum Chryſoſtomi, Ambroſij, Euſebij Emiſſeni, Damaſceni luculentis teſtimoniis, qui multò ante Lateranenſem Synodum vixerunt, confirmat, ac denique confirmationem ità concludit; *Quamobrem ante trecentos annos in Concilio Lateranenſi ad rei iſtius tam admirabilis clariorem explicationem vſurpatum fuit nomen Tranſſubſtantiationis, vt intelligant Chriſtiani ſubſtantiam panis in ſubſtantiam Corporis Chriſti, & ſubſtantiam vini in ſubſtantiam ſanguinis eius vi diuinorum verborum transferri.* Annon clarè rem ipſam à diuinis verbis, nomen tantùm à Concilio originem traxiſſe docet Coſterus? Vidit Fabricius, & cùm poſſet errorem ſuum clarè, obſcurè tamen maluit corrigere, cùm ſubiunxit; *ſed de nomine ne laboremus, dogma examinemus, an ſedecim ſeculis cohæreat cum Romana Eccleſia;* Videamus ergo & cenſeamus Fabricianum examen. *In Enchir. c. 8.*

Vt antiquitatē Tranſſubſtātiationis tollat, ꝓducit primū Bellarminū cum Scoto his verbis; *Bellarminus*

nus tenet Scoti opinionem probabilem, non extare locum in ſcriptura ſacra, quo cogatur quis ſine Eccleſiæ determinatione admittere Tranſſubſtantiationem. Ibidem notat Scotum non de nomine, ſed de dogmate locutum: ſubiunxit illum erraſſe, quia conſenſum Patrum non legerat. Infidelis, falſa, ſubdola eſt hæc citatio. Primò enim verba Bellarmini proprio typo non fideliter recitat, dum quædam mutat, nonnulla omittit. Ità Bellarminus; *ſecundò dicit* (Scotus,) *non extare locum vllum ſcripturæ tã expreſſum, vt ſine Eccleſiæ declaratione euidenter cogat Tranſſubſtantiationẽ admittere. Atq; id non eſt omnino improbabile.* Nõ ergo refert Bellarminus ex Scoto nullum eſſe ſcripturæ locum, qui cogat ſine Eccleſiæ determinatione ad Tranſſubſtantiationem: ſed nullum eſſe tam expreſſum, qui euidenter ſine Eccleſiæ declaratione cogat; quas particulas admodùm ponderoſas ſubdolè omiſit Fabricius. Nec etiam hanc Scoti opinationem abſolutè probabilem cenſet Bellarminus, vti Prædicans de illo aſſerit, ſed infimum ei probabilitatis gradum, non omnino improbabilem nominans, tribuit. Fideliùs ergo ſcripſiſſet Prædicans; *tenet Scoti opinionem non omninò improbabilem, vel aliquantulum probabilem.* Quàm verò mancum & ineptum eſt illud eiuſdem de Bellarmino additamentum; *ſubiunxit illum* (Scotum) *erraſſe.* In quo? an in illo, quod paulò ante Bellarminus non omnino improbabile dixerat? hoc Fabricij, qui alterius erroris non meminit, verba inſinuant, ſed contra

l. 3. de Euchar. c. 23.

contra verum: quaſi verò Bellarminus tam parum ſui memor fuerit, vt intra paucos verſus idem non improbabile, & errorem dixerit; aut verò tam hebes, vt id, quod erroris arguitur, non improbabile dici poſſe putarit. In alio Bellarminus non omnino improbabiliter Scotum ſenſiſſe ait, & in alio eum minimè probat. Audiamus Bellarminum. *Vnum addit Scotus, quod minimè probandũ eſt; ante Lateranenſe Conciliũ non fuiſſe dogma fidei Tranſſubſtantiationem: id enim ille dixit, quia non legerat Concilium Romanum ſub Gregorio Magno, neque conſenſum illum Patrum, quem nos ſupra adduximus.* Quis non videt, quàm diuerſa ſint, quorum vnum Bellarminus aliquantulum, alterum verò minimè probat: & quàm ſiue fallaciter, ſiue inſcitè de Bellarmini cenſura ſcribat Fabricius? Ita nimirum omnia confundunt & turbant, cùm Theologos Catholicos legunt, & non intelligunt Alogi Prædicantes. Nec verò hæc Scoti de minùs antiqua Tranſſubſtantiatione ſententia quicquam Fabricio patrocinatur: nam is ex quadam circa Patrum veterum monumenta ignorantia ita errauit, vt, ſi de Patrum conſenſu reſciuiſſet, mentem certiſſimò mutaſſet: quomodo enim, qui Eccleſiam vno ſeculo ante in Concilio Lateranenſi congregatam, & ſcripturæ verba pro hoc myſterio declarantem tanquam Magiſtrã veritatis intrepidè ſecutus eſt, antiquorum Patrum pro eodem teſtimonia viſa, vel audita reprobaſſet?

At Fabricius ad fulgidiſſimam tot Patrum lucem in plurium Catholicorum libris ſæpius viſam adhuc in errore perſtat, nec iam veniabili cum Scoto ignorantia, ſed damnabili pertinacia cum hæreticis errat.

Pergit verò & ex ipſa antiquitate, fallax malæ cauſæ præſidium petere: Sanctum Gelaſium Papam, qui ſub quinti ſeculi finem vixit, tanquam Tranſſubſtantiationi infenſum producit. *Gelaſius Papa dixit, ſubſtantiam Panis & Vini in Euchariſtia naturam ſuam non amittere.* Itáne verò Romanus Papa Gelaſius hoc, Fabrici, dixit? Cur librum illius, in quo verba hæc ſunt, non nominas? Quem mihi teſtem das? *Reſpondet*, inquis, *Gregorius à Valentia Ieſuita. Hoc dixit vt priuatus Doctor.* Totus dolis ac fraudibus, ne grauius aliquid dicam, conſutus es. Gelaſio librum & verba cum Tigurinis Caluiniſtis, & Kemnitio Lutherano; Gregorio reſponſionem ex tuo doloſo cerebro affingis. Librum de duabus naturis contra Eutychetem, ex quo verba illa deprompta ſunt, Gelaſij Papæ non eſſe certum eſt, & luculentis Argumentis à Bellarmino, tum libro 2. de Euchariſt. cap. 27. ſub finem, tum vel maximè libro de ſcriptoribus Eccleſiaſticis, in Gelaſio Papa abundè demonſtratum. Cuius ſit, non ità liquet; aliqui enim eum Gennadij, alij Gelaſij Cæſarienſis eſſe cen-

Lib. 2. de Idol. c. 5.

cenſent, Cardinalis Bellarminus libro de Scriptoribus in Gelaſio Cyziceno, pagin. 235. & Baron. Tom. 6. Anno Chriſti 496. Gelaſij Cyziceni eſſe, probabiliſsimis Argumentis perſuadent. Certè ſi Gregorij de Valentia reſponſum, quod ille Herbrando hoc ipſum Teſtimonium tanquam Gelaſij obijcienti dedit, rectiùs, Fabrici, inſpexiſſes, & integriùs retuliſſes, vtraque in Gelaſium & Gregorium iniuria ſuperſediſſes. *Reſpondet*, inquis, *Gregorius, Hoc dixit vt priuatus Doctor*, Quaſi verò nihil aliud reſpondeat, imò quaſi verò hoc reſpondeat. Audiamus reſpondentem Gregorium, & mentientem Fabricium. Ità Gregorius ad Gelaſij prolatum teſtimonium. *Fertur*, inquit, *Gelaſius quinque libros contra Neſtorium, & Eutychen ſcripſiſſe, neque inter illius opera libellus ille, ex quo hoc Teſtimonium deſumptum eſt, numerari ſolet. Itaque non leuiter quidam ſuſpicantur fragmentum illud, Caluiniſtarum etiam opera Tiguri recuſum, Gelaſii non eſſe, ſed cuiuſdam potius Gennadij Maßilienſis Eccleſiæ Presbyteri, qui fertur ſcripſiſſe etiam contra Eutychen, & ſæpe aliàs errauit.* Cur hanc primam Gregorij de Valentia reſponſionem diſſimulas & ſupprimis, verſute Prædicans? ne tuum ſcilicet infirmum falſæ aut certè ſuſpectæ auctoritatis fulcrum cadat. Cæterùm cùm deinde Gregorius verba illa, ex quorundam ſententia ſecundæ reſponſionis loco, commodè ſine Tranſ-

ſub-

ſubſtantiationis detrimento explicaſſet, hanc tertio loco demum ſubijcit; *Quòd ſi maximè Gelaſius tanquam Doctor aliquis, nihil vt Pontifex determinans, & vnus item aut alter ex Patribus hac in re lapſus errore fuiſſet, habemus certè pro veritate Tranſſubſtantiationis nubem aliorum teſtium, vt magna ſit Herbrandi temeritas, quòd auctoritate Patrum, quam ſolet alioqui flocci facere, nobiſcum audeat decertare.* Vbi, Fabrici, eſt illa Gregorij reſponſio ad dictum Gelaſij? *Hoc dixit, vt priuatus Doctor.* O effrontem Prædicantem! Gregorius ait; Si Gelaſius, vt Doctor aliquis, hac in re lapſus fuiſſet, habemus certè nubem aliorum teſtium. Fabricius ait Gregorium de Gelaſio dixiſſe: *Hoc dixit, vt priuatus Doctor.* An idem eſt, *ſi dixiſſet hoc*, &, *hoc dixit?* an licet Fabricio ex propoſitione conditionali fabricare abſolutam? Licebit ergo huic Prædicanti tandem dicere ipſum Dominum malè locutum eſſe, quia dixit; *Si malè locutus ſum, teſtimonium perhibe de malo.*

Sed confugit demum Aduerſarius à Theologorum falſis allegationibus ad Caluiniſticas calumnias. *At in eo,* inquit, *Tranſubſtantiationis myſterio quænã vidit Princeps myſteria? Scilicet, creatura creatorem creat, idque facit quinque verborum prolatione; vidit fortaſſe corpus diuiſibile includi in puncto Mathematico; vidit dari corpus longum ſine longitudine, latum ſine latitudine, profundum ſine profunditate.* Imò in his verbis tuam videt malitiam, & ſtuporem, hominem ſine intellectu, caput ſine cerebro, frontem

tem ſine pudore. Corpus Chriſti non eſt creator, nec creatur, ſed de pane fit; *panis communis eſt*, inquit Ambroſius, *ante verba ſacramentorũ: cùm acceſſerit conſecratio, de pane fit caro Chriſti.* Creatio, rei ex nihilo productio, conuerſio, ſubſtãtiæ in ſubſtantiã mutatio eſt. Non de nihilo, ſed de pane fit corpus Chriſti. Ergo Creatorem creari, non myſterium noſtræ Tranſſubſtãtiationis, ſed Caluiniſticę impudentiæ calumnia eſt. Et eſt corpus Chriſti in ſacramento longum, latum, & profundum, non tamen ſecundùm loci differentias extenſum; differunt, vt natura & proprietas, quantitatis, & localis extenſio, ac diuerſa longè ſunt prædicamenta, quantitatis & Vbi. Non itaque corpus Chriſti longum eſt ſine longitudine, ſed quantitatis longitudinem ſine locali extenſione habet. Solet iſta illam naturaliter conſequi, ſed eius, qui ſupra naturam eſt, vi poteſt impediri. Non capit hoc Caluiniſticus ſtupor, quia craſſo ſenſu, non ſubtili fide, diuina myſteria metitur. *Res eſt*, vt cum Auguſtino loquar, *longè remota à vanorum hominum mentibus, qui nimis in hæc corporalia progreſſi atque lapſi, nihil aliud putant eſſe, quàm quod iſtis quinque notiſſimis nuncijs corporis ſentiunt: & quas ab his plagas atq; imaginationes acceperunt, eas ſecum voluunt, etiam cùm conantur recedere à ſenſibus, & ex earum mortifera & fallaciſſima regula, ineffabilia penetralia veritatis rectiſſimè ſe metiri putant.* Tales, cùm de Euchariſtiæ Sacramento agitur, Caluiniſtæ ſunt. Hæc igitur

lib. 4. de Sacram. c. 4.

De vtil. credendi c. 1.

tur Fabricio aduerſus fundamenta ciuitatis ſanctæ generatim duabus pagellis præfari & proferre libuit, decem ſcilicet, partim Patrum, partim Theologorum fallaciter interpolata verba, vt ſe non robore, ſed dolis pugnaturum primo ſpecimine ſponderet. Sed iam à cœleſti agmine primis generalibus hoſtium conatibus feliciter depulſis, ad ſingula fundamenta, à particulari vi atq; fraude horum Prædicantium tuenda, ſingulares Angelos in aciem producamus.

ANGE-

ANGELVS PRIMVS,

DEFENSOR PRIMI FVNDAMENTI, ANGELVS BALAAM. NVMER. XXII.

CVm Balaam ad maledicendum populo Dei à Rege Balac, quà honoris, quà munerum illecebris inuitatus, atq; à Domino ſeriò abſterritus, vincente tamen cupiditate, ad Iſraëlis maledictionẽ, contrà Domini mandatum properaret, Angelum Domini in via aduerſariũ habuit. *Surrexit*, inquit Sacra Scriptura, *Balaam* Num. 22
manè, & ſtratâ aſinâ profectus eſt cum eis (legatis Balac) *Et* 21. 22.
iratus eſt Deus, ſtetitq; Angelus Domini in via contrà Balaã, qui inſidebat aſinæ, & duos pueros habebat ſecum. Nec hodie populo electo, veræque Dei Eccleſiæ deſunt maledici Balaami, hæreſiarchæ cum pueris ſuis Prædicantibus, qui ſaccos maledictis impletos aſellis

Digitized by Google

vehunt, vt in Catholicam Eccleſiam exonerent. Prædixére hoc olim ex primis Eccleſiæ magiſtris, S.S. Petrus & Iudas, in Apoſtolicis litteris. *Fuerunt* 2.Pet.2. *verò*, inquit S. Petrus, *qui inducerent ſectas perditionis*. v. 1. *Et multi ſequentur eorum luxuriam.* v. 2. *Et in auaritia fictis verbis de vobis negotiabuntur.* v. 3. *Audaces, ſibi placentes.* v. 10. *in his, quæ ignorant, blaſphemantes.* v. 12. *Cor exercitatum auaritia habentes, maledictionis filij.* v. 14. *derelinquentes rectam viam errauerunt, ſecuti viam Balaam ex Boſor, qui mercedem iniquitatis amauit.* Et Iudas in Epiſtola Catholica eoſdem probè depingens, ait. *Hi autem, quæcunq; quidem ignorant, blaſphemant, quæcunq; autem naturaliter tanquam muta animalia norunt, in his corrumpuntur. Væ illis, quia in viam Cain abierunt, & errorē Balaam mercede effuſi ſunt.* v. 10. & 11. *Hi ſunt murmuratores queruloſi, ſecundùm deſideria ſua ambulantes, & os eorum loquitur ſuperba, mirantes perſonas quæſtus cauſa.* v. 16. En quàm bellè hæreſeos Doctores maledico Balaamo hi duo Apoſtoli compararint? Balaam conuitium populo Dei dicturus ibat, & hæretici ſeminiuerbij toto ſacco, quod aiunt, probra & maledicta in Catholicam Eccleſiam ſpargere conſueuerunt, nimirum, vt Apoſtoli illos notant, *Magiſtri mendaces, quæcunque ignorant blaſphemantes & murmuratores queruloſi.* Superbiæ auaritiæque ſtimulis ad conuitiandum Balaami animus agitabatur, & hæc hæreticis ad eandem artem faciendam calcaria ſunt, nam Apoſtolico ſuffragio ſunt homines *audaces & ſibi placentes,*

Digitized by Google

placentes, quorum os loquitur ſuperba, in auaritia fictis verbis negotiantes, cor auaritiâ exercitatum habentes, mirantes perſonas quæſtus cauſa, errore Balaam mercede effuſi, & mercedem iniquitatis amantes. Vt proinde & Auguſtinus meritò gemina hac quæſtus & faſtus nota hæreticum deſcribens dixerit. *Hæreticus eſt, vt mea fert opinio, qui alicuius temporalis commodi, & maximè gloriæ principatuſque ſui gratiâ falſas ac nouas opiniones vel gignit, vel ſequitur.* Hanc & veteris Balaami, & antiquorum hæreticorum imaginem viuaciſſimã, in primo ſæculi noſtri hęreſiarcha Luthero, tam clarè expreſſam intuemur, vt eum nouum Balaamum meritiſſimò dicere poſſimus. Nam quãtis conuitijs & maledictis Eccleſiam Catholicam, eiuſque tam ſacros, quàm profanos proceres, Pontifices, Imperatores, Reges, Principes, paſſim ore ac ſtilo lacerarit, non ſolùm Catholicorum multorum diligentià, ſed etiam ex nonnullorum Lutheranorum aperta confeſſione teſtatiſſimum eſt. Nec verò etiam ignoratur, quæ prima illi ad hanc maledicendi artem ſemita fuerit: ſacræ indulgentiæ promulgatio Tetzelio Dominicanæ familiæ Concionatori credita, ſuperbo cupidoque homini adeò doluit, vt gloriæ ſibi lucelliq́ue huius erepti damno recuperãdo, calamum primùm in paucorum, deinde in Romanæ Eccleſiæ vniuerſæ acerbiſſima conuitia ſtringeret. Quam autem huic alteri Balaamo aſinam ad probroſum hoc iter con-

De vtil. cred. c. 1.

Digitized by Google

ficiendum fuiſſe dicam? Conſcientia fuit. Nam vti
Nu. 22. v. 23. 25 27. 28. aſina, quâ Balaam vehebatur, teſte Moſe, *cernens Angelum ſtantem in via euaginato gladio*, primùm *auertit ſe de itinere, & ibat per agrũ*: deinde *iunxit ſe parieti & attriuit ſedentis pedem*: deniq; *concidit ſub pedibus ſedentis, & locuta eſt. Quid feci tibi? cur percutis me ecce iam tertiò?* Ità profectò Lutheri conſcientia à beato ſpiritu, cæleſtis iræ minis territa, hominem ſæpius à propoſito maligno reuocabat, vrgebat, fodicabat, de vi ſibi facta denique quiritabatur. Quid ad iſta Lutherus? haud ſecus in conſcientiam ſæuiebat, quã Balaam in Arcadicum pecus. Verberabat Balaam ſemel iterumque
v. 23. 25 27. 29. aſinam, & tertiò *iratus vehementiùs cædebat fuſte latera eius*, inſuper gladium demum optabat, quo illã *percuteret*; & hic quoque Saxonicus Balaam nihil magis, quàm conſcientiam preſſam, oppreſſam, extinctam cupiebat. Teſtis libellus eſt inprimìs, cuius hęc inſcriptio: *Aduerſus capitalem nequã & hoſtem Conſcientiam, quomodo is ſuperandus ſit*, & iſtæ gnomæ; *Nihil ſcio, quod hominem adeò perturbet in his nouiſſimis diebus, atq; propria conſcientia. Qui ſuam conſcientiam non certam & liberam facit per ſcripturam*, (aliter nempe, quàm vniuerſa Eccleſia ſemper intellexit, acceptam) *is certò in agone deſperabit, eiq; Sathanas & ſua Conſcientia totum mundum nimis anguſtum facient. Non debet aliquis minùs contra ſuã Conſcientiam, quàm contra ipſum Sathanam pugnare.* Et his quoq; in præfatione libri de abroganda Miſſa, ſuam cum

Con-

Digitized by Google

Conſcientia luctam explicatam reliquit; *Ego quotidie*, inquit, *in me ipſo experior, quàm difficile ſit Conſcientiam longo impietatis vſu vexatam, ad ſanam pietatis ſcientiam*, (ſcilicet quando bonum malum, & malum bonum dicere iubetur) *reuocare, & infirmitatem eius ſanare. Quot ergo medicamentis, quàm robuſta Reſina Galaad, quàm potentibus & euidentibus* (Lynceo vnius Lutheri oculo) *ſcripturis meam ipſius Conſcientiam vix dum ſtabiliui, vt auderem vnus contradicere Papæ, & credere eum eſſe Antichriſtum, Epiſcopos eſſe eius Apoſtolos, Academias eſſe eius Lupanaria? Quoties palpitauit mihi tremulum cor, & reprehendens obiecit eorum fortiſſimum & vnicum Argumentum; Tu ſolus ſapis? Totné errant vniuerſi? Tanta ſecula ignorauerunt? Quid ſi tu erres, & tot tecum in errorem trahas damnandos æternaliter?* Atque vtinam hanc Conſcientiæ ſuæ ſæpiùs repetitam iuſtiſſimam querelam æquo animo Lutherus accepiſſet, ſanè cum antiquo Balaamo, in hoc vno illi diſſimilis, apertis à Domino oculis ſeueriſſimũ diuinæ vltionis gladium vidiſſet, proſtratus peccati veniam ſuppliciter poſtulaſſet, retro ſe ab infauſta maledictionis ſemita recepiſſet. At quia ad tantos Conſcientiæ clamores vtramq; aurem occluſiſſimam habuit, Eccleſiæ Dei non antè maledicere, quàm viuere deſijt. Palmam verò inter innumeras illius maledictiones illæ ferunt, quas de ſuo cerebro per manum Philippi in

Tom. 2. VVittēb. Lat. 40. 22.

ipſa

Digitized by Google

ipſa fidei ſuæ ſiue Confeſſionis Auguſtanæ formula impudentiſſimè effudit. Hæ certæ ſolæ candidam animi Deum timentis mentem horrore ingenti percellere, & à Confeſſione Auguſtana alieniſſimam facere, vel maximè poſſunt. His Sereniſſimi Principis Palatini rectiſſimus animus ab Auguſtanæ Confeſſionis fallaci ſemita primùm abhorrere & retro ſe recipere meritiſſimò cœpit, quod nos in explicatione primi fundamenti dilucidè demonſtrauimus.

Verùm ſicuti Balaam non ſolus ad maledicendũ perrexit, nam, vt meminit ſcriptura, *duos pueros ſecum habebat*; ità nec nouus Balaamus incomitatus incedit, probrorũ enim ſocios & ipſe duos effrontes pueros habet, Balthaſarum Meiſnerum Lutheranum, & Fabricium Baſſecourt Caluinianum Prædicantem: nam & iſte Luthero facundi ad conuitia comitis (neſcio an bona Caluiniſtarum venia) officium deferre & præſtare fideliter voluit. Iſti ergo ambo arrepto contumelioſiſſimo calamo falſiſſima Auguſtanæ Confeſſionis in Catholicorum doctrinam conuitia à nobis clarè propoſita & pro meritis caſtigata excuſare, defenſare, prædicare & nouis alijs conuitijs, fortè ne antiqua perpluerent, pertegere auſi ſunt. Sed hic illorum impius auſus nihil Sanctæ Ciuitati nocebit: Angelus Domini calumnioſis pueris viam ſpero intercludet & con-

vitia

Digitized by Google

uitia ab illis petulantiſſimè iacta, minaci diuinæ ſeueritatis gladio à primo vrbis fundamẽto portaque feliciter repellet. Bonum auſpiciũ ſequamur.

CAPVT. I.

INEPTA FABRICII ADVERSVS primum Fundamentum indignatio exploditur.

CVm Sereniſſimus Princeps Palatin' primùm partim ex diligenti & diuturna Catholicorum librorum lectione, partim Principum & nobiliſſimorum virorum (inter quos nullus Eccleſiaſticus, nedum Ieſuita, vt Meiſnerus & Fabricius ſomniant, fuit) frequenti colloquio, Auguſtanæ Confeſſionis aduerſus Catholicam doctrinam calumnias, & Catholicorum innocentiam liquidò comperiſſet, ea res ilicò animum eius nonnihil cõmouere, & ab Auguſtana Confeſſione alieniorem, in Catholicos verò propenſiorem reddere cœpit. Agnouit in hac origine primum diuinæ gratiæ impulſum pius & gratus Princeps, ideoq; illam inter fidei Catholicæ ſuſceptæ grauiſſimas rationes primùm Principibus viris exhibitas, tum verò etiam publici iuris factas, primo loco, quem ordo rei expoſcebat, propoſuit. Ego verò in illarum rationum longiori explicatione bonum hoc optimi Principis principiũ cum Iaſpide comparaui, quia librorum Catholicorum lectione, quod de Iaſpide

circũferri conſueuit, inania fictorũ errorũ ſpectra, quæ ad animos incautos à Catholica religione abſterrendos Auguſtana Confeſſio eiuſq; præcones emittunt, fœliciter propulſaſſet. Hic ergo Iaſpideis Catholicorum libris indignatus Fabricius exclamat: *Quanta quæſo ſit inde iniuria ſcripturæ ſacræ?* Quę iniuria? euincere teſtibus iniuriam conatur, ne iniurius videatur. Producit tres de Patribus Hieronymum, Auguſtinum, Bernardum, ſed more ſuo, hoc eſt, ſubdolè & ineptè.

Præfat. ad Lect.

Ineptè ac fraudulenter Hieronymus à Fabricio citatus. §. *I.*

In Pſ. 5.

Quid ergo Hieronymus? *Ait. Cupis intrare in Eccleſiam? & vis per uiam rectam? via recta lectio ſcripturarum eſt: Dirige in Conſpectu tuo viam meam, ne in ſcripturis tuis, per quas ingredi cupio in Eccleſiam tuam, corruam.* Quid hinc colligis, Fabrici? An hoc? Via recta ad intrandam Eccleſiam eſt lectio ſcripturarũ, ergo lectio Catholicorum librorum non eſt recta via ad detegendas fraudes & Calumnias Auguſtanæ Confeſſionis, ad abſoluendos Catholicos ab intentatis erroribus. Inepta collectio: quaſi verò idem ſit veram Eccleſiam ex proprijs notis inquirere, & criminum, de quibus Catholica Eccleſia accuſatur, veritatem veſtigare. Hoc, non illud primi fundamenti propoſitum eſt: inquirenti veram Eccleſiam

Digitized by Google

cleſiam, clara dant indicia ſacræ litteræ, & Vnam, Sanctam, Catholicam, Apoſtolicam eſſe paſſim teſtantur. Rectè ibi quæritur Eccleſia, vbi clarè monſtratur: & inde poſteriora Principis fundamenta pleraque ſunt eruta. At qua fide Confeſſio Auguſtana peſſima quæque de Catholicis euulget, ſontes an inſontes ſint Catholici, non Scripturæ ſacræ, ſed Catholicorum Doctorum, ac præſertim Tridentinæ Synodi libri ſunt inſpiciendi, vt de mendacio veritas triumphet. Quis enim quæſo te, Fabrici, Principi Palatino ſcripturæ ſeu veteris, ſeu nouæ liber erat legeudus, vt Catholicorum ſiue crimina, ſiue innocentiam, & Auguſtanæ Confeſſionis, ſiue veram, ſiue falſam accuſationem poſſet deprehendere? Nihil horum in Scriptura ſæpius perlecta reperit: at vbi præter Confeſſionem Auguſtanam Catholicorũ Doctorum libros peruoluere, & loca multa ab aliis monſtrata inſpicere cœpit, tũ Confeſſionis fucatas Calumnias & Catholicorum candidiſſimam innocentiam, tanquam atrum & album, clarè diſtinxit. Ineptiſſimè igitur S. Hieronymi verbis Fabricius vſus eſt, vt demonſtraret Catholicorum librorum lectione, quâ Princeps fidem Confeſsionis Auguſtanæ Catholicos grauiter accuſantis examinauit, magnam Scripturæ ſacræ illatam eſſe iniuriam.

Digitized by Google

Verùm non ſolùm ineptè, ſed etiam mala fide fallaciq́; animo, Hieronymi verba Prædicans recitauit. Vbi enim illa Hieronymi verba, quę tanquã ex illo ſupra refert? *Cupis intrare in Eccleſiam? vis per viam rectam? via recta lectio ſcripturarum eſt.* Non ſunt Hieronymi Doctoris, ſed impoſtoris Fabricii. Voluit Lectori Hieronymi auctoritate perſuadere, viam rectam ad Eccleſiam eſſe lectionem ſacrorum Codicum; Palatinum, qui alios Codices legerit, rectâ viâ non iuiſſe, ſed in Labyrintho erraſſe. Sed audiamus ipſum Hieronymum, vt Fabricij fucum videamus. Ità igitur in illum quinti Pſalmi verſiculum, *Propter inimicos meos dirige in conſpectu tuo viam meam*, commentatur; *Hoc eſt, viam tuam rectam fac propter inimicos meos, qui inſidiantur mihi. Quæ eſt autem iſta via? Lectio ſcripturarum, hoc eſt, ne in ſcripturis tuis, per quas ingredi cupio in Eccleſiam tuam, corruam: Omnis enim qui malè intelligit ſcripturas, in via Dei corruit.* Non via recta, ſed via dicitur Lectio ſcripturæ, & à DEO petitur, vt rectam illam faciat; nam ſi legatur Scriptura & malè intelligatur, quod inimici veritatis hæretici faciunt, via præceps ad ruinam eſt; ſi legatur & benè intelligatur, quod ab Eccleſia veritatis columna fit, via recta ad ſalutem eſt. Vnde antè in illa verba, *Domine deduc me in iuſtitia tua*, dixit idem S. Doctor; *Ego cupio intrare in domum tuam, & volo intrare per viam tuam rectam: ſed quoniam continuata ſemitis ſcan-*

Digitized by Google

ſcandala ponunt inimici mei, & mihi in domum tuam ire cupienti laqueos ponunt in itinere, propterea quæſo te, vt dirigas pedes meos vſque ad finem. Cur igitur Fabricius in citando Hieronymo inimicos, inſidias, ſcandalum, laqueos, malam ſcripturæ intelligentiam prætermiſit? Cur ſolam ſcripturæ lectionem pro via recta venditauit? Cur verba tam mutilè & imperfectè proprio typo deſcripſit? Timuit ſcilicet, ne ſe ſuoſq; ſimiles hæreticos proderet, & telum, quod in caput ipſius retorqueremus, daret. Non facit iniuriam Scripturæ ſacræ, qui alios libros legit, vt accuſationem, cuius veritas ex ſcriptura cognoſci non poteſt, examinet: ille iniuriam Scripturæ facit, qui Scripturas legit, & malè intelligit; qui viam Dei, plano omnis antiquitatis ſenſu reiecto, ſuperbis proprij ſenſus ſcopulis ità deplanat, vt ſalutis ſemitam præcipitium ſcandali faciat. Hoc nunquam Eccleſia Catholica, hoc vti olim, ità hodie quoq; ſectæ, ad quarum vnam tu, Fabrici, à Catholica Eccleſia Apoſtata profugiſti, faciunt.

Auguſtinus imperitè & impiè productus. §. *II.*

SEd iam, quàm ſcitè poſt Hieronymum Auguſtinus à Fabricio producatur, ſpectemus. S. Auguſtinus lib. de vnit. Eccleſ. c. 19. Eccleſiam non in varijs hominum rumoribus, opinionibus & factis, & dictis, & viſis inquirendam eſſe, nec niſi ſcripturarum diuinarum libris canonicis oſtendi *Malè citat Fabr. cap. 16.*

Digitized by Google

docet, additq; ſe illam non Patrum, non Conciliorum autoritate, non miraculorum ſplendore, ſed ſolis ſcripturæ teſtimonijs demonſtratam cupere. Hac Auguſtini doctrina, à primo ad decimum vſq;, fundamenta omnia diruta vult Fabricius. Nam inquit, *hic Auguſtinus docet malè pro fundamentis Eccleſiæ aſſumi, quæ tradit Ieſuita.* Si valet hoc Fabricij gloſſema, addam ego, & quæ tradit Auguſtinus lib. contra epiſtolam fundamenti cap. 4. & 5: ac lib. de vtil. credendi cap. 17. His enim ille locis Eccleſiam *populorum conſenſu, Conciliorum grauitate, ſanctorum prædicabili vita, miraculorum maieſtate* demonſtrat: his gradibus *culmen auctoritatis* illam obtinuiſſe: his vinculis trahi, aſtringi, teneri credentes profitetur. Eſt ergo Auguſtinus Auguſtino contrarius, & idem alicubi negat, alibi affirmat? Non fert hoc Auguſtini ſumma perſpicacitas, ſed tantus eſt Fabricii ſtupor, vt Auguſtiniani ingenij varietatem non capiat, & in diuerſos hoſtes dextrè mutata pugnæ genera ſomniet contraria. Non iiſdem armis omnes hoſtes petendi: alia alijs feriendis aptiora ſunt. Habuit Eccleſia Catholica hoſtes Donatiſtas, habuit hoſtes Manichæos: pro Eccleſia contra vtroſque acriter dimicauit Auguſtinus: vt vinceret, ad hoſtium ingenium attendit, & de iuſtis armis circumſpexit. Donatiſtæ Scripturas diuinas recipiebant, ſua verò inania viſa iactantes, miracula Eccleſiæ contemnebant; Manichæi

Scri-

Digitized by Google

Scripturas ambas, & veterem vt Diabolicam, & nouam tanquam corruptiſſimam reijciebant, ſed grauia rationum momenta ſuſpiciebant. Diſpares ergo hoſtes, diſparibus aggreſſus eſt armis Auguſtinus. Donatiſtas in lib. de Vnit. Eccleſ. Scripturarũ teſtimoniis: Manichæos contra in Epiſtola Fundamenti, & de vtil. credẽdi, Doctorum, conciliorũ, populorum, miraculorum euidẽti auctoritate oppugnauit. Donatiſtis per ſcripturas Eccleſiam, per iſtam miracula; Manichæis per miracula Eccleſiã, per hanc dininas ſcripturas ſapientiſſimè demonſtrauit. Nam & ex effectu cauſſa, & ex cauſſa effect' diuerſo genere demonſtrationis rectè Philoſophorum ſententia oſtenditur. Per ſcripturam Eccleſia, & per hanc miracula, fidei certitudine ſciuntur; per miracula Eccleſia, & per hanc ſcripturæ euiden.er credibiles fiunt. Illo modo, quaſi à priori aduerſus Donatiſtas pugnauit Auguſtinus: iſto veluti à poſteriori contra Manichæos diſputauit, quia nec iſto contra Donatiſtas, nec illo contra Manichæos clarã obtinere victoriam ſperabat. Nulla igitur eſt in ſcripturam iniuria, aliis argumentis veram religionem euidenter perſuadere, quòd prudẽter ſuſcipiatur. Et quomodo iniuriam ſcripturæ inferunt cetera poſt primũ fundamenta, quæ ex ipſis ſacris litteris omnia depromuntur? Talia enim ſunt, vt per illa nõ ſolũ ſine ſcripturis, homini à fide ſcripturarum

rum

rum prorſus alieno religio Catholica prudēter perſuaderi, ſed ex ſcripturis quoq;, earum teſtimonijs credenti, certò demonſtrari poſſit. Diſputauit Augustinus contra Donatiſtas de Eccleſia Catholica, & eam, in qua ipſe eſſet, non in qua Donatiſtæ, Catholicā apertis ſcripturæ teſtimonijs complunbus oſtendit. Idem cum Auguſtino nos contra noſtros Sectarios fecimus in noni Fundamenti explicatione: certè niſi ſcripturas ab Auguſtino allatas, & Auguſtini ex illis argumentationes inſigni iniuria negent, cum Auguſtino Catholici erimus, illi cum Donatiſtis minimè erunt. Vtri ergo ſcripturæ iniuriam faciunt, illíne, qui cum Auguſtino ex apertis ſcripturis ſe Catholicos probant, an qui cū Donatiſtis manifeſta ſcripturæ teſtimonia repellunt?

Lib. de vnit. Eccleſ.

Sed deniq; quàm impudens & impius eſt Fabricius, vt Auguſtinum audeat, probando primi fundamenti in ſcripturam ſacrilegio, teſtem producere. Sacrilegij reum impiè facit, dum teſtem impudenter facit. Nam ſi ſacrilegus in ſcripturā eſt, qui initio libros Catholicos voluit, vt aduerſariorum grauiſſimas de illis querelas examinet, ſacrilegij notam non effugiet Auguſtinus, qui adhuc Manichæus diligenter Catholicos libros legit, & cùm in illis Manichęorum in Catholicos calumnias clarè detectas vidiſſet, bonæ ſpei cœpit eſſe. *Vbi*

inquit,

Digitized by Google

quit, *Ipſos Codices quærimus? Vnde aut quomodo comparamus, à quibus ſumimus? Deputentur tempora, diſtribuantur horæ pro ſalute animæ,* (En diligens lectio: audi bonæ ſpei fructum,) *Magna Spes oborta eſt, non docet Catholica fides, quod putabamus,* (perſuaſione ſcilicet Manichæorum) *& vani accuſabamus. Nefas habent docti eius,* (nimirum Catholicæ fidei, quos Auguſtinus quâ voce, quâ lectione conſulebat.) *credere Deum humani corporis figurâ terminatum,* (quod Catholicis Manichæi imponebant) *& dubitemus pulſare, quò aperiantur cætera?* Attigi breuiter in primo Fundamento hoc Auguſtini exemplum, & à Principe noſtro renouatum oſtendi: ſed Prædicans diſſimulat, præterit, tacet, & quaſi nec Auguſtinus hæc fecerit, nec nos de eo meminerimus, Auguſtinum tanquam primo Fundamento infenſum, pari ſtoliditate atq; impudentia nobis audet obtrudere. Sed non ſunt apud Auguſtinum verba factis contraria. l. 6. Confeſſ. c. 11

Prædicantis inſania, & fraus inſignis in tribus Bernardi teſtimoniis adductis. §. *III.*

TErtium audiamus teſtem Bernardum, ex quo tria promit teſtimonia Fabricius, in duobus primis prorſus inſanus, & in tertio fraudulentus. Primum recitat ex ſerm 1. de Conuerſione S. Pauli. *Egreſſa eſt iniquitas à ſenioribus iudicibus Vicariis tuis, qui videntur regere populum tuum. Heu, heu, Domi-*

Digitized by Google

ne Deus, quia ipſi ſunt in perſecutione tua primi, qui videntur in Eccleſia tua primatum diligere, gerere principatum. Arcem Sion occupauerunt, & vniuerſam deinceps tradunt incendio ciuitatem. Alterum ex ſerm. 77. in Cant. *Parùm eſt noſtris vigilibus, quòd non ſeruent nos, niſi & perdant.* Quis non dicat Fabricium emotæ mentis fuiſſe, cùm hæc ex Bernardo excerperet, vt primum fundamentum iniuriæ in ſacrā ſcripturam argueret? Malos Prælatos utroq; loco, qui Eccleſiam malæ vitæ exemplo, & alienæ ſalutis neglectu perſequuntur & perdunt, grauibus verbis inſequitur Bernardus; nihil ibi de ſcriptura, nihil de religionis fundamētis diſſerit. Quænā igitur, malùm, amentia eſt, ita diſputare? Bernardus malos Antiſtites, qui ſe potiùs, quàm populum paſcunt, acriter reprehendit: ergo teſtatur iniuriam fieri ſcripturæ ſacræ, cùm Catholici libri leguntur, vt hæreticorum calumniæ detegantur.

Tertium teſtimonium ex Epiſtola. 77. Bernardi depromptum iſtud eſt: *Abundet ſanè in ſuo ſenſu, qui vult, quantum vult, dummodò nos patiatur in ſcripturarum ſenſibus abundare.* Huius dicti auctoritate, ſcripturæ libros legendos eſſe, nec alios ſine ſcripturæ iniuria legi poſſe contendit Prædicans, & exclamat; *Ad hanc Iaſpidem remotis odiis, & vindictæ affectibus te, Sereniſſime Princeps, reuocare ſtudemus:* ſed non ſemotis dolis & fraudibus; nam quæ illic Bernardus antè & pòſt de Patrū libris ac ſententiis meminit, doloſus Prędicans ſupprimit;

primit: quæ de ſcriptura attigit, expromit, vt Lectori perſuadeat, Bernardi ſententia ex ſolis ſcripturæ, non Patrum veterum monumentis, cùm fidei controuerſia eſt, religionis ſinceritatem petendam eſſe. O vulpem! capiamus. Litteras ad S. Bernardum Hugo de S. Victore dedit. litterarum cauſa fuit noua cuiuſdam hominis ſententia, neminem etiam adultum, excepto martyrio, ſine Baptiſmo re ipſa ſuſcepto, per illius deſiderium, ſalutem conſequi poſſe; ſententiæ patrocinium ſumpſit nouator ex illo Chriſti; *Niſi quis renatus fuerit, &c.* Hugo de S. Victore ſuper hac ſententia Bernardum conſuluit, eiuſq; mentem ſcire expetijt. Reſpondit Bernardus. Ioan. 3. 3 *Non quærimus pugnas verborum; nouitates quoque vocum iuxta Apoſtolicam doctrinam euitamus. Patrũ tantùm opponimus ſententias, ac verba proferimus, & non noſtra. Nec enim ſapientiores ſumus, quàm Patres noſtri: abundet ſanè in ſuo ſenſu, qui vult, quantũ vult; dummodò nos patiatur in ſcripturarum ſenſibus abundare, quomodo dicit Apoſtolus; non quòd ſufficientes ſimus cogitare aliquid à nobis, tanquam ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* Epi. 77. Quid ergo doloſa vulpecula de abundantia in Scripturæ ſenſibus ex Bernardo ità oggannit, vt ad illa, quæ de Patrũ ſententia & ſapiẽtia antecedunt, quæque de proprij cerebri pertinacia in ſcripturę ſenſu ſequũtur, obmuteſcat? En Bernardus Patrum tantũ ſententias & verba, nõ ſua opponit: nec ſe ſapiẽtiorẽ Patribus ſuis cenſet: abundare vult in ſcripturæ

Digitized by Google

ſenſibus, non tamen ex ſe, ſed ex Deo, quem in diuinis viris ſcripturas interpretantem veneratur. Quare infra nouatorem illum, Ambroſij & Auguſtini auctoritate ſic premit; *Sed miror admodum, ſi nouus iſte nouarum inuentor aſſertionũ, & aſſertor inuentionum, inuenire in hoc rationem potuerit, quæ ſanctos Patres latuerit, Ambroſium & Auguſtinum, ſiue auctoritatem eorundem auctoritate potiorẽ. Nam ſi neſcit, vterque idem profectò ſenſit, quod fatemur ſentire & nos. Librum certè Ambroſij de morte Valentiniani legat, legat & Auguſtini contra Donatiſtas de vnico baptiſmo librum quartum, & ſe vel agnoſcat imprudenter deceptum, vel probet impudenter obſtinatum.* Atq; paulò poſt. *Ab his ergo duabus columnis (Auguſtinum loquor & Ambroſium.) crede mihi, difficilè auellor. Cum his, inquam, me aut errare, aut ſapere fateor. Crederes & ipſe ſola fide hominem poſſe ſaluari cum deſiderio percipiendi ſacramentum, ſi tamen pio adimplendo deſiderio mors anticipans, ſeu alia quæcunque vis inuincibilis obuiarit.* Vide, Fabrici, quanti hac epiſtola ſanctos Patres fecerit Bernardus; ſapientiam illis & auctoritatem tribuit maximam: illis reluctantem impudenter obſtinatum cenſet: ab illis, tanquam columnis, ſe difficilè auelli, & cum ijs ſe aut errare, aut ſapere fatetur. Cur tu iſta omnia, quæ pro Patrum auctoritate ſine iniuria, credo, ſcripturæ ſcripſit Bernardus, reſecuiſti, & mutilam ſententiam de abundantia ſenſuum ſcripturæ execuiſti? Vt fucum Lectori Bernardi auctoritate faceres: ſed abſtergunt illum

integra

integra & plura Bernardi verba: Nec iam illis primum fundamentum de iniuria in ſcripturam, ſed tu de iniuria in Bernardum damnaris.

CAPVT. II.

INANIS MEISNERI IN PRIMO Fundamento labefactando conatus retunditur.

MEiſnerus duos primo fundamento euertendo arietes admouet, primum ſolus, alterum cum Fabricio: primus eſt, religionem, quæ alteri falſa dogmata imponit, non eſſe eà re deſerendam; alter eſt, Auguſtanæ Confeſſionis ab impoſturis, de quibus accuſatur, vindicatio. Iam primi robur experiamur.

Aliquot Argumenta Meiſneri contra primum Fundamentum, de Sectis ob impoſturas deſerendis, confutantur. §. I.

EXpendamus argumenta, quæ Meiſnerus Theſi. 21. ad primum fundamentum, de religione ob impoſturas meritò deſerenda, infirmandũ cogit. Primò, inquit, *diſtinguendum eſt inter rem & rei apparentiam: ab apparente impoſitione peregrinorum dogmatum ad ipſius doctrinæ falſitatem non licet argumentari.* Ita eſt; at Confeſſionem Auguſtanam non in ſpeciem, ſed reipſa falſa

falſa dogmata Catholicis imponere, cùm ad excuſationes venietur, nemo non videbit.

Quid aliud? *Quod ab vno, paucisúe priuatis fit, non debet trahi in præiudicium religionis.* Non vnius, Meiſnere, aut paucorum tantùm fraudes culpamus, ſed ipſius veſtræ Confeſſionis, quã Lutherus dictauit, Philippus cõſcripſit, Lutherani omnes pro Sacroſancta habent, impoſturas reprehendimus. Quid valeat fides, cuius prima & publica Confeſſio, in quam omnes Prædicantes cum omni populo iurarunt, calumnioſa & fraudulenta eſt?

Vt ob vitia artificum, addis tertiò, *ars ipſa non eſt reijcienda, ſic ob næuos, exceſſusq́ue docentium, nec doctrina.* Ex vitiis artificis, eum artem, quã mentitus eſt, non callere, rectè colligo: non artem, ſed illius inſcitiã damno. Si Prædicantium craſſiſsimas calumnias deprehendo, cur illos veritatis Doctores dicam? Si ipſa fidei Lutheranæ formula, Auguſtana, inquam, Confeſſio, falſis plena eſt teſtimoniis, illam ego pro Euangelica doctrina habeam? Non tantùm Prædicantes, ſed & Symbolum Auguſtanæ Confeſſionis fide laborat, doctrina cum Doctoribus.

Audiamus porrò Meiſneriana effugia. *Falſæ citationes vel impoſitiones, ſunt quidẽ lapſus memoriæ, & ſigna imperfectæ ſcientiæ: ab ijs tamẽ ipſius doctrinæ puritas minimè inquinatur, multò minùs tollitur.* Veniã mereremini, & vos Prædicantes, & veſtra Confeſſio, ſi labilis memoriæ, & imperfe-

ctæ ſciētiæ tantùm, quæ delinquitis, delicta eſſent; ſcientes, volētes, datâ operâ falſa de Catholica fide, & Catholicis Doctoribus ſpargitis, vt nos infametis, & popellū decipiatis. Ità eſſe de Cōfeſſione, de te, Meiſnere, & Fabricio ſępius ex occaſione hic liber oſtendet. Perge fugere; *Non pauca*, inquis, *in Patrum ſcriptis errata huiusmodi obſeruari poſſunt, dum ex zelo & in feruore hæreticis plura tribuerunt, quàm ipſi agnouerunt.* Aliud eſt ex ignorantia errare, aliud ſciēter calūniari: quid ergo de humanis Patrū erratis, inhumanæ tuorum maledicentię mantellū quæris? Fruſtra illos Patronos inuocas, niſi veſtri generis manifeſtas ac malitioſas fraudes in illis oſtēderis. Quid dico fraudes? etiā errorū, quales tu nō paucos in illis obſeruari poſſe impudēter iactitas, nec vnicū exempli ergò profers.

Impudentes Meiſneri contumeliæ de noſtris impoſturis refelluntur. § *II.*

SEd à Patribus in nos maiori impetu, pluribus exemplis armatus Meiſner⁹ proſilit. *Retorqueri*, ait, *poterit argumentum in ipſos Pontificios, quippe qui falſa dogmata paßim imponunt ipſi Deo, Prophetis, Apoſtolis, Conciliis, Patribus, nobis.* Sed monſtra, grandiloque Prædicans, hæc tuæ accuſationis capita.

Quid iniuriæ Pontificij faciunt Deo? *Contritionem capitis ſerpentini Mariæ tribuiſſe, Gen. 3. v. 15. falsò exiſtimāt.* Nimirū, quia legūt inter alia Dei ad ſerpentē verba; *Ipſa conteret caput tuū.* Calumniæ tu cū Georgio Maiore,

re, Tilmanno Heshuſio, Iacobo Heilbrunnero, alijſque tuis maioribus, qui hoc maledicto nos ante te ſæpius impetiuerunt, reus es, niſi nos falſi conuincis. Lectionem hanc Hebraicus textus non repudiat, ſeptuaginta non improbant, Patres antiquiſſimi approbant, ipſa contextus ſeries ſuadet, & æquè imperitus ac impudens Prædicans illam de falſi crimine diffamare audet? In Hebræo vox eſt trium litterarũ *He, Vau, Aleph*; ſine punctis, quib° longo tempore caruit, ambigua eſt, vt tam *Ipſa*, quàm *Ipſe* verti poſſit. Nam ſi litteræ *Vau* punctum *Schurec* addatur, maſculinum ſignificat; ſi litteræ *He* punctum *Chiric* ſuffigatur, fœmininum denotat, quod Complutenſe & Santis Pagnini Lexica teſtantur, ipſeq; eiuſdem capitis alius textus luculenter oſtendit. In illis enim Adami excuſatorijs verbis; *Mulier, quam dediſti mihi ſociam, ipſa dedit mihi de ligno*, etc. pro *Ipſa*, Hebraicè earundem trium litterarum vox habetur. Si ad textum Hebraicum punctis diſtinctum Prædicans prouocat, nos ad antiquiorem punctis carentem prouocamus. Adeſto, Meiſnere, ad primæuum textum, ad fontem, quem vos ſitibundi Prædicantes aliàs ante omnia prædicatis; demonſtra illic tantùm *Ipſe* non *Ipſa*, malè & falſò *Ipſa* legi. Non potes; vox illa ſine puncto ſcripta vtrumuis ſignificat: vtrumq; alio & alio ſenſu verũ eſt: vtrumque diuerſi Patres legunt. *Ipſe*, legunt Ire-
neus

næus, [a] Cyprianus, [b] Hieronymus, [c] Chryſologus: [d] *Ipſa* Ambroſius, [e] Auguſtinus, [f] Chryſoſtomus, [g] Beda, [h] Gregorius, [i] Eucherius, [k] & Bernardus. [l] *Quo pacto,* inquit Delrius, [m] *verterint LXX. non conſtat. Nã veteres multi legerunt* ἄυτη, *vt Ioſephus, qui lib.* 1. *c.* 3; *Præcepit, vt mulier capiti eius plagas inferret, vt vertit Ruffinus* : ex quo *patet olim* ἄυτη *lectum Ioſepho, ſed hæreticos Typographos vocem* γυνὴ *ſuſtuliſſe. Sed parùm refert, ſiue* αὐτὸ, *ſiue* ἄυτη, *ſiue* αὐτὸς *legas. Nam omnia vera ſunt; & ſemper in filio, ſeu ſemine ſuo, contritura ſerpentem dicitur. Eua contriuit, quando pænitentiam egit. Euæ ſemen Maria, & Chriſtus. Maria contriuit, quia ſemper Diaboli victrix fuit: Ieſus contriuit, quando in cruce hoſtem calcauit propria virtute: Maria & Eua id fecêre virtute accepta à Deo: tamen & ipſæ contriuerunt, quia Chriſtus ipſarum ſemen fuit; nos quoq; conteremus, ſi Ieſu & Mariæ veſtigijs inſiſtemus.* Lectionem deniq; vulgatam probabilem facit ipſe contextus, in quo mulier ſerpenti, & ſemen mulieris ſemini ſerpentis, non ſemen mulieris ſerpenti, nec mulier ſemini ſerpentis: opponitur. Quid ergo audes, Meiſnere, circa hanc lectionem Pontificios falſi inſimulare, quam nec Hebraico antiquo textu inuito, nec Græcis codicibus omnibus repugnantibus, imò ſanctis ſeptem Patribus ſuffragantibus, loci contextu fauente, amplectuntur? Si impoſturæ aduerſus Deum rei ſumus in hoc dicto, rei nobiſcum ſunt Ambroſi⁹, Auguſtinus, & alij ſuprà nominati, ſanctitate & eruditione præſtãtiſſimi

a. lib. 4. cõt. hær. c. 78. b. l. 2. teſtim. adverſ. Iud. c. 9. c. in qq. Hebr. in Geneſ. d ſer. 173. e l. de. fu. Iac. c. 7. f l. 11. de Gen. ad litt. c. 36 g Hom. 17. in Gen. h in 3 c. Gen. i lib. 1. Moral. c. 38. k l. 2 in Gen. c. 28. l Hõ. 2. ſuper Miſſ. eſt.

m Gloſ. literali in c. 3. Gen.

N Ponti-

Patres. Hos tu hîc, nouelle Prædicans, ſub nominẽ Pontificiorum impudentiſſimė impoſtores proclamas, ſed non probas: nos noſtram & illorum innocentiam probauimus: tua tuorumq́; impoſtura in aperto eſt. Lege Talionis impoſtor es.

Sed iam dic, quid Prophetis imponant Pontificij? *Patrum limbum, & purgatorium, & operum merita illos docuiſſe ſomniant.* Nimirum ſolus Meiſnerus vigilat & apertis oculis abdita Prophetarum perſpicit; ſancti Patres ſtertunt, & in profundum ſomnum conniuentibus oculis nihil in Prophetis vident. Illud Zachariæ; *Tu quoq; in ſanguine teſtamenti tui emiſiſti vinctos tuos de lacu, in quo non erat aqua,* ad Chriſtum, Patres antiquos de limbo, quo ad Chriſti mortem vſq; detinebantur, liberantem referunt S. Hieronymus & Cyrillus Alexandrinus in eum locum commentantes: ſed Meiſnero ſomniant, & in Prophetã iniurij ſunt. Illud diuini vatis Iſaiæ; *Purgabit Dominus ſordes filiorum & filiarum Sion, & ſanguinem emundabit de medio eorum, Spiritu iudicij, & Spiritu combuſtionis*; & hoc Malachiæ: *Ipſe ſedebit, quaſi ignis conflans & purgabit filios Leui, &c.* & iſtud ſqalmi; *neq; in ira tua corripias me,* S. Auguſtinus de purgatoriis pœnis explicat; ſed Meiſnero dormiens loquitur. Illud S. Iſaiæ; *Ecce Dominus Deus in fortitudine veniet, & brachium eius dominabitur: Ecce merces eius cum eo, & opus illius corã eo,* S. Hieronymus accipit de iuſta mercede in iudicio bonis operibus tribuenda à Domino,

Zach. 9. v. 11.

Iſai. 4. v. 4.

Malach. 3. v. 3.

Pſ. 37. v. 1.

l. 20. de Ciu. Dei, c. 25. & in Pſ. 37.

Iſa. 40. v. 10.

Digitized by Google

nō; iuxta quod ipſe dicit in Euangelio, *Venturus eſt enim filius hominis in gloria Patris ſui, & reddet vnicuiq; ſecundū opus ſuum.* Matth. 16. v. 27. Nimirum, quia, vt in illud Matthæi idem Hieronymus commentatur, in iudicio *non perſonæ, ſed opera conſiderantur.* Sed hîc quoq; Meiſnero Vigilantio Hieronymus Dormitantius eſt, & in Iſaiam impingit. Dauid Regius Propheta Deo dicit; *Quia tu reddes vnicuiq; iuxta opera ſua.* Pſ. 61. 13. Hieronymus ità explicat: *Bona bonis, mala malis. Damnas peccatores, remuneras iuſtos.* An & hoc de Dauide ſomniū eſt? Nimirum ſomniant Patres, cùm Propheticas ſcripturas non ex Prædicātiū mente interpretātur; nos ſtertimus, quando Prophetarū interpretes, ſanctos Patres, nō Lutheranos Prædicantes conſulimus. Scilicet, quæ Lutherus, & illius Præcones ad cyathos, inter familiæ turbas ſubitò de Prophetis effuderunt, diuina oracula; quæ ſancti Patres turbis familiaribus liberi, ad lucernā longa meditatione in Propheticos libros elucubrarunt, humana ſomnia ſunt? Quis credat Prædicantes Argos, & Patres Endymionas eſſe?

Dic porrò, Meiſnere, quæ noſtra in Apoſtolos iniuria eſt? *Illis doctrinam de primatu Petri, de SS. inuocatione, de iuſtitia infuſa tribuunt, cū contrariū in ſcriptis ſuis clariſſimè defenderint.* De Petri primatu hîc taceo, nam in IV. Fundamenti defenſione, clara de eo Apoſtolorum ſententia, contra tua obſcuriſſima figmenta, lucebit. Ad Cœlites quod attinet, cur illis non ſuppli-

Rom. 15. cemus, cùm Apoſtolus Romanis, Epheſijs, Theſſa-
Eph. 6. lonicenſibus, Coloſſenſibus, Hebræis per litteras
1. Theſ. 5 ſupplicârit? Non liceat ergà ſanctos in cœlo trium-
2. Theſ. 3
Coloſ. 4. phantes, quod ergà pios in terris luctantes facere
Hebr. 13 licet? Nec affectus cœlitum languidior, nec potentia minor, nec ſcientia imperfectior eſt, quàm cùm mortales fuerunt. Noli illis ignorantiam imputare, *quia*, vt cum S. Gregorio dicam, *qui intus omnipotentis Dei claritatem vident, nullo modo credendum eſt, quia foris ſit aliquid, quod ignorent.* (l. 12. Mor. c. 13.) Noli de iniuria in Deum quiritari, longè enim alia diuini nominis, alia diuorũ inuocatio eſt: nec Deo debitam, Diuis tribuimus. Si diſcrimen hoc non admittis, etiam Apoſtolum Romanorũ preces ambientẽ, læſæ ſupremæ maieſtatis reum eſſe clama. Miſer, quid iactas Apoſtolos clariſſimè in ſcriptis ſuis ſanctorum inuocationem reprobare, cùm aliud, quod proferas, non habeas, etſi nihil profers, quam illa Pauli Apoſtoli; *Quomodo inuocabunt, in quem non crediderunt? Vnus eſt mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Ieſus.* Quæ tamen contra ſanctorum inuocationem nihil facere, ipſe Paulus ſæpiùs repetita complurium viuorum inuocatione clariſſimè ſignificauit. Infuſam quoque iuſtitiam Paulo Apoſtolo ſi falsò tribuimus, & in tanta luce Epiſtolarum illius, Meiſnero vidente, nos cœcutimus, etiam Auguſtinus perſpicaciſſimi ingenij Pater cæcus & falſarius fuerit, neceſſe eſt. Nam

Digitized by Google

Nam & ille nobiſcum Paulum de infuſa iuſtitia plurimis locis interpretatur. Vnus aut alter hic ſufficiat. In Pſ. 98. *Laudemus & exaltemus, inquit, illum, qui fecit ipſam iuſtitiam, quam Dominus ipſe in nobis fecit. Quis enim in nobis fecit ipſam iuſtitiam, niſi qui nos iuſtificauit? De Chriſto autem dictum eſt, qui iuſtificat impium. Nos ergo impij, ille iuſtificator, quando & ipſam iuſtitiam ipſe in nobis fecit, qua illi placeamus*. Et lib. de ſpir. & litter. c. 27. *Iuſtificati gratis, per gratiam ipſius, qua gratia in interiore homine renouato iuſtitia ſcribitur, quam culpa deleuerat.* Vides iuſtitiam in nobis fieri, & in corde noſtro ſcribi? Nónne charitas, quam dicit Apoſtolus diffundi in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, Auguſtino interprete, *non eſt illa, qua nos Deus diligit, ſed qua nos facit dilectores ſuos?* Nónne charitas ſecundum eundem eſt, *quâ vnâ verè iuſtus eſt, quicunq; iuſtus eſt: imò ipſa veriſſima, pleniſſima, perfectiſſima iuſtitia eſt*: & tanta eſt iuſtitia, quanta charitas, nam *charitas inchoata, inchoata iuſtitia eſt; charitas prouecta, prouecta iuſtitia eſt; charitas magna, magna iuſtitia eſt; charitas perfecta, perfecta iuſtitia eſt.* Ergóne in Apoſtoli ſenſu peruidendo tu, Meiſnere, lynx es, & Auguſtinus talpa eſt? tu Apoſtolum ſincerè, Auguſtinus inſincerè explicat? & aliud in nobis, quod accuſes, non habes, niſi quod nobis cum ſanctiſſimo doctiſſimoq; Patre commune eſt?

Rom. 4. 5
Rom 3. 24.
Rom 5. 5
De Spir. & litt. c. 32.
Lib. de nat. & grat. c. c. 32. c. 42. c. 70.

Sed quid in Concilia peccauimus? *Illorum*, inquit Meiſnerus, *Canones adulterant, vt notum eſt ex Pontificum*

cum Zoſimi, Bonifacij & Cœleſtini hiſtoria, qui ad Concilium Carthaginienſe non erubuerunt ſcribere, ſibi primatum in Niceno conceſſum eſſe, quod manifeſtiſſimum falſi crimen, ipſi in Carthaginienſi Concilio congregati Epiſcopi deprehenderunt. Imò hoc manifeſtum Meiſneri conuitium eſt, iam antè à Caluino, Magdeburgenſibus, Illyrico, Hottomanno, Iunio, Pleſſeo, Heilbrunnero & aliis Caluini ac Lutheri aſſeclis nimis tritum, ſed à noſtris compluribus ſæpius validè protritum. Vide, Meiſnere, & lege, quid Baronius in annalibus Eccleſiaſticis, quid Bellarminus in Controuerſia de ſummo Pontifice, quid Gretſerus in examine Myſterij Pleſſeani & defenſione Bellarmini, quid Kellerus in Catholico Papatu aduerſus Heilbrunnerum de hoc argumēto ſcripſerint: plura illorum ſolidiſſima reſponſa refuta, ſi potes: nam ſi tantùm antiquam tuorum cantilenam repetis, & reſponſionem noſtrorum diſſimulas, certè non illi Pontifices manifeſti falſarij, ſed tu manifeſtiſſimus Calumniator es.

Baron. a. 419. & 449. Bell. l. 2. de Pont. c. 25 Gretſ. t. 2 defē. Bell. l. 2. c. 25. & in Exam. Pleſſ. c. 21. Kell. in Cat. Pap. art. 1. c. 2 § 8.

Ad Patres pergo. An nec iſti à noſtra vi tuti ſunt? *Dogmata illis,* inquit Prædicans, *ſua affingunt, priùs autem probare nequeunt, quàm ſcripta illorum caſtrauerint, peruerterint, nouasq́; ſententias immiſcuerint.* Graue crimen; probetur. *De quo,* ait, *luculentum præbet Teſtimonium Index expurgatorius, quippe in quo ſcribere non verentur p. 5. ſe in Catholicis veteribus plurimos ferre errores, extenuare, excuſare, excogitato commento perſæpè negare, & commo-*

dum

dum iis ſenſum affingere, dum opponuntur in diſputationibus aut in conflictationibus cum aduerſariis. Si luculentius aliud teſtimonium non habes, Meiſnere, quo crimen nobis obiectum probes, næ tu obſcuriſſimus vir, & merus Andabata es. Hoc enim Indicis teſtimonium, quod profers, tuæ accuſationi minimè conuenit. Ais nos ſcripta Patrum caſtrare, peruertere, nouaſque ſententias immiſcere: quid, quæſo te, horum ab Indice dicitur? an ferre, extenuare, excuſare errores veterum, eſt caſtrare libros eorum, & ſententias intrudere? an ad veteres ab erroris ſuſpicione purgandos, excogitare bonum Commentarium, ſenſum ijs commodum affingere, eſt demere & addere ad textum veterum? Quid *Commenti* nomine (quod maioribus litteris, quaſi in eo tuæ probationis magnum ſit momentum, expreſſiſti) intelligis? an inane figmentum? nimis latinæ linguæ imperitus es, ſi neſcis hoc vocabulo etiam Commentaria, & ab eo Commentatores appellari: aut ſi noſti, nimis maliciosè deteriorem vocis ſignificatum Indici ac violentè imponis. An nunquam Auerrois in Ariſtotelem commenta citari audiſti? an ea mera ſomnia ſunt & deliria, quibus Ariſtotelis ſcripta caſtrantur & peruertuntur? An cùm duriora Lutheri tui dicta, in huius fundamenti refutatione infrà extenuas, excuſas, commodum

modum ijs ſenſum affingis, varia gloſſemata excogitas, Lutherum caſtras atq; corrumpis? Pudeat te, Meiſnere, tam inſulſæ probationis. Oſtende nos in ſententijs Patrum quædam illorum verba exſecare, noſtra inſerere, textum ipſum deprauare, quod de te, tuisq; à noſtris ſæpius, ac præſertim de Heilbrunnero nuper abundè ſcripto, voceq; monſtratum eſt, & tum nos Patrum falſarios proclama. Magnum eſt interim ac luculentum hoc, quod ex Indice protuliſti, noſtræ innocentiæ, & tuæ impudentiæ teſtimonium.

Quòd deniq; Bellarmino, Leſſio, mihi quædã, tanquam falſò tuæ ſectæ imputata dogmata à te obijciuntur, ne idem bis agam, hîc taceo. Dabitur enim infrà occaſio, in tua Philippi ac Lutheri defenſione, huius vltimæ obiectionis vanitatem, & noſtram integritatem demonſtrandi.

CAPVT. III.

MEISNERI ET FABRICII, IN ſeptem Conuitiis Philippi Auguſtanæ Confeſſionis architecti excuſandis, ineptiæ & impoſtura deteguntur.

EXaminemus nunc Philippi, ſeu potiùs Auguſtanæ Confeſſionis vindicias, quibus collatâ operâ vterque Prædicans fundamentum primum diruere, & famam Auguſtanæ Confeſſionis integram

integram ſeruare aggrediuntur. Ex multis Auguſtanæ Confeſſionis, & Apologiæ à Philippo ſcriptæ, falſis aduerſus Catholicam doctrinam conuitijs, quibus illa cuiq; cordato meritò non ſolùm ſuſpecta, ſed & exoſa videri debet, pauca quædam exempli ergò recitaui, & claris noſtrorum, præſertim Synodi Tridentinæ, teſtimonijs confutaui. Meiſnerus & Fabricius ſueti peſſimas cauſas tueri, etiam hanc planè laceram, boni ſcilicet ſartores, ſarcire conantur.

De primo conuitio Philippi, & Prædicantium ridicula purgatione: Fabricij etiam in Paulo explicando impoſturâ §. *I.*

PRimum Auguſtanæ Confeſſionis conuitium inter recenſita fuit, *Nibil nos docere de fide, qua remiſſio peccatorum accipitur:* Cui contrariam S. Thomæ & Tridentini Concilij dilucidam confeſſionem oppoſui. Meiſnerus & Fabricius, vt malam fidem Confeſſionis excuſent, ad ſuos errores de fide, adulteratis ſcripturæ ſenſibus velatos confugiunt, & quia hos Catholici non docent, verè de illis, quòd nihil de fide doceant, dixiſſe Confeſſionem concludunt. Ità enim argumentatur Theſi. 22. Meiſnerus. Pontificij non docent *fidem eſſe fiduciam,* non docent per illam *relatè tantùm ſumptam, vt eſt apprehenſio meriti Chriſti,* peccata remitti, *negant hominem ſola fide* *Art. 5.*

Digitized by Google

de *iuſtificari*, illamq́; eſſe vnicum *iuſtificationis inſtrumentum. Verè igitur nihil docent de fide, qua remiſſio peccatorum accipitur.* Eadem eſt Fabricij argumentatio, S. Thomã & Patres Tridentinos tantum *de hiſtorica, non de iuſtificante fide, vt opus & motus eſt, non vt inſtrumentum, quo Chriſtũ, eiusq́; dona apprehendimus,* locutos eſſe. Sed ſi hoc eſt Auguſtanam Confeſſionem de calumnia purgare, ego quoq; ſi de Lutheranis idem dixero, calumniæ damnari ab illis non potero: ità enim me tuebor. Lutherani fidem fiduciam definiunt, & cum ſpe, à qua illam Apoſtolus diſtinguit, confundunt; negant fidem, qua Deo placemus, eſſe virtutem diuinam, qua omnibus à Deo reuelatis, ac præſertim redemptionis noſtræ per Chriſtum factæ myſterio aſſentimur; docent hominem, quod nulla ſcriptura, niſi ab illis corrupta, dicit, ſolâ fide iuſtificari. Ergo nihil docent de fide, qua remiſſio peccatorum accipitur. Si hac iuſta defenſione calumniæ notam apud Prædicantes non effugio, nec illi hac ſua fictitia explicatione Confeſſionem Auguſtanam à conuitij crimine excuſabunt. Quis hic modus eſt, apertè calumniari, & cùm de calumnia lis intenditur, voces ad litem abrumpendam in nouum, & antea inauditum, omnibusq́; gentibus inſuetum ſenſum rapere?

Quid, quòd hæc Philippi defenſio ipſius Philippi teſtimonio manifeſtæ nouitatis redarguitur?

Digitized by Google

guitur? ait enim Philippus in eadem Confeſſione. *Incipiunt fidei mentionem facere, de qua olim mirum erat ſilentium.* Art. 20. Agite, Prædicantes, dicite, cuius fidei incepimus facere mentionem? illius veſtræ ſpecialis, inaniſſimæ præſumptionis? minimè verò: uti antehac, ità nunc, & æternùm illam damnabimus. Si ergo de illa fide olim mirè ſiluimus, & nihil docuimus, cuius Philippo teſte meminiſſe poſtea cœpimus: Hæc verò, cuius deinde meminimus, nunquam fuit veſtra ſpecialis: dictum iſtud Philippi, *Nihil docent de fide*, de fide veſtra ſpeciali, non niſi inſulſiſſimè explicare poteſtis. Scilicet conuitium ſimplex Philippus duplici auxit, nam nec olim ſiluimus, nec poſteà loqui de fide cœpimus, ſed fidem eandem olim & deinceps docuimus: non enim nos fidem in annos ſingulos mutare, & fidibus ludere cum Sectariis didicimus.

Sed parùm iſtis Prædicantibus fuit inſulsè Confeſſionem purgare, niſi nouis ſe in Catholicam fidem conuitiis contaminarent. Meiſnerus fidem relatè ſumptam, vt eſt apprehenſio meritorum Chriſti, à Pontificiis non agnoſci ſcribit. Audax calumnia: audiamus Tridentinam Synodum. *Diſponuntur*, inquit, *ad ipſam iuſtitiam, dum* Seſſ. 6. c. 6.

Digitized by Google

excitati diuina gratia & adiuti, fidem ex auditu concipientes, liberè mouentur in Deum, credentes vera eſſe, quæ diuinitus reuelata & promiſſa ſunt; atq; illud inprimis (nota Meiſnere) *à Deo iuſtificari impium per gratiam eius, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Ieſu, & dum peccatores ſe eſſe intelligentes, à diuinæ iuſtitiæ timore, quo vtiliter cōcutiuntur, ad conſiderandã Dei miſericordiam ſe vertendo, in ſpem eriguntur, fidentes Deum ſibi propter Chriſtum propitium fore.* Si cumprimis credimus impium iuſtificari per redemptionem in Chriſto, ſi fidimus Deum nobis propter Chriſtum propitium fore, quomodo fidẽ in Chriſti merita relatam & fiduciam remiſſionis per Chriſtum obtinendæ abijcimus, & vt Meiſnerus blaterat, exſibilamus?

Fabricius vel alienus à mente, vel certè oſcitabundus conniuentibus oculis ità de me ſcribit: *Adfert Ieſuita locum Epiſtolæ ad Heb. 11. Accedentem ad Deum oportet credere, ex quo tacitè vult elicere fidem ſolùm eſſe initium ad iuſtificationem. Verùm quid hoc, niſi fallere?* Verùm, vt ab his vltimis tuis verbis exordiar, quid hoc, Fabrici, niſi fallere? Egóne hunc Apoſtoli locum profero? ego inde aliquid colligo? falleris, aut fallis; tuam incuriam, aut malitiam liber meus inſpectus
1.2.q. 113.a.4. prodit. Hæc S. Thomæ verba recitaui. *Prima conuerſio in Deum fit per fidem, iuxta illud Heb. 11. Accedentem ad Deum oportet credere: & ideo motus fidei requiritur ad iuſtificationem impij.* De meo nec verbum addidi, & audet iſte Prędicans pro S. Thoma me inuadere? credo, timu-
it

it ſibi ab illo valido aduerſario,& faciliùs me bono lectori, de Apoſtoli dicto prauè vſurpato, quàm illum eruditiſſimum Doctorem, ſuſpectum facere poſſe ſibi perſuaſit. Sed condonemus hunc fucum fallaci Prædicanti,& porrò ſpectemus, quàm plumbeo pugione per latus meum petat S. Thomam: imò Apoſtoli dictum, quod D. Thomam feciſſe criminatur, ipſe fædè laceret. *Loquitur*, inquit, *Apoſtolus de eo, qui accedit ad Deum impetraturus aliquid; affirmat ad id requiri fidem, de qua ſcilicet Iacobus c. 1. 6. Ieſuita*, (*S.* Thomas, debebat dicere.) *deflectens à ſcopo Apoſtoli, ita inuertit ſententiam; qui incipit accedere ad Deum, vt iuſtificetur, debet credere: quod toto cælo aberrat à propoſito Apoſtoli, vt manifeſtum fit omnibus.* Imò præter Fabricium nemini. Fabricius deflectit, & toto cælo aberrat à ſcopo Apoſtoli. Nihil ibi Apoſtolus de accedente ad impetrandum, nihil de precibus; figmentum hoc Caluiniſtæ Fabricij eſt, non Pauli ſenſus. Apertè agit de accedente ad Deum, vt eius amicus efficiatur, eiq́; placeat Verba Apoſtoli ſunt. *Ante translationem teſtimonium habuit* (Enoch ſcilicet) *placuiſſe Deo. Sine fide autem impoſſibile eſt placere Deo, credere enim oportet accedentem ad Deum, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit.* Dixerat antè Apoſtolus *fide Enoch translatum eſſe*, hoc rectiſſimè ità probat. Enoch translatus eſt, quia placuit, at per fidem placuit, ergo fide translatus eſt. Syllogiſmi minorem propoſitionem ſic demonſtrat: ſine

Hebr. 11. 5. & 6.

O 3 quo

Digitized by Google

quo nemo accedit ad Deum, ſine eo nemo placet Deo, nemo ſine fide, (adeoque nec Enoch) accedit ad Deum, ergo nec ſine illa placet Deo. Agit ergo hîc Apoſtolus non de acceſſu per fidem, quo à Deo impetremus aliquid, ſed quo illi placeamus: fit autem hoc in iuſtificatione, vt remiſſo peccato, quo Deo diſplicebamus, donis gratiæ, inter quæ primum fides eſt, ei placeamus. Benè igitur Paulino dicto S. Thomas vſus, Fabricius ineptè abuſus eſt.

Sed quid quæſo cauſæ eſt, quòd adeò Fabricius indignetur audire, fidem eſſe initium iuſtificationis? *Abſurdum enim eſſet*, inquit, *dicere, puerum doctum euaſiſſe, quia A, b, c, d, didicit: æquè abſurdum dicere, hominem eſſe iuſtum per fidem, quia incepit credere.* Sanè abſurdus eſt Fabricius, qui cum Caluiniſtis ſuis hominem ſolâ fide, quæ tantùm initium iuſtitiæ eſt, perfectè iuſtum effici aſſerit: nos minimè abſurdi ſumus, qui fide non ſola, ſed quæ per Charitatem viuat, hominem perfectam adipiſci iuſtitiam ſentimus. Ità didicimus ex Paulo ſentire, qui fidem cum Charitate iungit, vt ad iuſtitiam valeat. *Nos*, inquit, *Spiritu ex fide,*
Gal. 5. v. 5. 6. *ſpem iuſtitiæ exſpectamus: nam in Chriſto IESV neque circumciſio aliquid valet, neque præputium, ſed fides, quæ per Charitatem operatur.* Lege Auguſtinum Homil. 16.

Digitized by Google

16. de verbis Apoſtoli, ac diſce, *quomodo fides aliquid iuſtitiæ ſit, quomodo homo incipiat à fide*, quomodo fidei ſpes, ſpeique charitas addenda ſit, & ex verbis Apoſtoli ad Galatas iam recitatis, fides per charitatem diſcernatur ad plenam iuſtificationem. Hic demum Bellarminum exerrans tubicen inuadit, quòd is pro fide tanquam initio iuſtificationis producat illud Ioann. 1. *Dedit poteſtatem filios DEI fieri iis, qui credunt*, indeque colligat eos, qui credunt, hoc ipſo, quòd tantùm credant, non eſſe filios, ſed habere poteſtatem, ſeu poſſe filios DEI fieri. Indignabundus exclamat; *Pudeat virum doctum ità eludere; vocabulum Græcum omnes norunt ſignificare Authoritatem ex iure: ſenſus igitur erit, DEVM dare authoritatem, ſiue facultatem, licentiam filios DEI fieri, id eſt, nominari.* Pudeat reformatum Prædicantem ità criminari; vocabulum Græcum ἐξουσία eſt, quod & facultatem, ſeu licentiam: & dignitatem, ſeu excellentiam ſignificare omnibus Græcæ linguæ peritis notum eſt: interpres Latinus poteſtatis vocabulum poſuit, quod perinde atque Græcum, pro licentia & dignitate capi poteſt. Bellarminus cum Chryſoſtomo, Auguſtino, Ambroſio, Theophylacto, pro facultate ſeu licentia: Gregorius Magnus Hom. 6. in Ezech. pro dignitate & ſublimitate accepit. Cur pudeat Bellarminum acceptionis apud Patres

lib. 1. de iuſtif. c. 13.

Digitized by Google

Patres vſitatæ? imò quam tu approbas, & nodum in ſcirpo tantùm quæris: poteſtas enim data ad dignitatem aliquam capeſſendam, cum iure, facultate, licentia Synonymum eſt. Sed vt tuo te telo feriam, atq; in diuerſa nitentem, ad Bellarmini partes prolabi demonſtrem, an, Fabrici, qui facultatem ſeu licentiam ad Doctoratum Theologicum (qua, antequam Apoſtata fieres, audio tibi petenti Louanij denegatam eſſe) accepit, Theologiæ Doctor eſt? Non eſt, ſed fieri, cùm libet, poteſt. Ità, qui credunt, licentiam habent, vt filij Dei fiant, nondum ſunt: fiunt per charitatem, qua *Filij DEI nominamur & ſumus*: fiunt per Baptiſmum, qui lauacrum regenerationis eſt. Et certè per dilectionem nos filios Dei effici, ex prima Ioannis Epiſtola, ad quam te remiſit Bellarminus, facilè cognoſcere potuiſſes, Fabrici, ſi diligentiùs illam perlegiſſes. Lege caput tertium, & ab initio reperies. *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur & ſimus.* Lege caput quartum, & n. 7. inuenies. *Omnis, qui diligit, ex Deo natus eſt.*

De ſecundo conuitio Philippi: tribus Meiſneri erratis: Fabricij ignorantiâ & in Vega citando impoſturâ. §. II.

SEcundum Auguſtanæ Confeſſionis contra nos conuitium à me allatum erat, quòd *tuberemus*

remus conſcientias dubitare de remiſſione peccatorum. Oſtendi ego, propriè dictam dubitationem apud nos nec imperari, nec eſſe: certitudinem experientiæ & ſignorum non exiguam nos habere: formidinem aliquam non de diuinis promiſſionibus, ſed de noſtra diſpoſitione ſupereſſe. Non repeto dicta, & latè ibi cùm ratione, tum claris S. Thomæ Tridentiniq; Concilij teſtimonijs declarata, aduerſus quæ pro Confeſſionis excuſatione duo Prædicantes nihil, niſi alia conuitia, errores, logos à propoſito euagantes reponunt.

Atq;, vt à Meiſnero ordiamur, is Theſi. XXIII. aliquorum Catholicorum teſtimonia profert, in quibus dicitur, non omnem omninò dubitationem de propria iuſtitia à iuſtorum animis abeſſe. Sed an inde probat, Catholicos iubere, vt dubitetur? An dubitationem iſti ſumunt pro mera animi fluctuatione ſine vllo aſſenſu, quæ ſola apud Philoſophos nomen dubitationis propriè obtinet? Hoc oſtendendum erat Meiſnero, vt calumniam Confeſſionis ſuæ abſtergeret. At hoc minimè potuit. Clariſſimum enim eſt, Coſterum, Andradium, Sotum, ipſamq; Tridentinam Synodum, certitudinem quamcunq; concedere iuſto de iuſtitia, quæ tamen non ſit diuinæ fidei, aut euidentis ſcientiæ, adeoq; per aliquam dubitationem aliud non intelligere, quàm quandam formidinem, quæ in

P omni

omni aſſenſu, etiam certo, qui non ſit infallibilis aut euidens, reperitur, & latè dubitatio vocatur.

Sed iam alia Meiſneri errata quædam breuiter perſtringamus. I. *Metus filialis cum fiducia coniunctus, dubitationem non admittit.* Metus impendentis aut ſuſpecti mali eſt; nemo metuit, quod ſibi euenire non poſſe certus eſt. Quid ergo filij Dei in Domino confidentes hîc metúunt? malum culpæ, Patris offenſam. Quotidianis etiam Sanctórum exemplis incerti ſunt de perſeuerantia, & quia certi non ſunt, ſe deinceps nunquam lapſuros, ſemper lapſum timent. Non timent DEI bonitatem, miſericordiam, liberalem promiſſionem; hæc fiduciam excitant: ſuæ ſibi fragilitatis & libertatis conſcij, ne bonum DEVM offendant, timent. Vides, Meiſnere, metum filialem non omnem dubitationem excludere, & te de metu contrà rationem diſſerere. Exulat timor mali, à quo certò ſecuri ſumus. II. *Papicolæ filialem metum non intelligunt, ſed ſeruilem à fiducia ſeparatum vrgent.* Duplex calumnia. Primam de timore filiali abſtergat S.

S. 2. q. 19. a. 2. in corp. Thomas his verbis: *Quandoque homo propter mala, quæ timet, ad DEVM conuertitur, & ei inhæret, quod quidem malum eſt duplex, ſcilicet malum pœnæ & malum culpæ. Si ergo aliquis conuertatur ad DEVM, & ei inhæreat propter timorem pœnæ, erit timor ſeruilis; ſi autem*

tem propter timorem culpæ, erit timor filialis. Nam filiorum eſt timere offenſam Patris. Ab hoc Doctore ſancto, & Catholicis Theologis vocem & rem filialis metus, Meiſnere, cum tuis gregalibus didiciſti, quid pro didactro calumniam pendis? Alteram, quòd ſeruilem timorem à fiducia ſeparatum vrgeamus, refutat Tridentina Synodus, cùm Attritionem, *quæ ex gehennæ & pœnarum metu concipitur,* tum tantùm *donum Dei & Spiritus Sancti mouentis impulſum* eſſe declarat, *ſi voluntatem peccandi excludat, cum ſpe veniæ.* Quid ergo criminaris, Meiſnere, Catholicos vrgere ſeruilem pœnarum metum fiduciæ expertem, cùm Concilium expreſsè exigat ſpem veniæ, vt pœnæ metus ſit ſalutaris? III. *Aliud ſequi non poteſt ex hypotheſibus Papiſticis, quàm mera dubitatio.* Impudens calumnia, ſed impudentior illius hæc probatio. *Fidem iuſtificantem per nudum aſſenſum, non fiduciam deſcribunt: & remiſſionem peccatorum non in ſolo Chriſti merito, ſed in diſpoſitione congrua ſitam eſſe autumant: quia verò cor noſtrum de imperfectione operum, & indignitate propria nos conuincit, quid inde oriri poteſt aliud, quàm fluctuatio, & ſeruilis trepidatio?* Miror, Meiſnere, te tam informem & putidam conſequentiam auſum eſſe in chartas mittere. Ponis in Antecedente cauſas, & in Conſequente vnum omnium effectum. Cauſſæ ſunt fidei aſſenſus in intellectu, CHRISTI meritum,

Seſſ. 14. c. 4.

Digitized by Google

noſtra præparatio, propria indignitas, & operum noſtrorum imperfectio; effectus vnicus eſt fluctuatio, & ſeruilis trepidatio. Itáne ex numeratis à te cauſis, aliud quàm dubitatio non oritur? Apertus & inanis fucus eſt. Fides eſt, vt credamus inprimis impium per gratiam Chriſti, & nullo niſi Chriſti merito copioſiſſimo iuſtificari: hinc oritur fiducia, qua fidimus Deum propter Chriſtum nobis propitium fore. An hæc fiducia fluctuatio eſt? Cùm Spiritus S. afflatu credimus, ſperamus, pœnitemus, diligimus & corda noſtra ad iuſtitiam præcipiente Deo præparamus, bonam etiam certamq́; ex multis, quæ in nobis experimur, indicijs ſpem concipimus, an & hæc ſpes, ſeruilis trepidatio eſt? At quia profundum cor noſtrum eſt, & occulta illius ſolus Dei oculus penitiſſimè perſpicit, hinc aliqua trepidatio eſt: ne, quod potuimus aut debuimus vocante Deo facere, non totum fecerimus. Falſiſſimum ergo eſt, ex hypotheſibus Papiſticis nihil, niſi dubitationem ſequi: nam neque firma fiducia diuinæ gratiæ ex fide in Chriſtum, neque certitudo coniecturalis ex noſtro conatu orta, dubitatio eſt: & tamen illa vtraq; ex omnium Catholicorum doctrinâ in iuſtificatione reperitur.

Sed iam relicta hac Meiſneri vitioſa & contumelioſa Conſequentia, ad Fabricianæ excuſationis vitia peculiaria properemus. *Vult Ieſuita in dubium*

relin-

relinqui, ait Fabricius, *has propoſitiones. Quiſquis credet in filium Dei, non peribit, ſed habebit vitam æternam, donec ſpecialiùs ſignificauerit Deus. Tu Ieſuita credens non peribis.* Nec Grammaticè, nec Dialecticè, nec verè hæc à Fabricio dicta ſunt. Quis Grammaticorum ferat, *relinqui in dubium*, pro *relinqui in dubio*? Quis Dialecticorum non rideat, vnam propoſitionem coniunctam, vocitari ab hoc Tubicine, *has propoſitiones?* Verùm facilè veniam ab his Artibus tibi, Fabrici, exorarem, niſi veritatem inſuper turpiſſimè violaſſes. An ego vſquã vel verbulo dubiam facio hanc propoſitionem? *Omnis, qui credit in filium, non peribit.* An peto hanc ſpeciatim reuelari? *Tu Ieſuita credens non peribis.* Vtramq; credo, credo: nuſquam abnuo. Scio in vniuerſali propoſitione omnes ſingulares contineri, & ſingulas rectè colligi ex vniuerſali, & omnes æquipollere vniuerſali, & reuelatâ vniuerſali, ſingulares non poſſe abſq; fidei iniuria negari. Non eſt lis de ſingulari conditionata, quæ tam certa eſt, atq; vniuerſalis conditionata: de abſoluta ſingulari contentio eſt; hanc de me, de ſe à Philippo ex ſacris oſtendi poſtulaui. Oſtendantur iſtæ. *Philippus verè credit, Fabricius verè credit. Philippus non peribit, Fabricius non peribit.* Credo Fabricium rectè credentem non periturum: rectè illum credere non credo, non periturum non credo, donec à Deo reuelatum eſſe oſtendatur. Qui pœnitentiam ſeriam agit, & in Chriſtum cre-

Digitized by Google

dit, ſperat, eumque diligit, illi peccata remitti ex Scriptura habemus: hæc feciſſe Fabricium tam incertum eſt, vt ipſe fateatur his verbis. *Eſto certus non ſim de officio perfectè præſtito, certus ſum tamen de Chriſto in Cruce paſſo.* Si certus non es, Fabrici, quid ergo ais? *Malè vocat Ieſuita ſuperbiſſimam temeritatem:* hoc dixi ſuperbiſſimam temeritatem, *ſi quis apud ſe audeat tam certus eſſe de officio facto, quàm Chriſto in Cruce paſſo.* Hoc tu, aliàs alti leuiſque Spiritus homo, tamen dicere non audes; quid ergo eum, qui hoc audeat, ſuperbæ temeritatis à me malè argui quereris? Minimè tibi conſtas, & veluti dormiens ſcribis. Sed vnde vel de tua in Chriſtum fide certus es, Fabrici, quòd veram illam, diuinam ac ſalutarem habeas? *Qui filij DEI ſunt,* inquis, *aguntur Spiritu DEI.* In margine allegas Apoſtolum Epheſ. 1. num. 13. 14. Iterum dormis, nuſquam hoc ad Epheſios Paulus, ſed ad Romanos: nec vt tu recitas, verùm ità ſcripſit. *Quicunque aguntur Spiritu Dei, hi filij DEI ſunt.* Veriſſimè hoc.

Rom. 8. v. 14.

Sed ego, inquies, agor Spiritu DEI. Non teſtimonium Pauli, vt tu nos criminaris, ſed hanc tuam aſſumptionem nuſquam reuelatam ridemus. At ſentio, inquies iterum, Spiritus ſancti vim & impulſum. Multi tuæ fidei hoſtes aiunt ſe ſentire idem, quibus tamen tu minimè credis: cur tu fide dignior? An neſcis Spiritum malum fal-

Iaci ſe luce oſtentare? Annon eos, qui à vobis digrediuntur, fidem nunquam veram, quantumcunque illam ante iactarint, habuiſſe, tui Caluini dogma eſt? Annon huius ipſius magiſtri tui verba hæc ſunt? *Experientia oſtendit reprobos interdum ſimili fere ſenſu atq; electos affici, vt ne ſuo quidem iudicio quidquam ab electis differant.* l. 3. Inſt. c. 2. §. 11.

Sed demum ad Catholicorum quorundam Doctorum præſidium confugit Fabricius, vt ſuam certitudinem propugnet, omnémque formidinem expugnet. *Antequam*, inquit, *Ieſuitæ veniſſent, ſummi Theologi formidinem remouebant à certitudine fidei.* Ante Ieſuitas ſummi Theologi S. Thomas, S. Bonauentura, Scotus, Durandus diuinæ fidei certitudinem de iuſtitia à nemine citra peculiarem DEI reuelationem haberi poſſe, docuerunt. Nomina ſummos Theologos, Fabrici, qui ante nos aliter ſenſerunt. An ſummi hi Theologi ſunt Auctor Enchiridij Colonienſis, & Ambroſius Catharinus? at ille obſcurus, hic clarior, vterque tamen longè illis iam nominatis inferior fuit, & neuter ante Ieſuitarum aduentum de hoc Argumento ſcripſit. Quid, quòd Catharinus certitudinem fidei de gratia quidem admittit, non tamen requirit, nec ea iuſtificari quenquam, qui Lutheranorum & Caluiniſtarum error eſt, cum Auctore Enchiridij concedit. Quare

S. Thō. 1. 2. q. 112. a. 5. Bon. in 1. d. 17. a. 1. q. 3. Dur. ib. q. 4. Scot. in 4. d. 9. q. 1.

cum

cùm ex Vega hæc verba retuliſti; *Hanc ſententiam multi Catholici ante editum Decretum de Iuſtificatione probabilem cenſebant Tridenti, & compluribus argumentis ſuadere conabantur*: hoc quoq; ab illo additum, te non prætcrijſſe oportebat. *Verùm longo illi interuallo à Luthero, & ipſius ſectatoribus, & à Claudio diſsidebant.* Præter alia enim Concilij iudicio acquieſcere parati ſemper fuerũt, & reipſa acquieuerunt: Lutherani verò & Caluiniſtæ vel hodie pertinaciter reluctantur. Qua verò fide, Fabrici, ais à Vega citari Catharinum dicentem. *Vniuerſi Patres hanc certitudinem conteſtantur.* Hæc Catharino verba Vega eo loco non tribuit, ſed cùm pro humana certitudine omnis formidinis experte, ex S. Ambroſio narraſſet innocentes quoſdam lætiſſimos ex hoc ſæculo migrare, quòd ſciant ſibi regnũ Cœlorum, ac coronam bonorum repoſitam eſſe meritorum, hæc tum verba ſubiungit; *Idemque de Hilario, Martino, Paulino, alijſque ſanctorum exemplis doctè & eleganter oſtendit eruditiſsimus Epiſcopus Catharinus in expurgatione ſua.* An hoc eſt à Vega Catharinum citari dicentem. *Vniuerſi Patres hanc certitudinem conteſtantur.* Aliud eſt, exemplum aliquorum ſanctorum, aliud vniuerſorum Patrum teſtimonium. Illud, non hoc Catharinus, & ex Catharino Vega protulit. Omnium Patrum conſenſus rem indubitatam in fide facit, qualem nec Vega ſuam de certitudine humana, nec Catharinus ſuam de certitudine infallibili

Lib. 9. de incer. grat. c. 7.

fallibili

fallibili ſententiam eſſe voluit. Et denique, Fabrici, ſi tibi adeò exoſus eſt metus, relictis vitijs præclaros in virtute progreſſus facito, & Theologi aliqui, inter quos Ieſuitæ, tibi concedent certitudinem omnis formidinis expertem. Audi Cornelium à Lapide, Societatis noſtræ Theologũ, & Louanienſis antehac, nunc Romanæ Academiæ, ſacrarum literarum profeſſorem, in illud Rom. 8. *Ipſe ſpiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro etc.* commentantẽ. *Hoc teſtimonium certum tantùm eſt certitudine coniecturali, quæ tamen certitudo cum ſanctitate creſcit adeò, vt Andreas Vega, Ruardus, & eos ſecutus Pererius, putent aliquos viros valde ſanctos, ſine ſpeciali Dei reuelatione ex ſignis & effectibus Spiritus S. quos valde crebros, claros & efficaces in ſe experiuntur, habere certitudinem non quidem infallibilem, ita vt auſi ſint iurare ſe eſſe in gratia Dei, ſed talem & tantam, quæ omnem metum & formidinem oppoſiti excludat non ſolum ab affectu & fiducia, ſed etiam ab intellectu & perſuaſione, ita vt tales tam certò ſciant ſe eſſe in gratia Dei, quàm certò ſcimus & credimus, Conſtantinopolim vel Alexandriam ex eo, quod paſſim omnes dicunt, illas vrbes eſſe & exiſtere.* Hæc Cornelius Ieſuita propenſus in ſententiam illorum, inter quos Pererius quoq; Ieſuita eſt, qui in præclaris aliquibus ſanctis certitudinem humanam ſeu moralem omni formidine carentem ineſſe poſſe confitentur. Habes ergo & Ieſuitas, mi Prædicans, tibi, ſi valde ſanctus eſſe cupis, metum omnem de pectore excutientes.

Digitized by Google

De Tertio conuitio Philippi à Prædicantibus ſæpè repetito: de Vtriuſque contradictionibus, & inſcitiis: Fabricii denique craſſâ circa Paulum & Trident. Synodum impoſturâ.

§. *III.*

TErtium Philippi conuitium ex Auguſtana Confeſſione, quòd dicamus *homines conſequi remiſſionem peccatorum propter propriam dignitatem, & negemus gratis propter Chriſtum remiſſionem peccatorum dari*, tam luculentis S. Thomæ & Tridentini Concilij teſtimoniis contrariis confutaui, vt, cùm ad illa, quod reſponderent miſeri Prædicantes, nihil haberent, ad effrontem eiuſdem conuitii repetitionem, & indoctiſſimas de iuſtificatione Catholicorum fabulas confugerent.

Quid ergo Meiſnerus reſpondet? *Veriſſimum*
Theſ. 24. *eſt*, inquit, *quod Philippus ſcripſit.* Impudens conuitiator, & Philippo maior. Quam vel minimam veri ſpeciem habent Philippi verba, S. Thomæ & Tridentinæ Synodi verbis à me recitatis collata? Sed quid ego te, Meiſnere, noſtris teſtimonijs, quæ præteris, vrgeo? tuis te verbis conuincam. Quomodo verum eſt, nedum veriſſimum, quod Philippus ſcripſit, ſi quæ tu ipſe de nobis ſubiungis, vera ſunt? *Etſi*, inquis, *gratis, non ex merito condigni primam iuſtificationis gratiam prouenire ſtatuunt.* Si te teſte

teſte ſtatuimus hominem gratis, nec ex condigno iuſtificari, quomodo veriſſimum eſt, quod Philippus de nobis ſcripſit, nos docere, hominem non gratis, & ex propria dignitate iuſtificari? Nimis turpiter, Meiſnere, Philippum & teipſum feris tam vicinis contradictionibus. *At*, inquis, *cum fide alia multa ſimul per meritum congrui iuſtificare aſſerunt.* Eſt hæc de merito congrui ſententia, quorundam probabilis opinio, non certum fidei dogma: de fide eſt, præter fidem alias quaſdam diuino decreto diſpoſitiones ad iuſtificationem requiri. Sed fac meritum congrui ab omnibus Catholicis fide indubitata teneri, an inde, Meiſnere, à calumnia Philippum purgas? an inde colligis noſtram doctrinam eſſe, quòd conſequamur remiſſionem peccatorum propter propriam dignitatem? quæ conſecutio à congruo ad condignum? Pudeat te, Meiſnere, tam futilium conſequentiarum. Sed iam audiamus Prædicanticam veritatem. *Non in ſolo*, inquis, *Fauore DEI, vt cauſa principali; non in ſola CHRISTI obedientia, vt cauſa meritoria, iuſtitiam conſiſtere arbitrantur.* Cauſa Principalis de efficiente; meritoria abſolutè, de propriè ſeu condignè meritoria intelligitur. Nos Catholici cauſam efficientem principalem iuſtificationis præter Deum nullam, nullam præter Chriſtum meritoriam

agnoſcimus. Dictum Meiſneri merum conuitium eſt: liberet ſe conuitij ſuſpicione ſi poteſt. Deniq; quid illud ad excuſandum Philippum facit, quod ad extremum ſubnectit Meiſnerus, *iuſtitiam apud Catholicos conſiſtere in habitu infuſo, adeóq; propria dignitate ſeu inhærente?* Non enim hîc ſermo eſt de formali cauſa iuſtificationis, ſed an aliquid præcedat in nobis iuſtificationem, quo digni fiamus, vt nobis remittantur peccata. Impingit hoc nobis Philippus: nos Philippum calumniæ reum poſtulamus. Quid ergo Meiſnerus ad donum gratiæ, quo nos Deus interiùs gratis à peccato mundat, & ſanctificat, confugit? Quanquam nec hoc ipſum propriæ dignitatis nomine rectè appellat: ſcimus enim iuſtitiam, quæ infunditur à Deo cordibus noſtris, iuſtitiam Dei rectiùs ſecundùm Apoſtolum appellari, quàm noſtram: *ignorantes enim Dei iuſtitiam, & ſuam volentes conſtituere, iuſtitiæ Dei non ſunt ſubiecti.* In quæ verba pulchrè Auguſtinus commentatur. *Suam iuſtitiam dicit Iudæos volentes conſtituere, quæ iuſtitia eſt ex lege, non quia lex ab ipſis conſtituta, ſed in lege, quæ ex Deo eſt, ſuam iuſtitiam conſtituerunt, quando eandem legem ſuis viribus ſe implere poſſe credebant, ignorantes Dei iuſtitiam, non qua iuſtitia Deus iuſtus, ſed quæ iuſtitia eſt homini ex Deo.* Iudæis ergo obtrudere potes propriam iuſtitiam & dignitatem, Meiſnere, nos cum Auguſtino & Apoſtolo iuſtitiam nobis infuſam non noſtram, ſed Dei dicimus, quia illam

Rom. 10. n. 3.

lib. de grat. & lib. arb c. 12.

non

Digitized by Google

non à nobis habemus, ſed Dei largitate donatam accepimus. Et hoc ergo vltimum tuum commentum ad purgandum Philippum nihilo prioribus melius eſt.

Sed iam à Meiſnerianis nugis ad Fabricianas eamus. Quid pro Philippo Fabricius? Teſtimonia primùm Scoti, Bellarmini, Gregorij Valentiani profert de merito congrui, operum gratiæ præuenientis ope factorum ante primam iuſtificationē: quaſi ex illis colligatur, hominem conſequi remiſſionem peccatorum, propter propriam dignitatem. Longè aliud eſt impetrare, & ex congruo accipere: aliud ex condigno ſeu propria dignitate peccati veniam obtinere. Illud Doctores illi affirmarunt: iſtud Philippus de Catholicis confinxit. Audacior deinde Meiſnero Fabricius ad clariſſimum teſtimonium Tridentinæ Synodi à me recitatum conatur reſpondere his verbis. *Allegat Ieſuita ex Concilio Trident. locum, in quo dicit, nos iuſtificari gratis. Miror hominem. Agitur hic de remiſſione peccatorum, & producit locum de iuſtificatione; cùm tamen apud ipſos aliud ſit iuſtificatio à remiſſione peccatorum.* Miror certè inſcitiam Fabricij. Quid ni producerē locum de iuſtificatione, cùm vna iuſtificationis pars ſit remiſſio peccatorū: Caluiniſtis iuſtificatio aliud nihil eſt, quàm remiſſio; nobis & remiſſio peccatorum eſt & ſanctificatio. Cùm ergo Philippus ait, nos non credere, quòd

Digitized by Google

gratis remittantur peccata, apertè illum de calumnia conuinco, cùm oſtendo à Tridentinis Patribus doceri, quòd gratis iuſtificemur: Nam gratis iuſtificari apud Catholicos eſt, & peccatorum remiſſionem, & gratiam ſanctificantem gratis accipere. Clarior certè eſt locus Tridentini Concilij à me allatus, quàm vt illi potuerint tenebræ à tenebrione Fabricio offundi: quare noua effundit conuitia, quæ tamen illo ipſo teſtimonio apertè refutantur. *Affirmant*, inquit, *iuſtificationem fieri per opera bona, quæ faciunt adiuti gratia*, (ſcilicet tanquam per diſpoſitiones à DEO requiſitas, aut meritum congruum) *An hoc non eſt dicere propter dignitatem propriam & meritum ex concurſu noſtro cum gratia nos iuſtificari? Affirmant opera ex fide facta eſſe veras & germanas cauſas iuſtificationis. An hoc non eſt iuſtificari per propriam dignitatem?* Nihil minus eſt. Mera hæc conuitia ſunt, & iniurioſiſſimæ Philippici conuitij ſine ullo veriſimili Argumento repetitiones, quæ illis Tridentinæ Synodi verbis iterum, iterumque

Seſſ. 6. c. 8. iugulantur. *Nihil eorum*, inquit Tridentin. *quæ iuſtificationem præcedunt, ſiue fides, ſiue opera, ipſam iuſtificationis gratiam promeretur.* Audi Fabrici, & ceſſa conuitiari; apud Catholicos nec fides, nec opera fidei, quæ præcedunt iuſtificationem, merentur propriè & de condigno gratiam: dicimus hominem ex fide, aut operibus fidei non tanquam

cauſa

cauſa meritoria, ſed ſolùm tanquam ex diſpoſitionibus à Deo gratuitò acceptatis iuſtificari.

Sed deniq; Fabricij in quibuſdam S. Pauli locis explicandis ſummam imperitiam aperiamus. Negat Paulus ad Rom. 4. v. 2. Abrahamum ex operibus iuſtificari. Nos de operibus legis vel naturæ, non de operibus gratiæ aut fidei locutum Apoſtolum dicimus; de vtriſq; locutum aſſerit Fabricius, & probat, quia illic *diſſerit Apoſtolus de operibus, quæ fecerat Abrahamus ex fide & gratia.* Hoc Fabricij figmentum eſt; nullum enim de obedientia, peregrinatione, immolatione filij, ſimilibuſque operibus, quæ recenſet Fabricius, verbum illic facit Apoſtolus. At loquitur Apoſtolus de operibus, inquit, *quibus potuit Abraham gloriari apud homines: quis verò ex dignitate operum ante gratiam factorum dicet materiam gloriādi habuiſſe apud homines, veluti quòd coluerit Deos alienos, Ioſuæ vltimo.* O acumen Fabricianum! quaſi operibus legis aut naturæ nemo poſſit gloriari apud homines: quaſi Abraham ante fidem nihil egerit ſecundùm naturalem legem, quo potuerit gloriari apud homines; quaſi nihil, quo gloriaretur apud homines habuerit Abraham, quàm idololatriam. Annon Romani veræ in Deum fidei expertes, multa in ſpeciem bona & laudabilia, quibus gloriam apud homines, ſed non apud DEVM conſecuti ſunt, patrarunt? Et certè Apoſtolum per opera,

quibus

quibus Abrahamum negat iuſtificatum, non opera fidei, ſed legis intelligere, ex fine præcedentis capitis clariſſimum euadit. De ijs enim operibus Apoſtolus illic agit, quibus negauit hominem iuſtificari in fine capitis 3. v. 28. *Arbitramur*, inquit Apoſtolus, *iuſtificari hominem per fidem ſine operibus legis.* En Paulus apertè ſolùm opera legis excludit à iuſtificatione, illa fidei opponit: ex his ergo mox deinde ait, Abrahamum non eſſe iuſtificatum, cùm ea apud homines quidem, apud Deum verò nequaquam gloriam parere poſſint: quare etiam deinde *operanti*, nimirum ex ſola legis agnitione, ſine fide & gratia Chriſti, *mercedem non ſecundùm gratiam, ſed ſecundùm debitum imputari* aſſerit. Hinc & cap. 11. v. 6. ait, gratiam non eſſe ex operibus, hoc eſt, ex merito operum: vbi omnium, etiam fidei operum meritum ante primam iuſtificationem excluditur. Fidei enim opera, vti & ipſa fides ante iuſtificationem non tanquam actus humani ex ſua natura, ſuoq; merito aut efficacia hominem iuſtificant, ſed tantùm ex gratuita Dei voluntate hominem ad iuſtitiam diſponunt. Quare rectè Concilium Tridentinum cùm dixiſſet, nihil eorum, quæ antecedunt iuſtificationem, ſiue fidem, ſiue opera promereri gratiam iuſtificationis, hoc Apoſtoli dicto continuò ſuam ſententiam confirmauit. Facit autem Concilio inſignem iniuriam hic Fabricius, cùm ait, ità *hunc locũ decurtari*

Rom. 4. v. 4.

decurtari à Concilio Trid. ſcilicet, quòd de operibus agat Apoſtolus ante fidem factis. At verò Concilium adducit hunc locum, vt probet, quod dixerat, *nihil eorum, quæ præcedunt iuſtificationem, ſiue fidem, ſiue opera, promereri gratiam.* Quomodo ergo Apoſtolicum dictum accipit de operibus ſolùm ante fidem factis, ſi ex illo probet, nec fidem, nec opera, quæ ex fide ante iuſtificationem fiunt, gratiam iuſtificationis poſſe mereri? Prima iuſtificatio non omnem omnium operum diſpoſitionē, ſed omne quorumcunq; operū propriè dictum meritum excludit. Verùm deniq;, vt Fabricius opera ex fide facta non ſolùm vt merita, ſed etiā vt diſpoſitiones à iuſtificatione remoueri ab Apoſtolo oſtendat, in ſextum Apoſtoli ad Rom. caput inſanè irruit, ſacrumq; textū iuxta ac ſenſum turpiſſimè, purus iſte ſcilicet Euangelij præco, adulterat. *Patet,* inquit, *ex cap. 6. ad Rom. vbi quæſtionem mouet, ſi iuſtificatio non fiat ex operibus, vel operum noſtrorum dignitate, peccabimus ergo, vt gratia abundet?* Non ita habet textus Apoſtoli, ſed ità ait ipſo capitis ſexti initio. *Quid ergo dicemus? permanebimus in peccato, vt gratia abundet?* Nec ſenſus hic Pauli eſt: non enim hæc obiectio ex eo nata eſt, quòd dixiſſet Paulus, iuſtificationem non fieri ex operibus; neq; enim hac de re mentio vlla eſt in fine præcedentis capitis, cuius hæc vltima verba ſunt; *Lex ſubintrauit, vt abundaret delictum, vbi autem abundauit* c. 5. v. 20 & 21. *delictū, ſuperabundauit & gratia, vt ſicut regnauit peccatū in mortem*

Digitized by Google

tem, ità & gratia regnet per iuſtitiam in vitam æternam, per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. Hinc nata eſt quæſtio, quam initio ſequentis capitis per prolepſin mouet Apoſtolus, eique reſpondet. Poterat enim dicere aliquis: ſi verum eſt, ô Paule, quod in fine ſuperioris capitis dixiſti, *vbi abundauit delictum, ſuperabundauit & gratia*, maneamus ergo in peccato, & peccata peccatis cumulemus, vt magis ac magis ſuperabundet gratia Dei in nos. *Abſit*, reſpondet Paulus: *qui enim mortui ſumus peccato*, (hoc eſt, iuſtificati in Baptiſmo) *quomodo adbuc viuemus in illo?* Vim ergo apertam fecit Paulino textui Fabricius. Si enim Paulus quæſtionem ex eo, quòd iuſtificatio non fiat ex operibus, natam propoſuiſſet, ſic vtique dixiſſet: *permanebimus in peccato, vt non iuſtificemur ex operibus?* At non ità Paulus: *permanebimus*, inquit, *in peccato, vt gratia abundet?* Ità nimirum quærit, quia ante illa dixerat, vbi abundat delictum, abundare & gratiam.

Poſt hos ſiue inſcitiæ, ſiue malitiæ ſuæ in Pauli dictis explicandis turpes lapſus, Fabricius coronidis loco ad Philippum à conuitio abſoluendum, & nos criminis damnandos, inſulſiſſimam conſequentiam ex quadam noſtra doctrina facit, & de ea tamen, quod ſolent indocti, mirè triumphat. *Notet Lector*, inquit, *Pontificios docere ſatisfaciendum à nobis pro remiſſione pœnæ peccati. Vnde vanum & Chimericum purgatorium, vnde tot opera ſplendida adferunt ad expiationē pœnæ peccati:*

peccati: negant tamen ſe propter dignitatem propriam, vel operum ſuorum, accipere remiſſionem peccatorum: & ſibi magnam iniuriam fieri clamitant. Ita pudet eos doctrinarum ſuarum. Pudeat te, Fabrici, tuæ tam deploratæ inſcitiæ: neque enim nos noſtræ doctrinæ pudet, pigetque. Quid tu miſer ab operibus ſatisfactoriis iuſtorum, pro remiſſione pœnę temporarię poſt peccati remiſſionem ſuperſtitis, ad opera meritoria hominis impij, pro remiſſione peccatorum ex debito accipienda indoctiſſimè ineptiſſiméq; argumentaris? Homo iuſtus vi iuſtitiæ ſibi per Chriſtum donatæ, poteſt dignè ſatisfacere pro pœna temporali Deo debita: hæc Catholica doctrina eſt: quid ex illa colligit Fabricius? Ergo Catholici docent, hominem impium ob dignitatem propriam operum ſuorum, accipere remiſſionem peccatorum, eamque mereri. Putidiſſima conſequentia, & mille cachinnis digna, quæ à iuſto ad impium, à ſatisfactione ad meritum, à pœna temporali ad peccati culpam æternamque pœnam tam imperitè tranſilit. Profectò, Fabrici, vel vnum tale inſcitiæ tuæ ſpecimen, quo diuerſiſſima confundis, & pro eodem habes, repulſam à Theologica licentia iuſtiſſimè potuit mereri. Tirones Theologiæ norunt hæc diſtinguere.

Digitized by Google

De quarto conuitio Philippi: ridiculâ Prædicantium excuſatione, & craſſâ Fabricij inſcitiâ. §. IV.

QVarto loco ex art. 12. Auguſtanæ Confeſſionis hanc recenſui Philippicam calumniam; *Docent ſatisfactiones eſſe neceſſarias ad redimẽdas pœnas æternas*, illamq; Tridentini Concilij contrario teſtimonio luculenter confutaui. Quod huic Philippi probro tegendo mantellum inijciunt Prædicantes? Meiſnerus inquit Theſ. 25. *Verba hæc in Apologia non reperiuntur*: mox alium locum ex Apologia art. de confeſſ. & ſatisfact. recitat, in quo Philippus veriùs, mitiuſq; ſententiam Catholicorum de ſatisfactione recenſet. Fabricius quoq; diſſimulans locũ à me citatum, ſimilem illi, quem Meiſnerus ex Apologia protulit, ex locis communibus Melanchtonis, tit. de ſatisfactione producit, vt Philippum calumniæ ſuſpicioni eximat. Non quæritur, Prædicantes, quid Philippus in Apologia, quid in locis, ſed quid in Auguſtana Confeſſione ſcripſerit. Non ego, Meiſnere, Apologiam, in qua hæc non reperiri ais, ſed Confeſſionis Auguſtanæ art. XII. citaui; inſpice, & inuenies ipſiſſima verba in fine articuli. Ergóne in Aug. Confeſſione Philippus hoc non ſcripſit, quia alibi aliter ſcripſit? an quia alibi veriùs ſenſit, loco à me citato veri limites non eſt impudenter tranſgreſſus? Imò etiam in vtroq; loco, quem ex Philippo ad illius excuſationem Prædicantes producunt,

Lipſ. in 4. p. 15.

ducunt, Philippus veri minimè tenax continuò in idem mendacium, quod in Aug. Confeſſione effutiuerat, relabitur; nam in locis Thelogicis, tit. de ſatisfact. poſt verba à Fabricio citata, illicò hæc ſubdolè à Fabricio omiſſa, ſubiungit. *Rectè fatentur non remitti culpam per ſatisfactionem, ſed poſteà de compenſatione pœnæ æternæ hallucinantur. Error eſt enim ſentire, quòd æternæ pœnæ remittantur propter noſtram compenſationem: & multò abſurdius eſt, quòd fingant, propter opera non debita remitti, de quibus dictum eſt. Fruſtrà colunt me mandatis hominum.* Et in Apol. art. de Conf. & ſatisfact. *Quid monſtri*, inquit, *eſt, dicere, quòd Chriſti ſatisfactio redimat culpam, noſtræ pœnæ redimant mortem æternam?* Hæc verba melior Fabricio Meiſnerus non diſſimulat, ſed Bellarmino aurem vellente, fatetur ea Philippi quidem eſſe, mitigare tamen ineptiſſimo gloſſemate conatur. *Hoc*, inquit, *reſpectu compenſationis tantùm & concurſus intelligit; quia enim Papicolæ fingunt pœnas æternas mutari in temporales, & pro his ſatisfieri operibus indebitis, hinc conſequenter pœnas æternas, verùm in temporales mutatas redimi à nobis poſſe conſequitur.* Calua excuſatio, ineptiſſima conſecutio, & huic prorſus gemina. Cùm eſſet mutata aqua in vinum, conuiuæ nuptiales in Cana biberunt vinum, ergo biberunt aquam, nimirum in vinum mutatam. Quis riſum teneat ad tam acutum Enthymema? Tale hoc Meiſnerianum eſt; Mutatis æternis pœnis in temporales, pro temporalibus ſatisfieri poſſe do-

Digitized by Google

cent Pontificij, ergo docent redimi poſſe pœnas æternas, nimirum mutatas in temporalem. Abſtine, Meiſnere, tam ridiculis conſequentijs, quibus honorem Philippi non reſtituis, ſed tuum perdis. Tam parùm ex ſatisfactione pro temporalibus pœnis, in quas æterna mutata eſt, conſequitur pœnæ æternæ redemptio, quàm parùm ex vini, in quod aqua olim à Domino conuerſa eſt, potatione, aquam bibiſſe conuiuas colligitur. Sicut aqua in vinum mutata, vinum non eſt, ità æterna pœna in temporalē mutata, æterna non eſt. Atq; non tantùm ità ineptit Meiſnerus, ſed etiam ineptiarum ſuarum Patrocinium ex Bellarmino impudenter fingere audet. *Imò Bellarminus*, inquit Prædicans, *non obſcurè hoc fatetur.* Quid? *ſecundùm ſcripturam & Patres opera laborioſa, quæ cum Dei auxilio fiunt à pœnitentibus, ſiue ex congruo, ſiue vt diſpoſitiones concurrere & prodeſſe ad remiſſionem culpæ & mortis æternæ liberationem.* An hoc eſt fateri Meiſnerianas ineptias de redimendis pœnis æternis, nimirum in temporales mutatis? Loquitur Bellarminus clarè de operibus bonis ex gratia præueniente factis ab homine nondum iuſtificato, antequam culpa remittatur, & pœna æterna in temporalem commutetur; Prædicans agit de operibus, quibus iam factâ æternæ pœnæ in temporariā mutatione, pro temporaria, vel potius, vt ſubtiliter loquitur Meiſnerus, pro æterna, verùm in tempora-

lib. 4. de Pœn. c. 12.

riam

riam mutata ſatisfit. Quomodo ergo Bellarminus non obſcurè fatetur hoc, quod dixit Meiſnerus, æternas pœnas, nimirum in temporalem mutatas à nobis redimi poſſe, cùm agat de pœnis æternis nōdum remiſſis & mutatis in temporalem, dicatq́ue tantùm, opera laborioſa cum Dei auxilio facta, ſiue ex congruo, ſiue vt diſpoſitiones prodeſſe ad liberationem mortis æternæ. Eo ſenſu etiam S. Thomas, quem Fabricius hîc quoq; adducit, vel potiùs Auctor ſupplementi S. Thomæ dixit. *Dolorem ſenſibilem pœnam quandam eſſe, & tantum poſſe intendi, quòd ſufficiet ad deletionem culpæ & pœnæ*, nimirum per modum diſpoſitionis ante iuſtificationem, poſt illā verò tanquā iuſtā ſatisfactionē pro reliqua aliàs pœna tēporali, *Suppl. q. 10. a. 2.*

Poſt inanes has Philippi excuſationes, Fabricius tanquam Philippo doctior noua aliqua Catholicæ doctrinæ in hoc genere portenta ꝑfert, quæ Philippum omiſiſſe miratur. Quęnam illa? *Dicunt aliqui,* inquit, *teſte Thoma, per opera bona extra charitatem mitigari pœnas infernales: quidam alij docuerunt, pœnam infernalem diminui per talia opera, quantum ad vermē conſcientiæ, licet non quantum ad ignem.* Sed quid tu, Fabrici, priuatas aliquorum ſententias à pleriſq; omnibus Catholicis DD. reiectas & refutatas pro Catholica doctrina venditas? Si aliter Catholicam doctrinam, niſi paucorum quorūdam priuatis, miniméq; receptis erroribꝰ, diffamare non habes, non eſt, quod Philippo palmā eripere

ſperes,

ſperes. Verùm etiam in clariſſimo Doctore S. Thoma eiuſmodi portenta Fabricius obſeruat, &, *Heu portentum, ô blaſphemia*, exclamat. Multum, ſi verè: at enimuerò nihil portentoſum, blaſphemum nihil à S. Thoma, ſed à Fabricio ſtupidiſſimum conuitiũ dictum eſt. Ait S. Thomas *per opera ſine fide & charitate facta mitigari pœnam infernalem, quia talia opera diſponunt hominem, vt ſe retrahat à peccatis.* Quid in his verbis, ô mirio, portenti eſt? veriſſima ſunt: niſi tibi par pœnæ modus à Deo paucioribus & pluribus peccatis ſtatui videatur, & tam bona quædam peccatoris opera, quàm peccata punienda cenſeas. Annon mitiores in inferno pœnas luet, qui paucis quibuſdam peccatis ſæpius opera quædam bona interiunxit, quã is, qui plurima, nullo virtutis opere interpoſito, flagitia continuè perpetrauit? Hoc docet S. Thomas: peccatori, ſi boni aliquid ſubinde agit, eoq; à malis interea actibus ceſſat, minus creſcere pœnã, quàm ſi malè perpetuò ageret. Quis hoc ſani cerebri negat? ſed portentoſo Fabricio portenti ſimile eſt, vti & *illud,* inquit, *non abſimile, Sacerdotem commutare æternam pœnam in temporalem.* Nec hoc portentum illi eſt, qui nouit poteſtatem remittendi peccata Sacerdotibus à Chriſto in Apoſtolis datam: nam cùm Sacerdos vice Chriſti, vt Miniſter, cum culpa æternam pœnam ità communiter remittat, vt ſuperſit alicuius temporalis pœnæ debitum iuſtiſſima Dei

voluntate

voluntate exoluendum, rectè per actum abſolutionis dicitur commutare pœnam æternam in temporalem. Et quid hinc abſurdi ſequitur? *Inde*, inquit Fabricius, *ſequitur, hominem poſſe remanere obſtrictum pœnæ æternæ poſt remiſſionem culpæ.* Nego ſequelam. Probat Fabricius. *Fatentur enim Catholici per Contritionem culpã remitti, & fateri coguntur, Ezech. 18. En igitur contritus abſq; culpâ, attamen obſtrictus pœnæ æternæ debito, donec Sacerdos velit, qui commutet pœnam æternam in temporalem. O blaſphemia!* O ſtupor. Catholica doctrina eſt, culpæ grauis vinculum & pœnæ æternæ debitum nunquam ſeiungi poſſe: ſimul oriuntur & pereunt: cui per contritionem, quæ votum ſeu propoſitum tamen confeſſionis includit, culpa remittitur, vnâ quoq; æterna pæna à Deo condonatur, & in temporalem vertitur. Quid ergo tu rerum noſtrarum imperitiſſime Apoſtata ais cum blaſphemiæ conuicio, apud nos contritum remiſſa culpa manere obſtrictum pœnæ æternæ, dum Sacerdos adſit, qui mutet pœnã æternam in temporalem? Sicut peccator per contritionem cum voluntate ſiſtendi ſe Sacerdoti remiſſionem culpæ obtinet, ità & æternæ pœnæ relaxationem, omnium Catholicorum indubitatâ ſententiâ conſequitur. Itaq; non hîc blaſphemauit S. Thomas, ſed ex ſupina inſcitia inſigne conuitium fecit ſtupidus Fabricius.

De quinto conuitio Philippi: falſo Prædicantium diuerticulo & Fabricii in Patribus, ac præſertim in Stapletono corrumpendo impudentiâ.

§. *V.*

QVintum conuitium Philippi à me recenſitum hoc fuit; *Fidei & meriti Chriſti, & iuſtitiæ fidei nulla fiebat mentio.* Oppoſui illi contrarias clariſſimas ſententias S. Thomæ & Tridentinorum Patrum. Quid reponunt Prædicantes? Meiſnerus ait, nos non docere de fide & merito Chriſti, quæ Lutherani ſolent, eaq́; re verum dixiſſe Philippum. Friuola excuſatio iam ſuprà in primo conuitio exploſa. Aliud excuſationis genus vtriq́; commune eſt, nos rariùs meriti Chriſti & fidei, ſæpius noſtrorum operum & meritorum meminiſſe. Non eſt ità: omnes orationes noſtras, quæ, antequã vos eſſetis, fuerunt, in teſtimonium voco aduerſùs hanc calumniam: nulla ibi noſtrorum meritorum mentio, ſed frequens noſtrorum delictorum, noſtræ fragilitatis, noſtræ ex nobis impotentiæ confeſſio, vnius Chriſti ad impetranda beneficia in illâ clauſulâ, *Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum*, perpetua allegatio. At quòd opera vivæ fidei multùm vrgeamus, de ijsq́ue perſæpe diſſeramus, id auctore Apoſtolo facimus, qui negat in Chriſto quidquam valere, niſi fidem, quæ per dilectionem operatur,

Gal. 5. v. 6.

ratur, & Charitatis viam tanquam excellentiorem ſuis Corinthijs demonſtrat. Non venit in obliuionem meritum Chriſti, cùm iuſtorum bona opera & merita docemus: nulla enim ſunt hæc merita, niſi ex gratia & meritis Chriſti. Scimus merita noſtra, dona Chriſti eſſe, & fatemur cum Auguſtino, *cùm Deus coronat merita noſtra, nihil aliud eum coronare, quàm munera ſua.* Nouimus fidem ſine operibus mortuam eſſe, ideò vt ex fide viuatur, ad opera ſancta vehementer fideles excitamus. Et vos, niſi parem de operibus ac fide mentionem facitis, veſtro illi commento, quòd fides vera ſine operibus eſſe nequeat, repugnatis: quomodo enim de operibus tacetis, cùm veram fidem, quæ ſine operibus vera eſſe non poteſt, docetis? Sed hîc Fabricius rurſum egregium ſuæ & inſcitiæ, & maliciæ ſpecimen edit. Vt enim nulla iuſtorum merita eſſe, eaque æterna obliuione ſepelienda eſſe oſtendat, duas ex Auguſtino & Bernardo (ſi tamen ex illis, nec enim locum vllum indicat,) ſententiolas profert, quibus tamen illi non iuſtorum, per gratiam Chriſti, merita, ſed hæreſin Pelagianam de meritis hominum ſine gratia Chriſti, in quo frequens eſt Auguſtinus, & ſuperbam de meritis gloriationem, quod ſolenne eſt Bernardo, improbarunt. Certè eos merita iuſtorum, quæ ex gratia originem habent, approbaſſe

1. Cor. 12. a. 31

Ep. 105.

ex pluribus eorundem ſententijs liquet: duas hîc tantùm breuiſſimáſq; Fabricio diligentiùs notatis locis reponam. *Nulláne igitur*, inquit Auguſt. *ſunt merita iuſtorum? ſunt planè, quia iuſti ſunt.* Et Bernardus; *Merita*
Ep. 105. Serm. 68 in Cant. *habere cures, habita data noueris. Perniciosa paupertas, penuria meritorum; præſumptio ſpiritus, fallaces diuitiæ.* Quā craſſum ergo illud Fabricij dein de omnibus Patribus mendacium! *Patres*, inquit, *ſolius meriti Chriſti mentionem faciebant. Teſtis Stapletonus in Promptuario, vbi inquit: Quòd ſi aliquis veterum vocabulo promerendi vſus eſt, non aliter intelligit, quàm conſecutionem de facto.* Scilicet nullum veritati cū mendacio commercium eſt: eâ re Fabricius, quod falſò de Patribus edixerat, falſo voluit teſtimonio confirmare. Iniuriam Stapletono facis Prædicans. non ille eo loco teſtatur, Patres nullam meriti noſtri mentionem habere, ſed aduerſus tui Caluini putidam impoſturam docet, Patres, cùm de Magdalenæ pœnitentia diſſerunt, non vſos eſſe promerendi vocabulo, quaſi illa ſuis lacrymis, vnctione & oſculis merita ſit remiſſionem peccatorum, aut certè, ſi quis vſus ſit, non propriè dictum meritum, ſed tantùm conſecutionem de facto intellexiſſe. Hæc Catholicorum peruulgata & conſtans doctrina eſt, primam iuſtificationis gratiam in meritū non cadere, ad eam tamen quibuſdam pœnitentis diſpoſitionibus opus eſſe. Hoc Patres ſenſiſſe contra Caluini calumniam teſtatur Stapletonus. Ità e-

nim

Digitized by Google

nim loco citato ſcribit in illa Chriſti verba; *Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum.) Laudatur hic actus dilectionis multæ, non ſanè, vt cauſa aliqua efficiens, aut meritoria conſequentis remiſſionis aut veniæ, ſed vt actus bonus ex ſpeciali Dei gratia procedens, ad hanc remiſſionem diſponens etc.* Sed negat hoc totum fortiter *Caluinus, & ait.* Mirum eſt, pleroſque interpretes tam craſſè hallucinatos eſſe, quaſi hæc mulier veniam lacrymis, vnctione & oſculis pedũ promerita ſit. *Nemo vel veterũ interpretum vel recentium verbo promerendi vſus eſt, aut ſi aliquis eo vſus eſt, aliter non intellexit, quàm conſecutionem de facto.* Hęc ergo ultima verba, prioribus ſuppreſſis, malitioſiſſimè retulit Fabricius, vt ex ijs lectori perſuaderet in ea ſententia fuiſſe Stapletonum, quòd Patres meriti noſtri nunquam vel verbo meminiſſent. O fraudulentum caput! Agit Stapletonus de merito impij ante gratiam: hoc negant Patres, negant omnes Catholici, & per ſummam iniuriam illis affingit Caluinus. Non agit de meritis iuſtorum, quæ cum Patribus Catholici omnes agnoſcunt, ſed Patribus ignota fuiſſe impudenti mendacio affirmat Fabricius, & impudentiùs verbis Stapletoni merita ante gratiam negantis confirmat. Vnde & illa Fabricii calumnia ruit, Bellarminum aduerſari Patribus, cùm prædicat dignitatem meritorum, quibus iuſti poſt gratiam acceptam, digni fiunt cœleſti præmio. Nec demum digna reſponſo eſt illa impudens Fabricii

In Propt. Cath. fer. 5. poſt Dom. Paßionis

gloſſa ad ſcripturæ dicta de dignitate hominum iuſtorum: ſcilicet ijs non ſignificari, quòd ſint verè digni, ſed quòd æſtimentur à Deo digni, propter meritum Chriſti. Scilicet eſſe, eſt æſtimari in Lexico Caluiniano, & falli Deus in æſtimatione ſua poteſt.
Rom. 2. v. 2. Apoſtoli dictum eſt; *Iudicium Dei eſt ſecundùm veritatem.*

Sextum conuitium Philippi inſignibus Iuris Canonici vterq; Prædicans: Fabricius etiam Bellarmini corruptelis & calumniis defendunt. §. VI.

SExtum conuitium Philippi de nobis hoc numeraui. *Suas traditiones longè accuratiùs ſeruari poſtulant, quàm Euangelium.* Meiſnerus, vt conuitij
Theſ. 27. notam deleat, primùm quædam enumerat diuinâ lege libera, quæ Eccleſiæ lege vel imperantur, vel vetantur. Cui fini, Meiſnere? an vt inde colligas, Eccleſiam ſuas leges Euangelio præponere? Infirma & inſipiens collectio, qua etiam ciuiles leges, imò omnem humanam legem impugnas. Quàm multa Regum, ac Principum legibus prohibentur, quæ per diuinas leges licent? imò quid eſt humana lex; quàm quæ Deus libera reliquit, iuſtis de cauſis præcipere, aut prohibere? An ideò Magiſtratus in Deum iniurius eſt, ſuáſque leges diuinis antefert, & accuratiùs illis ſeruari poſtulat? Firmius aliquid profer, quo Philippi conuitium fulcias, Meiſnere. *Sanctiones ſuas*, inquit,
tam

Digitized by Google

tam rigoroſè volunt obſeruari, vt niſi fiat, protinus in Spiritum Sanctum peccari aſſerant, prout innuitur cauſſa, 25. q. 1. cap. Nulli. & cap. Violatores. Annon hoc eſt traditiones Papales præferre Euangelio? ſi enim grauiùs peccat violator Canonum Papalium, quàm tranſgreſſor legum diuinarum, vtiq; plus illis tribuetur, & accuratiùs eas obſeruari poſtulatur. Ità eſt: ſed in citatis Iuris Canonici capitulis, nec Papæ conſtitutiones diuinis præferuntur, nec grauiùs illarum violator, quàm diuinarum tranſgreſſor peccare dicitur. In cap. Nulli. dicit Pontifex Damaſus; *Nulli fas ſit ſine ſtatus ſui periculo, vel diuinas conſtitutiones, vel Apoſtolicæ ſedis decreta temerare.* Quid ais, Prædicans, in hoc cap. innui, peccare in Spir. S. qui Papæ leges violat? nec verbulo hoc innuitur. Et an hîc præferuntur Papæ leges diuinis? imò clarè poſtponuntur: priùs diuinarum Conſtitutionum, tanquam potiorum, tum Apoſtolicæ ſedis decretorum, tanquam minorum mentio fit. Sed alterum c. cit. audiamus *Violatores Canonum voluntariè, grauiter à SS. Patribus iudicantur, & à S. Spiritu, inſtinctu cuius ac dono dictati ſunt, damnantur, quoniã blaſphemare Spiritum Sanctum non incongruè videntur, qui contra eoſdem ſacros Canones non neceſſitate compulſi, ſed libenter aliquid, aut proteruè agunt, aut loqui præſumunt, aut facere volentibus ſpontè conſentiunt: talis enim præſumptio manifeſtè vnum genus eſt blaſphemantium Spiritum Sanctum, quia contra eum agit, cuius nutu & gratia ſancti Canones editi ſunt.* Quæ verò hîc legum diuinarum & Pontificiarum comparatio,

paratio, vbi diuinarum nulla mentio? quo verbo dicitur legis Pontificiæ tranſgreſſorem grauiùs peccare diuinæ legis violatore? An ex eo hoc colligis, Meiſnere, quòd dicantur blaſphemare Spiritum ſanctum, qui contra ſacros Canones proteruè agunt, aut loquuntur? malè profectò: quaſi verò nō & ille, qui Euangelio & diuinæ legi proteruè repugnat, in Spiritum S. blaſphemus ſit; quaſi verò hoc ab iſto Canone negetur, & maior blaſphemia in Spiritum S. contemptus legum Eccleſiæ, quàm Dei eſſe dicatur? Annon, cùm ait vnum genus eſſe blaſphemantium Spiritum S. & non incongruè videri eos blaſphemare, qui contra leges Spiritus S. inſtinctu latas verbo factoq; proterui ſunt, indicat & aliud, & apertius euidentiuſq; eſſe genus blaſphemantium Spiritum S., qui in ipſas diuinas leges ab illo Spiritu non tantùm dictatas, ſed latas, impij ſunt? Eccleſia Dei à Spiritu S. regitur: hic illi perpetuus Dux datus eſt, hoc duce docet, leges condit, omneſq; ſui muneris partes explet. Qui ergo Eccleſiam, eiuſq; leges contemnit, Spiritum S., cuius dictamine ab Eccleſia eæ latæ ſunt, ſpernit; maior verò ille diuini Spiritus contemptus eſt, ſacrum Euangelium, quod ipſiſſimum S. ſpiritus verbum eſt, violare. Si dicam, Meiſnere, eum; qui Eccleſiæ miracula contemnit, damnatiq; ſpiritus opera eſſe criminatur, reum eſſe blaſphemiæ in Spiritum

Digitized by Google

Spiritum S. verum miraculorum auctorem, an tu me Eccleſiam Chriſto, Eccleſiæ miracula mirandis Chriſti operibus prætuliſſe, dixiſſeq́;, quòd grauiùs peccet, qui Eccleſiæ, quàm qui ipſius Chriſti miracula deſpicit, ſine conuitio inferes? Idem Canoni citato conuitium feciſti.

Quid verò ad hanc Philippicæ calumniæ maculam abſtergendam profert Fabricius? Bellarmini, & Iuris Canonici Confeſſionem, atq; inſuper exemplorum ſuffragium: imò Bellarmini & Iuris Canonici partim ineptiſſimas ad hanc rem allegationes, partim turpes corruptelas, atq; demum pro exemplis craſſa mendacia. Ex Bellarmino duos locos depromit ad Philippum excuſandum. Primus eſt: *Quædam ſunt traditiones maiores, quoad obligationem, quàm quædam ſcripturæ.* His verbis admodùm gloriatur Fabricius, quaſi ea Philippicis gemina ſint. *Expreſſè*, inquit, *Bellarminus id dicit.* Non ità eſt. Ego verò tuam, Fabrici, occultam fraudem hîc exprimam. Loquitur Bellarminus de traditionibus diuinis ſeu verbo Dei non ſcripto; Philippus de legibus Eccleſiaſticis, quas à nobis præferri Euangelio calumniatur. Quid tu ergo fraudulentum caput, vt dictum Philippi de legibus Eccleſiæ confirmes, Bellarmini ſententiam de diuinis traditionibus obtrudis? quid ſententiolam prioribus & poſterioribus, quæ tuum fucum prodidiſſent, omiſſis

lib. 4. de verb. Dei non ſcripto c. 7.

exſecas? Bellarminus Brentio illud Baſilij, quòd ſcripta & tradita dogmata eandem ad pietatem vim habeant, reprehendenti reſpondet, *rectiſſimè æquari traditiones ſcripturæ. Nam*, inquit, *vt in ſcripturis quædam ſunt magna præcepta, vt diligere Deum; quædam minora, vt non dicere verbum ocioſum, quæ non æquè obligant ad obſeruationem, & tamen æquè obligant ad fidem & venerationem: non enim minùs eſt hæreticus, qui non credit, aut non veneratur ſcripturam illam, quæ dicit*, de omni verbo ocioſo reddendam rationem in die iudicij, *quàm qui non credit, aut non veneratur illam*, Diliges Dominum Deum tuum, &c. *Ità etiam in traditionibus quædam ſunt maiora, & quædam minora, quoad obligationem agendi, & tamen omnia æque obligant ad fidem & venerationem. Et eodem modo, quædam ſunt traditiones maiores quoad obligationem, quàm quædam ſcripturæ, quædam minores, quædam æquales, cùm tamen omnes traditiones & omnes ſcripturæ ſint æquales, quantum ad fidem & venerationem, quæ illis debetur ab eodem auctore Deo, & veniant ad nos per manus eiuſdem Eccleſiæ Catholicæ, quæ eſt mater noſtra & Chriſti ſponſa.* Nihil addo his tam claris verbis ad Fabricianæ fraudis fucum abſtergendum.

Alter ex Bellarmino locus à Fabricio his verbis producitur. *Bellarminus dicit, Papam nos poſſe liberare ab obligatione iſta, quam DEus requirit hac lege: facite vobis fructus dignos pœnitentiæ. Eius ſunt verba hæc, vt non teneamur præcepto illo de faciendis fructibus dignis pœnitentiæ.* Iterum malitioſè, infideliter, mutilè Bellarmini verba recitat Fabricius: non dicit Bellarminus

lib. 4. de poenit. c. 13.

nus, Papam nos poſſe ab obligatione diuinæ legis ſoluere, & facere, vt non teneamur illo præcepto; facite fructus &c. Verba eius integra ſunt hæc. *Indulgentiæ non ſoluunt nos diuinis præceptis, ſed faciunt tamen, vt pro iis pœnis, quæ nobis per Indulgentiam condonantur, non teneamur præcepto illo de faciendis dignis pœnitentiæ fructibus.* Cur tu, Fabrici, mala fide, illa verba, *non ſoluunt nos diuinis præceptis,* & iſta, *pro iis pœnis, quæ nobis per Indulgentiam condonantur,* diſſimulaſti? Aliud eſt dicere, *Indulgentiæ faciunt, vt non teneamur præcepto de faciendis dignis fructibus pœnitentiæ,* quod Bellarmino tu imponis; & aliud eſt, quod Bellarminus dixit: *faciunt, vt pro iis pœnis, quæ nobis per Indulgentiam condonantur, non teneamur illo præcepto &c.* Illud primum abſolutè prolatum, vt tu recitas, falſum eſt: hoc alterum veriſſimum; non enim pro iis pœnis, quæ condonatæ ſunt, ſatisfaciendi præcepto quiſquam obligatur: quod ſimili quodam ex Apoſtolo Rom. 13. eleganter declarat Bellarminus. *Imperat enim ibi Apoſtolus, vt reddamus omnibus debita, cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal. &c. Igitur ſi cui creditor debitum donauerit, aut Princeps tributum remiſerit, non ſoluetur ille quidem Apoſtolico præcepto, vt non teneatur reddere omnibus debita, ſed non habebit debita, quæ reddat.*

Nec melior, imò peior multò eſt Fabricii fides in duob. quoq; Iuris Canonici teſtimoniis proferẽdis. I. eſt. *Nicolaus Papa dicit, vetus nouumq; teſtamentum ſunt*

recipienda, quia de his recipiendis Sancti Papæ Innocentij prolata eſt ſententia; vbi expreſſè præfert traditionem Euangelio. Et textum corruptè recitat, & ex illo malè colligit Prædicans: vtrumq; monſtro. Quærebatur de Epiſtolis decretalibus, an vim auctoritatis obtineant, cùm in corpore Canonum non reperiantur. Erant, qui illis auctoritatē denegarent; eos cùm Nicolaus Papa citato loco aliquot rationibus impugnaſſet, hac demum etiam vtitur. *Sed quare multum immoremur, cùm nec ipſas diuinas ſcripturas veteris & noui teſtamenti iā recipiemus, ſi iſtos dixerimus eſſe audiendos: etenim neutrum horum in codice Canonum Eccleſiaſticorum habetur inſertum.* Mox verò illorum reſponſum ad vltimam hanc ſuam rationem iſtud ſubiungit. *Sed reſponſuri ſunt iſti, qui ad reſiſtendum potius, quàm obediendum parati ſunt dicentes, quòd inter Canones inueniatur capitulum S. Innocentij Papæ, cuius auctoritate doceatur à nobis vtrumque teſtamentum eſſe recipiendū: quanquam in ipſis paternis canonibus nullum eorum ex toto contineatur inſertum.* Quid ad hanc iſtorum reſponſionem Pontifex? *Quibus*, inquit, *ad hæc reſpondendum eſt, quoniàm ſi vetus nouumque teſtamentum ſunt recipienda, non quòd Codici Canonum ex toto habeantur annexa, ſed quòd de his recipiendis Sancti Papæ Innocentij prolata eſſe videatur ſententia: reſtat nimirum, quòd decretales Epiſtolæ Romanorum Pontificum ſunt recipiendæ, etſi non ſunt Codici Canonum compaginatæ: quoniā inter ipſos Canones vnum B. Leonis Papæ capitulum conſtat eſſe permixtum, quo ita omnia decretalia conſtituta ſedis Apoſtolicæ*

cuſtodiri

Digitized by Google

cuſtodiri mandantur, vt ſi quis in illa commiſerit, nouerit ſibi veniam denegari. Non ergo Nicolaus Papa dixit, ſed decretalium ſugillatores obiecerunt, vetus nouúmq; teſtamentum recipiendum eſſe ob auctoritatem Innocentij in quodam capitulo id definientis: ex hoc verò illorum dicto Nicolaus etiam decretales Epiſtolas auctoritate Leonis, illas in alio capitulo confirmantis, recipiendas eſſe concluſit. *Si*, inquit Pontifex, *vetus nouúmque teſtamentum recipienda ſunt, quòd Innocentij de ijs recipiendis prolata videatur eſſe ſententia.* Fabricius omiſſa particula, *Si*, ex conditionata abſolutã propoſitionem fingit: & quod ab aduerſarijs pro argumento aduerſus illos ſumpſit Pontifex, Prædicans Pontifici tanquam proprium dictum tribuit, atq; demùm, vbi textus habet, *prolata videatur eſſe ſententia*, iſte, quaſi idem ſit, *videtur eſſe*, & *eſt*, ità recitat, *prolata eſt ſententia.* O fidem Prædicanticam! videamus conſequentiam. Dixerit ità, vt Prædicans refert, Pontifex: an ex illo Pontificis dicto ſequitur, à Pontifice, quæ Fabricij gloſſa eſt, præferri traditionem Euãgelio? nihil hîc de traditione Pontifex, ſed de Innocentij Pontificis ſententia, ſeu decreto loquitur: neq; verò ſententiam Pontificis, ſi eam nomine traditionis intelligit Fabricius, præfert Pontifex ſcripturis Canonicis, ſed lite de ſcripturis Canonicis orta, legitimi Iudicis decreto meritò permoueri fideles ad ſcripturas recipiendas indicat. Aucto-

Digitized by Google

ritatem Pontificis, Concilij, Eccleſiæ, non cauſam fidei, quæ reuelantis Dei eſt auctoritas, ſed acceptationis fidei argumentum eſſe dicimus. Et Auguſtinus dixit; *Ego verò Euangelio non crederem, niſi me Catholicæ Eccleſiæ commoueret auctoritas.* Dic, argute Prædicans, etiam ab Auguſtino Eccleſiæ auctoritatem Euangelio prælatam eſſe.

lib. cont. Ep. Mã. c.5.

Sed iam alterum teſtimonium ex 3. lib. Decret. à te depromptum examinemus. *Gnathones Papæ,* inquis, *tit. 8. de præbendis dicunt, Papam ex plenitudine poteſtatis diſpenſare poſſe de iure diuino & ſuprà ius. Gloſſa ibid. Papa contra Apoſtolum diſpenſat in Euangelio, interpretando ipſum.* O impudens corruptor, quid tuis adiectionibus, & textum Iuris, & gloſſam ſine fronte violas? Non Gnathones Papę, ſed Innocentius III. tit. cit. c. 4. *Propoſuit,* ſic loquitur: *Licet autẽ intentionis noſtræ non ſit, inueſtituras de vacaturis factis contra Canonum inſtituta ratas habere, qui ſecundùm plenitudinem poteſtatis de iure poſſumus ſuprà ius diſpenſare. &c.* Quid tu, Falſarie, de tuo interijcis vocẽ, *diuino,* quaſi dixerit Papa ſe de iure diuino diſpenſare poſſe, cùm tamen de iure Canonico, ſeu Canonum inſtitutis, vt ex præcedentibus verbis liquet, manifeſtè loquatur? Turpe hoc crimen falſi eſt, ſed Philippici conuitij Patrono dignum. Nec gloſſam ipſo textu mitiùs tractat Prædicans. Verba illa, *in Euangelio, interpretando ipſum,* adiectitia ſunt, & in Gloſſa illius capituli nuſquam extant. Non ait Gloſſa,

Digitized by Google

Papa diſpenſat contra Apoſtolum in Euangelio, ſed in illa capituli verba, (*ſupra ius*) ait; *nam diſpenſat contra Apoſtolum* diſt. 34.c. lector. At eo loco diſpenſat Papa nõ in diuino, ſed in Apoſtolico bigamiæ præcepto, vt ſcilicet Lector bigamus in neceſſitate ſubdiaconus fieri poſſit. Et profectò Papam nec in Euangelio, nec contra Apoſtolum in iis, quæ diuini Iuris ſunt, diſpenſare poſſe, Gloſſa ibidem expreſsè meminit, *Nec*, inquit, *diſpenſare poteſt contra quatuor Euãgelia. XV. d. Sicut. Nec contra præceptum Apoſtoli. XXV. q. 1. ſicut quidã, quod intelligo in his, quæ ſpectant ad articulos fidei.* Quid tu, Fabrici, hæc Gloſſæ verba ſuppreſſiſti, & alia tam tuis aſſumentis vitiata, quàm ſenſu adulterata ingeſſiſti?

Sed ad exempla, quibus pluris à nobis Eccleſiæ, quàm Dei leges fieri contendis, nos vertamus. Primum eſt de Sacerdotum cœlibatu. *Hunc*, inquis, *Concil. Trid. vocat legem Eccleſiaſticam.* Ità eſt. *Norunt verò omnes ſcortationem prohibitam iure diuino.* Et hoc verum eſt. *Attamen Bellarminus dicit*, melius eſſe ſcortari & vri, quàm poſt fornicationem votum cœlibatus violãdo ad nuptias tranſire. *Coſterus Ieſuita in Enchiridio idem dicit.* Bellarmini liber ſecundus de Monachis capita tantum quadraginta duo continet: non potui ergo verba à te recitata cap. 54. reperire. Velim fideliùs à te auctorum loca ſignari: nam hi errores, vt Typographum excuſem, tibi perfamiliares ſunt, &

Seſſ. 24. Can. 9.

lib. 2. de Mõ. c. 54.

cap. de ſalib.

fre-

frequentes, mihi verò propter temporis iniuriam permoleſti. Nec Bellarminus, nec Coſterus illa verba habent, eoq; modo loquendi vtuntur. Bellarminus quidem libro cit. ſed cap. 30. ità ſcribit: *De ea, quæ habet votum continentiæ, non poteſt rectè dici:* quæ non ſe continet, nubat, melius eſt enim nubere, quàm vri. *Nam vtrumq; malum eſt, & nubere, & vri: imò peius eſt, nubere, quidquid reclament aduerſarij, præſertim ei, quæ habet votum ſolenne. Nam quæ vritur, aut non peccat, ſi vſtio ſolum tentationem ſignificat; aut peccat ſolùm contra temperantiam, & contra votum, ſi fornicationem ſignificat: quæ verò nubit poſt ſolenne votum, peccat contra temperantiam, & contra votum, & contra ipſum coniugium, cùm ſub nomine coniugij tegat perpetuum ſacrilegium.* Non ergo dicit Bellarminus, melius eſſe fornicari poſt votum continentiæ, quàm nubere, ſed vtrumq; malum: peius tamen eſſe nubere, quã fornicari, quòd fornicatio vnum, inceſtæ nuptiæ cum iniuria coniugij perpetuum ſacrilegium contineant. Idem Coſterus tradit, & grauiter confirmat. *Sacerdos,* inquit, *ſi fornicetur, aut domi concubinam foueat, tametſi graui ſacrilegio ſeſe obſtringat: grauiùs tamen peccat, ſi contrahat matrimonium, ſicut eſt leuius peccatum, ſi maritus neglecta vxore, vel vaga libidine ſe polluat, vel cum ſtabili ſcorto adulterium committat: quàm ſi dimiſſa vxore aliam ſibi publico matrimonio iungat. Grauitas namque peccati huius in eo cernitur. Primò, quòd iniuria fiat priori matrimonio. Secundò, quòd vxor per ſuperinductam aliam grauiùs lædatur. Tertiò, quia per*

In Enchirid. c. de Cælib. 9. propoſ.

per publicum hunc contractum cum adultera inuerecundiùs, maio-riq́ʒ aliorũ offenſione & ſcandalo peccatur. Quartò, quia publica iſta fides & promiſſio indicat animum in peccato obſtinatè confirmatum, qui non per imbecillitatem, ſed deliberatè immane ſcelus committit. Pari modo Sacerdotes, qui nuptias ineunt, Primò voto ſolemni caſtitatis iniuriam faciunt. Secundò Eccleſiam grauiùs vulnerant, cum qua tanquam ſponſi ſunt copulati. Tertiò, inuerecundiùs ſcortantur cum ea, quam pro ſua haberi volunt. Quartò, obſtinatâ perfectâque voluntate in peccato perſeuerant. Quintò, hæreſi uitiatum habent intellectum, quòd arbitrentur eſſe nuptias, quæ non ſunt nuptiæ, ſed peiora omnibus adulterijs ſacrilegia. Hæc quæſo expendant impuri hæreticorum miniſtri, (qualis & Fabricius eſt) *qui Sacerdotium, quod in Catholica Eccleſia ſuſceperunt, inceſtis nuptijs fædant.* Vides, Fabrici, quàm ſolidè Coſterus probet te, tuiq́ʒ ſimiles, qui poſt ſolenne votum continentiæ editum, nuptias inire tentatis, grauius eo, qui fornicatur, ſacrilegium admittere. At, inquies, hinc verum eſt, quod Philippus ſcripſit: nã nuptiæ contra legem Eccleſiaſticam initæ grauius ſacrilegium ſunt, quàm fornicatio contrà legem diuinam commiſſa, præfertur ergo Eccleſiæ decretum diuino mandato. Nequaquam: nam nuptiæ illæ ideò ſacrilegæ ſunt, quia contra legem Dei vota fideliter reddi iubentem ineuntur. Lege Eccleſiæ quidem, non diuinâ votum continentiæ Sacerdotium ſuſcepturus ſolenniter profitetur: at vbi liberè ſponteq́ʒ profeſſus eſt, diuini iuris eſt, & ad

virtutem religionis ſpectat, vt votum Domino ſanctè ſoluat: & grandius profectò in Deum ſacrilegium eſt per incertas nuptias publicè, obſtinatè, perpetuò, quàm per fornicationem occultè, ſemel iterúmque fidem Deo ſolenniter datam violare.

Audiamus alterum exemplum. *Dei lege*, inquit Fabricius, *prohibentur nuptiæ in primo gradu affinitatis, ǽt in Cancellaria Papæ taxatur ſolutio legis ad 9. ducatos & 9. groſſos. Imò in foro conſcientiæ liber eſt per eam ſolutionem, qui duxit in tali gradu.* Quo auctore, quo teſte hæc, groſſe Prædicans, refers de Cancellaria Papæ? dum idoneos teſtes des, hæc, quæ narras, pro craſſo fumo Fabriciano habebimus. Ad gradum primum affinitatis quod attinet, incertum eſt, qua lege, diuina an Eccleſiaſtica, irritæ ſint in eo initæ nuptiæ. Si dicas, Leuitici 18. eas prohiberi: niſi lex illa naturalis eſt, ad nos eam pertinere, niſi verpa eſſe volis, non dices. At verò lege naturæ interdictum eſſe in eo gradu matrimonium ſi contendas, ſunt qui tecum ſentiant graues Theologi noſtri, eaque re negent Pontificem in gradu illo diſpenſare poſſe. At quia non paucorum, nec ignobilium Doctorum ſententia eſt, primum affinitatis gradum non naturæ, ſed Eccleſiaſtico tantùm iure nuptiis inhabilem eſſe, eorum quoq; opinione in eo gradu Pontifex diſpenſare poteſt; nam benè

Videatur Sanch de Matrim. l. 7. de imped. d. 66. n. 6. & 7. & l.

Sotus

Sotus ait; *Hæc ſunt conuertibilia: hoc impedimentum dirimit iure diuino naturali, ergo nequit in eo diſpenſare Pontifex, & hoc dirimit ſolo iure Pontificio, ergo poteſt.* Ergo & hoc exemplum, pręter inſcitiam & fabulam Fabricianam, ad Philippum excuſandum nihil habet.

8. d. diſt. 5. n. 10 & 12. in 4. d. 42. q. vnic. a. 3

Quid verò de tertio hoc iudicabimus? *Quilibet Sacerdos,* ait Prædicans, *imò de infimo rure poteſt ab adulterio abſoluere, ſed non ab eſu carnium in ſeptimana ſancta. Illa abſolutio petenda ab Epiſcopo, vel pœnitentiario deputato ad maioris notæ culpas diluendas.* Mendax calumnia. Nam adulterium inter reſeruatas culpas in quibuſdam Germaniæ Epiſcopatibus numerari conſtat: at eſum carnium diebus lege Eccleſiæ prohibitis, ex peccatis reſeruatis eſſe, inauditum eſt: & vt alicubi eſſet, num ideò adulterio grauius cenſeretur? quaſi verò certis de cauſis, veluti ob graue ſcandalum, aut fidei periculum, non liceat Epiſcopo quædam aliis non reſeruatis minora delicta ſuo tribunali iudicanda ſeruare. Ergo & imperitiam, & impudentiam ſuam vnà prodit Fabricius in hoc tertio exemplo. Sed ad vltimi conuitij excuſationem demùm pergamus.

Circà ſeptimum & vltimum Philippi cōuitium, quædam noua vtriuſque Prædicantis communia conuitia. §. VII.

POſtremum Philippi conuitium hoc produxi. *Cultus Sanctorum plenus eſt apud eos Idololatria.*

Oppoſui claram Confeſſionem contrariam, Concilij Tridentini. Prædicantes, vt Philippum veridicum, nos Idololatras faciant, præcipuè ferè ad Proſas, Hortulos animæ, Ordinarium Hildeshemienſe, Orationes funebres, Epiſtolas dedicatorias, libellos deniq; obſcuriſſimos confugiunt, & inde excerptis quibuſdam inſolentioribus locutionibus, de Catholica religione mirè triumphant. Nimirũ hoc agitis, miſeri, quia vobis de Tridentina Synodo, & Doctorum noſtrorum voluminibus, in quibus Catholicæ fidei doctrina propriè traditur, ac defenditur, nulla aduerſum nos veſtrorum mendaciorũ teſtimonia ſuppetunt. Hoc eſt, quod initio fundamenti dixeram, à Prædicantibus ad inuidiam religioni noſtræ conciliandam *produci aniles fabellas, Apocryphorum ſcriptorum deliria, precum hortulos, Typographorum rubricis in lucellum uitiatos, unius alteriúſue Doctoris errata.* Non ex his iudicanda eſt Catholica religio: tua ipſius verba initio reſponſi ad primum fundamentum, Meiſnere, ſunt. *Quod ab vno, pauciſue priuatis fit, non debet trahi in præiudicium religionis.* Quid ergo huius tuæ legis immemor, vt nos de idololatriæ crimine accuſares, ex priuatis & obſcuris libellis, quorum errata, ſi quæ ſunt, ipſa Catholica religio improbat, accuſationis capita depromis? Meliore vobiſcum fide egi, nam ad veſtros errores monſtrandos non Habermanni preculas, non alicuius Prædicantis

de

Digitized by Google

de cauea Pſalmos, nuptiales aut funebres Logos, aliáſque eiuſmodi, quibus Syllabi Francfordienſes ſcatent, quisquilias, ſed Auguſtanam Confeſſionē, Lutherum, Philippum, Brentium, ſimiléſq; veſtræ ſectæ ſummates in teſtimonium vocaui.

Sed quæ tandem ſunt illa idololatriæ crimina, etiam ex priuatis potiſſimum libellis corraſa? *Maria calcat ſerpentem*; non repeto, quæ ſuprà ad hanc Prædicanticam næniam dixi. *Sancti inuocantur, vt Saluatores.* An qualis Chriſtus fuit? Nequaquam, ſed qualis Paulus, qui *omnes ſaluos facere* vnicè cogitauit; qualem Timotheum eſſe voluit, cùm illi dixit, *& teipſū ſaluum facies.* Ite Prædicantes, & Paulum idololatriæ accuſate, quòd ſibi vſurpare, & Timotheo dare Saluatoris partes auſus ſit. Inepti, modum, quo Dominus nos ſaluos facit, nec Paulus ſibi, aut Timotheo, nec nos Sanctis arrogamus. Eiuſdem vocis longè diſpar eſt ſenſus; ſenſu non ſermone fit crimen. *Spem & fiduciam ſuam in Sanctis habent defixam.* An vt in ſupremo Numine? an nemini præter Deum fidendum? Iterum Paulus his Ariſtarchis peccauit, cùm ſcripſit Corinthijs; *multa mihi fiducia eſt apud vos.* Et ad Philippenſes; *non in carne fiduciam habentes, quanquam ego habeam confidentiam & in carne: ſi quis alius videtur confidere in carne, ego magis.* An nulla in Sanctorum precibus ſpes collocanda, cùm etiam in viuentium orationibus rectè ponatur? *Spero,* inquit Paulus, *per oratio-*

1. Cor. 9. 22. *1. Tim. 4. 16.* *2. Cor. 7. 4.* *Philip. 3. 4.* *Philem. v. 22.*

nes veſtras donari me vobis. Aliud Idololatriæ genus audiamus. *Mariæ præcipiendi ius tribuunt.* Quale filius ſponte in matre veneratur. Subditus illi in terris fuit, non ità in cœlis: matrem tamen etiamnum illam agnoſcit, & eo nomine honorat, pluſque illi roganti defert. Quid abſurdi eſt dicere, filium iam Matris in cœleſti gloria degentis preces pro imperio accipere, cùm Dominus Ioſuæ in terris pugnantis armatas de ſole ſiſtendo preces ità gratas habuerit, vt dicat ſcriptura. *Dominum obediſſe*
Ioſ. 10. 14. *voci hominis?* Dicite, ſi audetis, Prædicantes, Idololatricum eſſe, quòd Dominus obedierit Ioſuanæ voci, aut ſi, ſcripturæ ſcilicet reuerentiſſimi, non auderis, etiam nolite maledicere ei, qui dicit, filium Dei matris ſuæ precibus, tanquam materno imperio parere. *Sanctis, & præcipuè Mariæ Virgini gratiæ, bonorum cœleſtium elargitionem tribuunt.* Non aliter, quàm beneficium à Principe præſtitum, bono apud Principem Patrono adſcribitur. *Offerunt ſanctis ſacrificium laudis.* An verum ac propriè dictum ſacrificium?
lib. 8. de ciu. Dei c. 27. Audacter cum Auguſtino dico. *Quis autem audiuit aliquando fidelium, ſtantem Sacerdotem ad altare, etiam ſuper ſanctum corpus Martyris, ad Dei honorem, cultumq́; conſtructũ, dicere in precibus; Offero tibi Sacrificium, Petre, vel Paule, vel Cypriane, cùm apud eorum memorias offeratur Deo, qui eos &*
Iacob. 5. 16. *homines & Martyres fecit?* Quid aliud? *Confitentur illis peccata.* Scilicet Iacobus ad Idololatriam hortatur, cùm

aic

Digitized by Google

ait: *Confitemini alterutrum peccata veſtra.* Aliter ſanctis, aliter Deo peccata confitemur: illis, vt rogēt: iſti, vt det veniam. *Templa iis erigunt.* Non erigimus templa ſanctis ſub ratione templi: templum enim & altare referuntur ad ſacrificium, quod ſoli Deo offertur: at veluti altare Deo erectum, Martyrum tumulus eſſe poteſt, ità templum Dei, baſilica ſeu memoria Martyrum ſine Dei iniuria eſt. Nullam ergo Idololatriam committimus: nam vt clarè & præclarè loquitur Bellarminus, *quemadmodum idololatria eſſet erigere ſanctis altaria, & tamen non eſt Idololatria erigere illis lapideos tumulos: ità Idololatria eſt, erigere ſanctis templa ſub ratione templi, non tamen Idololatria eſt, erigere illis Baſilicas; ſicut etiam non eſt Idololatria donare ſanctis Thecas aureas vel argenteas, quibus includantur reliquiæ eorum: nihil enim aliud ſunt Baſilicæ, quàm magnæ quædam thecæ, quibus minores thecæ & ipſa ſepulchra clauduntur.* Lege, Meiſnere, ipſum Bellarminum, ſi prolixius ad antiquam hanc calumniam à te repetitam, vti & ad illud de feſtis & votis Sanctorum, reſponſum deſideras. Quantum denique illud piaculum! *Per ſanctos iurant.* Nimirum qui per cœlum & terram iurat, illicò cœlum & terram pro Diis habet. Non tantùm per Deum, ſed per ea quoque, quæ Dei ſunt, iuratur. Cœlum Dei ſedes eſt, & in ſanctis Deus ſingulariter habitat. *Orant per merita Petri & Pauli.* Merita ſanctorum in precibus noſtris commemoramus, quia illa

lib. 3. de cultu SS. c. 4.

loco cit. c. 9. & 16

u 4 præſer-

præſertim ad impetrandum efficacia ſunt. Scimus neminem præter Chriſtum alteri quidquam propriè de condigno poſſe mereri. Nihil ob merita Sanctorũ nobis iure debetur, ſed illi ob merita ſua efficaciores Patroni ſunt: & faciliùs à Deo per dilectiſſimos ob ſanctitatem amicos, quod petimus, impetramus. Idololatráne Salomon fuit, cùm orauit?
Pſ. 131. 1. *Memento, Domine, Dauid, & omnis manſuetudinis eius.* An & Azarias in medio ignis ità precatus? *Neque auferas*
Dan. 3. 35. *miſericordiam tuam à nobis propter Abraham dilectum tuum, & Iſaac ſeruum tuum, & Iſrael ſanctum tuum.* An Chryſoſto-
Hom. 24. in Gen. mus? *Propter defunctorum virtutem,* inquit ille, *viuentium Deus miſeretur, & curam habet, unde clamat dicens; Protegam*
4. Reg. 19. 34. *ciuitatem hanc propter me, & propter Dauid puerum meum.* An Auguſtinus, cùm ait? *Admonemur cùm merita noſtra nos*
q. 149. in Exod. *grauant, ne diligamur à Deo, releuari nos apud eum illorum meritis poſſe, quos Deus diligit.* I iam, Fabrici, & perge impudenter dicere. *Auguſtinus fatetur meritum unicum redemptoris, idq; remouet omninò à Sanctis.* Vbi remouet?
De vera Relig. c. 55. audiamus. *Non ſit nobis,* inquit, *religio cultus hominum mortuorum, quia ſi piè uixerint, non ſic habentur, ut tales quærant honores, ſed illum à nobis coli uolunt, quo illuminante lætantur meriti ſui nos eſſe conſortes.* An his verbis Auguſtinus à Sanctis omninò remouet meritum? imò diuinos honores omninò remouet; meritum nequaquam. Age, Prædicans, de quo merito ſermo eſt, cùm ait de Sanctis Auguſtinus; *lætantur meriti ſui nos eſſe conſortes?*

An

An de merito Dei illuminantis, quem à nobis Sancti coli volunt; & de cuius vero cultu toto illo capite diſputat Auguſtinus? At Dei, quà Deus eſt, nullum eſt meritum, nec vlla ibi Chriſti redemptoris mentio. Et inſuper omnes Grammatici iudicent, an ſine graui reciprocorum iniuria, quam Solœcus Prædicans Auguſtino affingit, de alio, quàm Sanctorum merito, intelligi locutio iſta poſſit, *lætantur nos meriti ſui eſſe conſortes*: dum ſcilicet, Deo iuuante, illorum exemplum intuentes, ſanctitatem atq; virtutes eorum in nobis exprimimus. Vnde illicò ſubdit Auguſtinus. *Honorandi ergo ſunt propter imitationem, non adorandi propter religionem.* Plus ſcilicet noſtra lætantur imitatione ſancti, quàm ſuo honore: quia imitatio nos illorum facit ſocios in merito, vt ſimus deinde in præmio. Quantum deniq; illud eſt ſacrilegium? *In pſalterio Virginis eradunt nomen Chriſti, & inſerunt nomen Mariæ.* Non eraſit S. Bonauentura Doctor celeberrimus nomen Chriſti ex pſalmis Dauidicis: integros illos reliquit: non intulit ſacro Codici ſacrilegam cum Luthero manum. Nouum ille pſalterium Virginis ſcripſit, deſumptis è Dauidico verbis, quæ tamen non eodem, quo Dauid ad Chriſtum, ſed alio, longeque humiliori ſenſu ad Mariam Virginem tranſlata vſurpauit. Quis neſcit, à proprio ſenſu quantum accommodatitius differat?

X Calu-

Calumniæ Fabricij pudendæ in quinq́ Theologos noſtros. §. *VIII.*

PArùm Fabricio fuit, cum Meiſnero huiuſmodi teſtimonijs Papiſticam idololatriam in ſanctorum cultu demonſtrare, niſi etiam Ieſuitas inſignes in hoc genere Idololatras palàm Lectori oſtentaret. Quinam verò illi? Bellarminus, Valentia, Oſorius, Turſellinus, Viegas: hos quinque idololatriæ incuſat Fabricius, ſed vaniſſimè & calumnioſiſſimè. Audiamus accuſationem. *Gregorius à Valentia Ieſuita, Bellarminus etiam, inſerunt hoc ad Virginem coronidis loco*, Gloria Deo, Beatæ Virgini Mariæ Dominæ noſtræ, Item Ieſu Chriſto. *Quid clarius, nomen Virginis ſubrogari in locum Chriſti?* Imò quid clarius, quàm Fabricium calumniam pro vero dicere? Tres Gregorij libros, & vnum Bellarmini nominat, quibus ita ſubſcripſerint. Non ità ſubſcripſerunt. Bellarmini poſt librum tertium de cultu ſanctorum talis eſt ſubſcriptio: *Laus Deo, Virginiq́; Matri Mariæ.* Gregorius de Valentia, librum de ſatisfactione ita concludit. *Laus Deo & Virgini ſanctiſſimæ, item Ieſu Chriſto noſtro Mediatori, qui nobis gratiam ſatisfactionis meruit.* Et librum de indulgentijs. *Laus Deo & Beatiſſimæ virgini Mariæ.* Libro deniq; de Idololatria hoc encomium ſubiicit. *Laus Deo & Deiparæ, Ieſu Chri-*

Digitized by Google

Chriſto, qui eſt imago Dei inuiſibilis, & character ſubſtantiæ, cui ſit item gloria & honor in perpetuum. Quid tu ergo, Fabrici, neſcio quam aliam de conuitioſo tuo cerebro coronidem fabricas? Vbi Maria ſubrogatur, vt tecum loquar, in locum Chriſti? à Bellarmino & Gregorio in ſecundo à te citato loco Chriſtus clarè non nominatur: ſed ſub Dei nomine, ante nominatam Virginem comprehenditur. In alijs duobus locis verò, quis non videt, Mariam à Gregorio non ideò, quòd dignitate præcederet filium, ante illum eſſe nominatam, ſed quia prolixũ & peculiare Chriſti, pro ratione materiæ tractatæ, encomium id requirere videretur? Annon mediator noſter, qui nobis ſatisfactionis gratiam meruit, Virgine ſanctiſſima? imago Dei inuiſibilis, & character ſubſtantię eius, Deipara prȩſtantior cenſetur? an Deiparæ Virgini ſingulares illæ Chriſti ac planè diuinæ laudes à Gregorio tribuuntur? Cur tu hæc Chriſti encomia à Gregorio notata ſuppreſſiſti, fraudulente Prædicans, niſi vt mendacem calumniam aliquantulum fucares?

Quid Oſorius peccauit? *Refert ex Ruperto Mariam in primo Concilio Hieroſolymitano præſidem egiſſe, & propter auctoritatem Mariæ Apoſtolos dixiſſe; Viſum eſt nobis, & ſpiritui ſancto.* Sed quænam hic idololatria, ſiue in Ruperti dicto, ſiue in Oſorij allegatione? Scilicet idololatricum ſit dicere, Mariam

Virginem Dei matrē, Spiritu ſancto pleniſſimam, extra ordinem ſingulari priuilegio præſediſſe Concilio Apoſtolico: & Euangelicum ſit dicere, quod Lutherus de ſuggeſtu clamauit, quamlibet fidelem mulierem diuino iure omnium Conciliorum iudicem eſſe? An fortè tibi, Prædicans, idololatriæ ſuſpicionem ingerit, quòd Virginem ab Apoſtolis pro Spiritu ſancto habitam eſſe, ex illo Apoſtolorū dicto, *Viſum eſt Spiritui ſancto & nobis*, videatur Rupertus, & poſt illum ſenſiſſe Oſorius? Non potuiſti hoc ſuſpicari, ſi in Oſorio hæc legiſti. *Adeò manifeſtè Spiritus S. in Maria habitabat & loquebatur, vt quod illa dicebat, à Spiritu diuino profectum non dubitaretur: ideò dicunt Apoſtoli, Viſum eſt Spiritui ſancto, qui in Maria loquitur, & nobis. Nec verò per id, quod dicit Rupertus, negandum eſt Petrum præfuiſſe illi Concilio, & Spiritum S. ei adſtitiſſe, ſicut reliquis Conciliis Oecumenicis.* Nihil hîc ſacrilegum aut irreligioſum. An aliud aliquid habes, quod contra Oſorium queraris? *Idem dicit*, inquis, *Sine Maria nihil decreuit dare Pater. Hoc ad Chriſtū pertinet. Sine me nihil poteſtis agere.* Non dicit hoc Oſorius, ſed Bernardum & Hieronymum hoc dicere dicit: quando verò, tu Prædicans, veritatem aliquando dices? Ità Oſorius loquitur. *Dicimus ergo, ſicut fide nobis certum eſt, omnem gratiam, omne donum deſcendens à Patre luminum, per Ieſum Chriſtum ad nos venire, ſine quo nihil poſſumus facere: ità nunc dicimus, omnem gratiam, & omne donum, quod à Chriſto recipimus, per manus Mariæ,*

In Poſt. Eccl. Dō. 8. poſt Tri. Cōc. 1. Argēt. anno 27.

Tom. 4. Conc. de ſingulari deuot. ad B. Virg.

riæ,

riæ, & eius orationem nobis concedi, ipſa primùm à Chriſto petente & obtinente. Hæc ſententia ſæpe à S. Bernardo dicta & propoſita eſt; Decreuit Deus, inquit, *nihil dare, niſi per Mariam. Et Hieronymus ſermone de Aſſumpt. Mariæ idem aſſerit, ait enim, omnis gratia, quæ eſt in Chriſto, eſt in Mariâ, in Chriſto, tanquam in capite influente, in Maria tanquam in collo transfundente, in Chriſto tanquam in fonte, in Maria tanquam in canali.* Aperta his verbis fraus Fabricij proditur, qui, ne ſanctos Patres de idololatriæ crimine impudenter diffamaret, Oſorium Ieſuitam falsò ſuppoſuit, dictumque illud Patrum, quaſi illi Chriſti, *ſine me nihil &c.* contrarium, ineptiſſimè carpſit, cùm Chriſto & Mariæ diuerſiſſima vis atq; auctoritas tribuatur. Chriſtus caput, Maria collum; ille fons, hæc canalis; ille ſua virtute dare, hæc per orationem impetrare dicitur;

Atque hinc illa quoque in Turſellinum Prædicantis calumnia refutatur. Ait Turſellinus; *omnes intelligunt, quidquid ab æterno illo auguſtoq; bonorum fonte in terras profluit, fluere per Mariam.* Quid ad hæc verba Fabricius? *Hoc præconium*, inquit, *ad Chriſtum pertinet, ad Tit.* 3. Effudit in nos abundanter per Chriſtum Ieſum. *Annon manifeſta idololatria?* Manifeſta quidem tua, & ſtupiditas, & calumnia. Aliter per Chriſtum: aliter per Mariam bona omnia fluere à Cæleſti Patre iam ex Patribus docuit Oſorius, ne repetamus. Nos intereà ſine ſacrilegio, licet rumpatur maledicus

In Ep. dedic. Hiſt. Lauret.

Serm. in Nat. Mariæ.

Mariomaſtix Fabricius, cum S. Bernardo *totis medullis cordium, totis præcordiorum affectibus & votis omnibus Mariam hanc veneremur, quia ſic eſt voluntas eius, qui totum nos habere voluit per Mariam.* Sed & illa Turſellini ibidem verba Fabricio inſanam bilem cient. *Mariæ cœleſtium, mortaliumq; Principatum detulit, ad huius arbitrium terras, maria, Cœlum, naturamq; moderatur, hac annuente, & per hanc diuinos theſauros mortalibus, & cœleſtia dona largitur.* At cur, Fabrici, verba Turſellini præcedentia, quibus ſequentium mens longè alieniſſima ab impio ſenſu declaratur, omiſiſti? Cur illa ipſa verba, quæ recitas, mutilaſti, & ea, quæ tuam fraudem apertam facerent, exſecuiſti? Præcedunt hæc. *Matrem ſuam, præpotens ille Deus diuinæ maieſtatis, poteſtatiſq; ſociam, quatenus licuit, adſciuit.* Audi, Fabrici, *quatenus licuit*; quid in his verbis impium? tantum de hac ſua poteſtate illi conceſſit, quantum creaturæ concedi poteſt. Eſt aliqua hominum poteſtas diuina, non naturâ, ſed participatione: quidquid enim ſupra naturam homini datur, diuinum dicitur. S. Petrus homines iuſtos

2. Pet. 1. 4.

ob cœleſtia illis collata dona *diuinæ naturæ conſortes effici* ait: An blaſphemat? Christus ſummus Agonotheta ad victoriam luctantes ità inuitat: *Qui vicerit,*

Apoc. 3. 21.

dabo ei ſedere mecum in Throno meo; ſicut & ego vici, & ſedi cum Patre meo in Throno eius. An & ille blaſphemat, Prædicans Caipha, homineſque in Deos transformat? Si hæc bono ſenſu noſti interpretari, cur iſtis

tam

tam claris verbis, *diuinæ poteſtatis ſociam, quatenus licuit, adſciuit,* ſuppreſſis, ſequentia in malum ſenſum malignè rapis? Quid in ſequentibus illa de medio tollis, *quoad hominum tutela poſtulat?* non dicit Turſellinus; *ad huius arbitrium terras, maria &c. moderatur,* ſed, *ad huius arbitrium, quoad hominum tutela poſtulat, terras, maria, cœlum moderatur.* Indicat Virginem amantiſſimam hominum patronam, ſuis filium precibus permouere, ad quæuis ſaluti hominum commoda vbiq; procuranda. Hoc precum patrocinium tacet Fabricius, vt videatur Maria cæli, terræq; ſuopte nutu ſuprema arbitra, quædam Dei imperatrix à Turſellino proclamari. Nulla ergo eſt Turſellini in Deum iniuria, ſed duplicata impudens in Turſellini verbis, Fabricij impoſtura.

Ad Oſorium redeo, cui Fabricius furenti ſimilis inſanis vocibus alia duo læſæ diuinæ maieſtatis crimina intentat. Vnum eſt. *Tremat,* inquit, *terra ad blaſphemã metamorphoſin Mariæ in diuinitatem, dum plus quàm tartareo gutture euomit hæc verba Oſorius Ieſuita.* Dubitant aliqui, an Maria adeò bona mater Chriſti dici debeat, ac bonus eſt Pater æternus. *O Cœlum, ô terra, quò non rapit inſania?* Fabricium ſcilicet inſanum Tubicinem. Tantum abeſt, vt Oſorius blaſphemâ metamorphoſi Mariam in Deum tranſformet, vt claris verbis oſtendat, Matrem filii Dei ab eiuſdem æterno Patre, ſiue generatio, ſiue natu- *Tom. 3. conc. 1. in Aſſum.*

natura per generationem communicata ſpectetur, infinitè ſuperari; at ſi & æterni Patris, & Mariæ Virginis filius conſideretur, cùm vtriuſq; idem in perſona ſit filius, ex hoc ſolo capite parem eſſe Patris atq; matris dignitatem. Sed audiamus, quid Oſorius ad quæſtionem propoſitam, & à Fabricio ſine reſponſo malitioſè recitatam reſpondeat; *Certè diuerſa admodum generatio eſt & diuerſa natura, quam Pater filio dedit ab ea, quam mater dedit, & à generatione, qua illa genuit, & in hac re excedit æternus Pater Mariam matrem. At verò ſi duntaxat filium ab vtroq; genitum attendamus, in nihilo Pater excedit matrem, idem enim filius eſt ab vtroque genitus, & hac ratione adeò bona mater Maria eſt ac æternus Pater.* Quid in his verbis, inſane calumniator, blaſphemum eſt? vbi Mariæ in Deum metamorphoſis? Admodùm impar mater Patri dicitur, ſiue generationis, ſiue naturæ filio datæ præſtantia. In ſolo filio paritas ponitur: an impiè? an alius eſt Marię, quàm Dei filius? an tu cum blaſphemo Neſtorio alium Dei & alium Virginis filium: Virginem Chriſtiparã tantùm, non Deiparam dicere audebis? Non ergo in his verbis blaſphemauit Oſorius, ſed tu, ſi illa neges, Neſtorianæ blaſphemiæ reus teneberis. Intereà manifeſtus Impoſtor es: nam vt Lectorem falleres, Oſoriúmq; in ſuſpicionem blaſphemiæ adduceres, verba quæſtionis ab illo propoſitæ ſine claro diſtinctoq; reſponſo produxiſti, quaſi Oſorius, aliquiq; Catholici

Digitized by Google

Catholici dubitarent, an Maria mater dici abſolutè debeat æque bona, atq; æternus Pater. Alterum Oſorij ſacrilegium Prædicanti eſt; *Idem Ieſuita dicit.* Cui igitur Mariam comparemus? non Euæ, non Saræ, nec Racheli, nec Heſter, nec Lunæ, nec Soli. Cui igitur? Deo ipſi. *Erubeſcat Stygius Orcus.* Ridiculum votum: quaſi verò modeſtus rubor ex immodeſta Prædicantium fronte in pallidum Orci vultũ migrarit, & plus ſit in Orco pudoris, quàm in Prædicantibus. Sed fortean Oſorius Prædicanti Orcus eſt, quem erubeſcere iubet. Nihil dixit, de quo erubeſcat Oſorius; haberet ſatis Stygius tubicen, niſi pridem derubuiſſet, vnde erubeſceret: nã & Oſorij verba ſuo more infideliter recitat, & de nihilo conuitium facit. Dixerat loco illo noſter Oſorius, Beatiſſimam Mariam omnes ſanctos excedere, quòd omnium bona in ea eſſent, mali nihil. *Cui ergo,* inquit, *comparabo te, vel cui aßimilabo te? Non Euæ, quæ dicta eſt mater viuentium, quia occidendo obfuit, Maria viuificando profuit: vnde magis illa mater morientium dici poteſt, quæ prius occidit, quàm pariat; ſed Maria eſt mater viuentium, quæ nobis vitam edidit. Nec Saræ, licet enim illa pepererit Iſaac, riſit tamen incredula, at Mariæ dicitur, Beata, quæ credidiſti &c. Nec Rebeccæ, quæ duos portauit in vtero, Maria verò vnum, ſed geminæ ſubſtantiæ gigantem. Nec Racheli parienti filium dextræ, quia tanto dolore illum edidit, vt eo mortua ſit: At Maria exultans filium dexteræ Dei edidit mundo. Nec verò Heſter, quæ*

Tom. 5. Dom. 4. Epiph. §. voluit autem.

populum liberauit ab interitu, nec Iudith, quæ caput Holofernis abſcidit, nec Iaëli, quæ Siſaram interemit, illæ enim humanum præſtitêre auxilium, Maria diuinum: illæ homines interemère, Maria Diabolum. Nec Roſæ, quæ inter ſpinas verſatur, Maria enim longè ab omni peccato eſt, nec Lunæ, quæ aliquando deficit, Maria verò nunquam: nec Soli, qui aliquando obſcuratur, Maria nequaquam. Cui ergo comparabimus te? planè Deo omnia bona continenti. Ità Oſorius. Quare verò, tu Fabrici, rationes, ob quas Mariam primariis illis fœminis, & ſplendidiſſimis Cœli ſideribus comparare noluit Oſorius, ſubticuiſti? Cur & Concluſionem ipſam decurtaſti, ac ſi Oſorius dixiſſet, *Deo ipſi*, cum dixerit, *Deo omnia bona continenti*? Nimirum, vt ex verbis ità mutilatis ſuſpicionem Lectori de Oſorio moueres, quaſi is Mariam Deo penitùs æqualem feciſſet. Sed & fraudem, & calumniam tuam detegit inſpectus integer locus. Comparatio non æqualitatis, ſed ſimilitudinis ab Oſorio inſtituitur, vt vel illa prima etiam verba, *cui aſſimilabo te*, apertè indicant. Quæ verò diuini nominis iniuria eſt, Mariam in eo, quòd omnium virtutum gratia plena, omniſq; labis expers eſt, Deò omne bonum cõtinenti aſſimilari? An neſcis hominem *ad ſimilitudinẽ* (Gen. 1: 26. Iac. 3. 9.) *Dei* factũ eſſe? & quò virtutibus plenior eſt, eò Deo ſimiliorem eſſe? Nonnè cum apparuerit Deus, cuius filij ſumus, teſte Ioanne Apoſtolo, *ſimiles ei erimus*? (1. Ioan. 3. 2.) Si ergo homo & naturalibus animæ donis, & diuinis

nis virtutum muneribus quandam in ſe Dei ſimilitudinem habet in terris, & perfectionem obtinet in cœlis, cur Maria, quæ in ſanctitate & gloria poſt filium ſuum omnibus ſanctis longè ſupereminet, tanquam perfectiſſima inter intelligentes creaturas Dei imago, illi aſſimilari ſine iniuriâ non poſſit? Dic, Prædicans, an filium Dei blaſphemauit Paulus, cùm ita de Melchiſedecho ad Hebræos ſcripſit? *ſine Patre, ſine Matre, ſine genealogia, neq; initium dierum, neq; finem vitæ habens, aſſimilatus autem filio Dei, manet Sacerdos in perpetuum.* En Paulus regem & Sacerdotem Melchiſedec inter cætera, ob quandam æternitatem, Chriſti typum, & figuram, aſſimilat æterno Dei filio, nec tamen æternitati illi diuinæ longeq; excellentiori, ea minoris æternitatis quaſi quaſi ſimilitudine iniuriam irrogat. Cur Oſorius illi inexhauſto bonorũ omniũ fonti Deo omniũ virtutũ mare ab illo ſuperno fonte impletũ Mariã, non æquans, ſed aſſimilans ad Orcũ damnetur ab Acherontico Prædicãte? Heb. 7. 3

Sed iam deniq; Blaſium Viegam, quo argumento de Idololatriæ crimine conuincit Fabricius? *Dicit nomẽ tetragrammatõ (quod eſt nomen Dei ineffabile) eſſe nomen Mariæ Virginis, quod ineffabile eſt Angelis & hominibus. Et alibi Mariæ nomen dicit Trinitatis. Quid hoc niſi ſanctos pro Diis habere?* Imò ego te, Prædicans, pro manifeſtario falſario habeo. Dicit Viegas in c. 12. Apo. ſect. 2. tria eſſe apud Hebræos nomina tetragrammata ſeu quadri- Commen. in Apoc. 12. Sect. 1. n. 9 & Sect. 2. n. 6.

Digitized by Google

litera myſteriorum pleniſſima, nimirum Iehoua, Ieſuah, Miriã: de ſingulis deinde diſputat, & eorum myſteria euoluit. Num. 9. ita loquitur de tertio nomine. *Tertium deniq; nomen tetragrammaton eſt nomen ſacerrimæ virginis, quod quatuor litteris conſtat, Mem, Reſch, Iod, Mem.* An hæ ſunt litteræ nominis diuini ineffabilis? an Iehouah, quod eſt nomen Dei ineffabile, dicit eſſe nomen Mariæ virginis? An idem nomen eſt Iehouah & Miriam? nuſquam vel verbulo dicit Viegas, quod eum dicere criminatur Fabricius, dignus, qui fronti inuſtas gerat duas illas literas CD. Nec verò etiam abſolutè ait Viegas, quod ei imponit Prædicans, Mariæ nomen eſſe ineffabile, ſed hæc illius verba ſunt in fine ſectionis: *Eſt etiam ſuo modo nomen Mariæ ineffabile non tantùm hominibus, ſed etiam ipſis Angelis. Idcirco enim arbitramur Gabrielem Luc. 1. cùm primùm allocutus eſt Virginem, non dixiſſe, Aue Maria, ſed Aue gratia plena, quia nimirum non eſt auſus præ reuerentia nomen virginis, vtpote ineffabile, efferre, niſi poſtquam ex colloquio virginis familiarior redditus tandem dixit, Ne timeas Maria.* Nonnè verba illa, *ſuo modo*, indicant Mariæ nomen non eo modo, quo Dei nomen, ineffabile eſſe, ſed longè inferiori, illo ſcilicet, qui in excellentiſſimæ creaturæ nomen cadere poteſt? Cur autem hæc verba Prædicans tacuit, niſi vt peſſimis dolis Viegã opprimeret? Sed & illud, quid niſi impudentiſſimũ

Art. 2. c. 6. falſi crimen dicam, quòd Viegas *Mariæ nomen dicat eſſe*

nomen

nomen Trinitatis? Viegas loco, quem Fabricius citat, ſic loquitur. *Non eſt prætermittendum illud doctiſſimi Idiotæ encomium libro ſuarum contemplationum de Virgine c. 5. (& refertur lib. 3. Bibliothecæ SS Patrum.) vbi loquens cum virgine ſic ait: Dedit tibi, Maria, tota Trinitas nomen, quod poſt nomen filij tui eſt ſuper omne nomen. &c.* Eſtné hoc dicere, Mariæ nomen eſſe nomen Trinitatis? Nec Viegas, nec Idiota hoc dixit, ſed Idiotæ per Viegam hoc calumnioſiſſimè impoſuit Fabricius. An nomen Mariæ datum à Trinitate, eſt nomen Trinitatis? an nomen inferius nomine filij Dei eſt nomen Trinitatis? O pudor, nullis niſi iniuſtis armis pugnare poſſe hunc Prædicantem! Nihil ergo hucuſq; à Prædicantibus iſtis, ſiue ex Ieſuitarum, ſiue ex aliorum ſcriptis allatum eſt, quo Philippus à calumniæ crimine abſoluatur, & religio noſtra de idololatriæ ſcelere damnetur.

Paulinum dictum, Vnus mediator Dei & hominum &c. *variè corrumpit Fabricius.* §. IX.

SEd quid ad illam conuitij à me prolatam appendicem, qua Melanchton, vt nos de Chriſti honore grauiſſimè læſo accuſaret, locum illũ Apoſtoli, *Vnus mediator Dei & hominum Chriſtus*, mutilè recitauit, & ſequentia illa, *qui dedit ſemetipſum redemptionem pro omnibus*, ne accuſationis vanitas detegeretur, omiſit: quid ad hanc, inquam, fraudem Prædi- 1 Tim. 2. 5.

cantes? Meiſnerus tacet: Fabricius melior ſcilicet Patronus, vt vnam Apoſtoli corruptelam à Philippo factam, reſtauret, ter ſcripturam corrumpit, & duos Patres, Hieronymum & præſertim Gregoriū iniurioſiſſimè tractat. Prima Pauli corruptela eſt. *Duo*, inquit Fabricius, *illis duob. verſibus 5. & 6. demonſtrat Apoſtolus. Vnum, cur Deo placeant orationes, obſecrationes pro regibus & alijs. Scilicet, quia vnus eſt Mediator Chriſtus, Deus & homo. Alterum, quod ſibi proponit Apoſtolus, hoc eſt, cur omnes ſaluos velit fieri Rationem dat, quia ille Mediator vnicus dedit pretium redemptionis pro omnibus.* Hoc Fabricianum figmentum ipſo Pauli textu eliditur: cùm enim initio capitis v. 1. & 2. Paulus hortatus eſſet ad obſecrandum pro Regibus, & omnibus hominibus, huius ſui moniti cauſam reddit v. 3. *hoc enim bonum & acceptum eſt coram Saluatore noſtro Deo.* Acceptum verò eſſe Deo, vt pro omnibus hominibus oretur, probat Apoſtolus non ex eo, vt ſomniat Fabricius, quòd vnus ſit Mediator, ſed ex illicò ſubiunctis verbis. v. 4. *qui omnes homines vult ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire:* quis enim dubitet ei, qui omnium ſalutem vnicè deſiderat, gratam eſſe pro omnibus obſecrationem? Tum denique, vt Apoſtolus oſtendat Deum omnium ſalutem velle, hanc v. 5. & 6. ſubijcit rationem, *Vnus enim Deus, vnus & Mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus, qui dedit ſemetipſum redemptionem pro omnibus:*

quis

quis enim neget Deum velle, vt omnes ſalui ſint, cùm dederit vnicum Mediatorem, qui redemptionem daret pro omnibus? Hanc clariſſimam Paulini contextus rationem obſcurare conatus Prædicans, coniungenda diſiunxit, vt Philippi mutilationem excuſaret. Altera corruptela ſcripturæ eſt. *Nullum*, inquit, *alium prædicat ſcriptura, quàm mediatorem redemptionis. Euoluantur Codices ſacri.* Non opus multa volutatione. Nam & Moyſes ſeipſum medium inter homines & Deum appellat, & ab Apoſtolo Mediator, in cuius manu lex per Angelos ordinata eſt, nominatur. Tertia Pauli corruptela hæc eſt. *Verba illa, qui nos redemit, continent cauſam*, inquit, *cùr Chriſtus ſit Mediator, cùm autem illa cauſa ſoli Chriſto competat, vnicus etiam admittendus ille Mediator.* Inquam ego, verba illa non cauſam, ſed genus Mediatoris declarare. At *probatur*, regerit Prædicans, *continere cauſam; cap. 9. Epiſtolæ ad Hebr. Apoſtolus vocat Chriſtum Mediatorem noui Teſtamenti, quia nos redemit.* Aliud eſt Mediator, aliud noui Teſtamenti Mediator; non omnis Mediator redemptor, ſed noui Teſtamenti Mediator redemptor neceſſariò eſt. Nam cùm dixiſſet Paulus, Chriſtum per ſanguinem & mortem ſuam effectum eſſe noui Teſtamenti Mediatorem, continuò hanc cauſam ſubijcit. *Vbi enim Teſtamentum eſt, mors neceſſe eſt intercedat teſtatoris: Teſtamentum enim in mortuis confirmatum eſt, vnde nec primum* quidem

Deut. 5. v. 5. *Gal. 3. 19.* *Heb. 9. 15.* *v. 16. 17 18.*

quidem ſine ſanguine dedicatum eſt. Eſt ergo redemptio per ſanguinem, Mediatoris noui teſtamenti, non autem cuiuſuis mediatoris propria.

Indigniſſimè Gregorium Magnum corrumpit, & Hieronymum malè tractat Fabricius. §. X.

A Paulo ad Patrum iniurias venio. Dixeram ego, ſanctos non vt redemptores, ſed vt Patronos à nobis rogari, vt cauſæ noſtræ faueant. Quid Fabricius? *Dico*, inquit, *vanum eſſe mortuos alloqui. Audi Gregorium ex Iobo. Sicut hi, qui adhuc viuentes ſunt, mortuorum animæ, quo loco habeantur, ignorant: ita mortui, vita in carne viuentium qualiter diſponatur, neſciunt, quia vita ſpiritus longè eſt à vita carnis, & ſicut corporea & incorporea diuerſa ſunt genere, ita etiam diſtincta cognitione.* Quid abrumpis impoſtor? Pergam ego recitare ex Gregorio, vt omnes deliberatum falſi crimen à te patratum clariſſimè cernant. Hæc ergo Gregorius continuè, poſt illa à te citata verba, ſubijcit. *Quod tamen de animabus ſanctis ſentiendum non eſt, quia, quæ intus omnipotentis Dei claritatem vident, nullo modo credendum eſt, quia foris ſit aliquid, quod ignorent. Sed carnales quiq;, qui amorem præcipuum filiis impendunt, hoc eos B. Iob neſcire poſtmodùm aſſerit, quod hic vehementer amauerunt, vt ſiue nobiles, ſiue ſint ignobiles filij neſciant, quorum eos ſemper cura fatigabat.* Annon turpiſſima hæc Prædicantis impoſtura eſt, vt verba Gregorij, quaſi is neget, quidquam ſanctos de rebus

Greg. 12. Moral. c. 13. in illud Iob. Siue nobiles fuerint filij eius, ſiue ignobiles non intelliges.

bus

bus noſtris ſcire, recitet, quæ de animabus ſanctis ipſe Gregorius accipienda illicò negat? Nec verò illa altera iſtius impoſtoris fraus eſt tacenda, quà impoſturæ tam craſſæ ſibi conſcius, eam, ne retegeretur, celatam voluit; nam cùm ad marginem locus Gregorij deſignandus eſſet, alium indicem non appoſuit, quàm hunc. *Greg. ex Iobo.* Cogitauit ſcilicet, in triginta quinq; libris, quos in Iobum exarauit Gregorius, locum ità generatim notatum difficilè repertum iri, & ſe à criminis infamia diu tutum fore. Sed nihil tibi, ô infamis Prædicans, profuit hoc diuerticulum.

Mitiùs aliquanto, tamen iniuſtè etiam cum Hieronymo Fabricius egit. *Audi*, inquit, *Hieronymum in Epitaphio Nepotiani ad Heliodorum.* Quidquid dixero, (quia ille non audit.) mutum eſt. *Et ibidem in fine.* Cum quo loqui non poſſumus, de eo loqui nunquam deſinamus. *Hinc ſatis apparet mortuos à viuentibus vanè compellari.* Imò vanè à Fabricio Hieronymum citari. Loquitur is non de meliore Nepotiani parte, qua ſuper æthera viuebat, ſed de illa deteriori, quæ tumulo claudebatur. Nimirum nec auribus corporis accipiebat, nec lingua reddebat vocem Nepotianus, uti inter viuos ſolebat: hoc igitur de exanimi corpore funebris laudator in Epitaphio negauit: vnde ab initio non, vt Fabricius doloſe citat, dixit, *quidquid dixero mutum eſt*, ſed, *mutum vide-*

Digitized by Google

tur, reſpiciens ſcilicet ad ea, quæ cum viuo colloquia habuerat: quam ipſam ob cauſam etiam in fine illis verbis, *cum quo loqui non poſſumus*, iſta præmiſit, *Quem corpore non valemus, recordatione teneamus*; quibus non obſcurè ſe in ſequentibus de mutuo corporeæ collocutionis ſolatio ſubtracto loqui indicauit. Nam quomodo hîc Hieronymus vanum exiſtimauit, beatos eorum, qui è viuis exceſſerunt, Spiritus pro Patrocinio compellare, qui in alio Paulæ ſanctiſſimæ viduæ Epitaphio, Paulam non tumulo conditam, ſed cum Chriſto viuentem apertis verbis inuocauit? *Vale*, inquit, *ô Paula, & Cultoris tui vltimam ſenectutem orationibus iuua. Fides & opera tua te Chriſto ſociant: præſens faciliùs, quod poſtulas, impetrabis*, Ita igitur Caluinianus Prædicans, vnam Philippicam Pauli corruptelam, pluribus ſcripturæ & Patrum, ſiue ſenſibus, ſiue verbis violatis vindicatum iuit.

In Epitaphio Paulæ ad Euſtoch.

Antiquæ Eccleſiæ & tribus noſtris Theologis iniurias Fabricius imponit. §. XI.

SEd nondum his tam malis Philippi vindiciis contentus, ne Philippo in conuitiorum gloria impar ſit, ad extremum nos ſuapte ſponte de idololatria in cultu imaginum accuſat. Quibus teſtibus? Antiqua Eccleſia, & tribus noſtri ordinis Theologis, ſed more ſuo, hoc eſt, vel falſò, vel infideliter, vel imperitè productis, Antiquitatis teſtimo-

monium iſtud profert. *Illa*, inquit, *diſtinctio idoli & imaginis demum venit ex Nicena Synodo II. poſt annos 800. à tempore Chriſti. In cauſa fuit, quòd laudatis primis illis primitiuæ Eccleſiæ ſeculis Orthodoxi Patres & Eccleſia ipſa tota neſciuerunt imagines; quàm diutiſſimè ſimulachris Eccleſia caruit, quibus Ethnici abundabant, ac proinde ſine diſcrimine Idola imagineſq́; nominauit.* Falſum hoc eſt teſtimonium non antiquæ Eccleſiæ, ſed nouelli Prædicantis, qui antiquitati mendaciter duo affingit; & q̀ neſciuerit imagines, & quòd inter idolũ & imaginẽ nihil intereſſe ſenſerit. Antiquiſſimo Tertulliano teſte Chriſt⁹ ſeruator, *Tertul. l. de pudic. c. 7. & 10.* paſtoris humeris errantẽ ouẽ geſtantis effigie, ſacris calicib⁹ inſculptus paſſim viſebatur. Sozomenus & *Soz. l. 5. c. 20. & Niceph. l. 10. c. 20.* Nicephorus teſtes ſunt, celebrẽ illã ſtatuã apud Paneadẽ Chriſto ab Hæmorrhoiſſa erectã, Iuliano Apoſtata imperante, ſolenni põpa in tẽplo collocatã eſſe. Teſtis eſt Euſebius, tẽpla in Palæſtina, Cõſtãtini *Euſeb. l. 3 & 4. de vita Conſtant.* Imp. pia liberalitate exædificata, ab eodẽ multis aureis, argenteiſq́; imaginib⁹ exornata fuiſſe. Damaſ⁹ *Damaſ. de vita Syluestrè* narrat ab eodẽ Imp. Romæ propè Ædem Lateranenſem, loco, quo ſalutari vnda ablutus fuit, argenteã agni & Ioannis digito eũ demonſtrãtis imaginẽ, in ipſa verò æde duodecim Apoſtolorũ argẽteas ſtatuas collocatas eſſe. Abſtineo veterũ tam Græcorum quã Latinorum Patrũ de imaginũ antiquo vſu teſtimonijs, quæ apud Cocciũ, qui ea diligẽter cõgeſſit, videri poſsũt. Quid igitur itã impudẽter auſ⁹ eſt *Cocci to. 1. l. 5. a. 15.*

ſcribere, Fabrici, primis ſæculis Orthodoxos Patres, & Eccleſiam totam neſciuiſſe imagines?

Sed & alterum mendacium de diſtinctione idoli & imaginis antiquitati ante Nicenam ſecundam Synodum ignota, Patres illa longè antiquiores luculenter refutant. Nam & Origenes, & Theodoretus, & Athanaſius clarè idolum, tanquam effigiem eius, quod nihil eſt, nec eſſe poteſt, ab imagine verarũ rerum diſtinguunt, Tertullianus quoque & Auguſtinus idolum falſi Dei ſimulachrum eſſe definiunt, quod in omnem imaginem cadere, quis niſi ſtupidus dixerit? Et profectò tamen ità ſtupidus fuit Caluiniſta Fabricius, vt probando ſuo figmento auſus ſit hæc ipſa Tertulliani loco à me iam citato verba prætexere. *Omnia colit humanus error, præter ipſum conditorem: eorum imagines Idola, Imaginum conſecratio Idololatria.* An hìc verò nihil inter imaginem & idolũ diſtinguit Tertullianus? idolũ non quamuis imaginem, ſed eius, quod humanus error, tanquam conditorem colit, imaginem eſſe dicit. Sed Fabricio imago qualiſcunque, & imago eius, quod pro Deo colitur, Synonyma ſunt. Prò ſtuporem!

Orig. hom. 8. in Exod. Theodor q. 38 in Exod. Athan. oratione contra idola. Tertul. lib. de idol. c. 4. Auguſt. lib. 6. q. veteris teſt. q. 44.

At ſpectemus iam Fabricium de noſtris Theologis tres teſtes producentem. *Gregorius à Valentia*, inquit Prædicans, *non admittit illam diſtinictionem.* Idolum enim, inquit, græcè imaginem, ſiue ſimulachrum ſignificat, innuitq; B. Petrus aliquem ſimu-

lib. 3. de Idol. c. 8. §. quod autem.

ſimulachrorum & idolorum cultum licitum. *Habes, mi Ieſuita, Ieſuitam fatentem Idola quædam adoranda.* Imò habeo Prædicantem Ieſuitæ verba adiectione, detractione, tranſpoſitione, fraudulentè mutilantē. Locum Gregorij, vt Prædicantis malus dolus appareat, integrè recitabo. *Quod autem dixi, non abſurdè poſſe B. Petrum, cùm ab illicitis idolorum cultibus, vt fideles cauerent, monuit, inſinuaiſſe aliquem eſſe ſimulacrorum* (hîc de ſuo addit Fabricius, *& Idolorum*) *cultum licitum, nempe, vt dixi, ſacrarum imaginum, non ita intelligere debes, quaſi voluerim ex B. Petri ſententia, aliqua idola gentium licitè potuiſſe honorari. Nam vt hunc ſenſum remouerem, illa verba addidi,* (quæ malicioſè omiſit Fabricius) *nempè ſacrarum imaginum.* εἴδωλον *enim græcè iuxta nominis Etymon imaginem ſiue ſimulacrum ſignificat; tametſi eam vocem ad impia ſimulachra vſus accomodauerit; in qua quidem ſignificatione nefas eſt, venerandas Eccleſiæ imagines nominare idola.* Et in hac vltima periodo Fabricius nominis Etymon, & vſum vocis in malam partem tritiſſimum, imò vt monſtraui antè, antiquiſſimū malâ fide præterijt, vt Lectori perſuaderet, Idolum & imaginem prorſus pro Synonymis Gregorium habere, & idola adoranda fateri. Verùm hoc in Gregorio, niſi infideli Fabricij manu ſuſq; deq; mutato, & adiectionibus, detractionibuſq; pluribus corrupto, non reperitur, Diſcernit Gregorius idolum & imaginem veteri loquentium vſu, nec niſi impiè ſacras imagines idola (nam vſus hîc

optimus Magiſter) appellari poſſe aſſerit. Cultum ſimulachrorum, nempe ſacrarum imaginum, non idolorum, licitum eſſe affirmat.

c. 21. in princ.

Alter teſtis producitur Bellarminus his verbis à Prædicante *Ita Bellarminus l. 2. de Eccleſia triumphante. Sit hæc noſtra propoſitio. Imagines Chriſti & ſanctorum venerandæ ſunt non ſolùm per accidens, vel impropriè, verùm etiam propriè, ità vt terminetur adoratio in imagine, nõ ſolùm vt vicem gerit exemplaris.* Itáne penitus bona fides perijt in hoc Prædicante, vt nihil niſi corruptum proferre poſſit? Non dicit Bellarminus: *ità vt terminetur adoratio in imagine,* ſed, *ità vt ipſæ imagines terminent venerationem, vt in ſe conſiderantur, & non ſolùm, vt gerunt vicem exemplaris.* Quid ergo, tu Fabrici, pro venerationis voce, adorationis vocabulum malignè ſupponis? quaſi Bellarminus docuerit imagines per ſe adoratione latriæ (de hac enim adoratione tibi, qui de Idololatriæ crimine nobis litem intendis, ſermo eſſe debet) colendas eſſe. Non eſt hæc Bellarmini ſententia. Nam quarta illius capitis propoſitione expreſsè negat imagines propriè coli adoratione latriæ; & quinta Concluſione ait, cultum, qui per ſe ac propriè imaginibus debetur, eſſe imperfectum, & inferiorem illo, qui defertur exemplari. Scilicet non poterat Fabricius Bellarminum de Idololatria ſuſpectum reddere, niſi nomine *venerationis* eraſo, in primam illius propoſitionem *Adorationis* vocem intruderet.

Ter-

Digitized by Google

Tertium teſtimonium audiamus. *Adde*, inquit Fabricius, *quòd Vaſquez Ieſuita lib. 2. de adoratione fatetur, Veteres Scholaſticos abſolutè docere, imagines Chriſti colendas adoratione latriæ. Vbi manifeſta fit Idololatria.* Manifeſta hæc eſt inſcitia Prædicantis. Veteres Scholaſtici docuerunt imagines abſq; exemplari nullo cultu dignas eſſe, nec niſi cum exemplari mentis cogitatione coniuncto coli poſſe; hinc dixêre eodem cultu imagines cũ prototypo venerandas eſſe, prototypō per ſe, imagines per accidens, ità vt interior affectus prototypon proſequatur, exterius verò reuerentiæ ſignũ imagini ex affectu erga prototypon exhibeatur. Cùm ergo Chriſtus latriâ adoretur, imago verò Chriſti ſine Chriſto nullius cultus capax ſit, ſententia illorum fuit, Chriſti imagines adoratione latriæ venerandas eſſe, ità vt affectus latriæ, ſeu ipſa latria tantùm in Chriſtum tendat, externum verò reuerentiæ ſignum imagini ex affectu latriæ erga Chriſtum deferatur. Quænam verò idololatria eſt, Chriſti iconi, detecto capite oſculum figere, ex affectu latriæ in ipſum Chriſtum, quem icon refert, non in iconem tendente? An crimen læſæ maieſtatis eſt, ſtatuæ regiæ ex venerabũda regis memoria caput aperire, & poplitē flectere, & baſiũ libare? Scilicet tales inſulſum Fabricii cerebrum fabricat querelas. Sed vt tandem hanc cauſam Prædicantiũ loquentiâ prolixiorē finiam, ſatis ex dictis

lib. 2. de Ador. d. 8. c. 3. & 8.

aper-

apertum eſt, Meiſnerum & Fabricium Auguſtanæ Confeſſionis & Apologiæ à Philippo ſcriptæ, à me accuſatæ Patronos, non modo à conuicijs illi obiectis eam non purgaſſe, ſed nouis inſuper compluribus & turpioribus ſe contaminaſſe.

CAPVT. IV.

GRAVES ERRORES LVTHERI, Philippi, Brentii, Magdeburgenſium quàm friuolè excuſent Prædicantes.

CVm oſtendiſſem errores nobis à Philippo in Auguſtana Confeſſione illiusq; Apologia obiectos, non noſtros errores, ſed illius conuitia & calumnias fuiſſe, placuit ſub finem fundamenti primi quædam errorum monſtra, quæ Lutherus, Philippus, alijq; quidam Lutheranæ ſectæ primores turpi partu ediderunt, protrahere in lucē, vt Lector videret nos ſine iniuria illis poſſe, quod illi nobis ſine calumnia facere non poſſunt. Vt capita accuſationis meæ duo Prædicantes legerunt, iteratò maiorum ſuorum Patroni, ſed quales antè, hoc eſt, miſerrimi eſſe non erubuerunt. Audiamus illos.

FABRI-

Digitized by Google

Fabricii in blaſphemo Philippi dicto excuſando impudentia. §. I.

PHilippo impium illud dictum obieci; Adulterium Dauidis, Iudæq; proditionem propriũ Dei opus fuiſſe, vt vocationem Pauli. Meiſnerus candidior Fabricio Philippi culpam fatetur; dignum venia, qui errorem correxerit, pronunciat. *Si Philippus*, inquit Meiſnerus, *primis annis quædam incogitantiùs ſcripſit, veniam meretur ideò, quia ſequenti tempore correxit & emendauit.* Th. 30. Non potuit Philippus incogitanter tam impiam & horrendam auditu blaſphemiam in lucem edere: etiam recantata blaſphemia, nec omnem infamiæ maculam delet, nec veniam ſine pœna meretur. Sed meliùs ſcilicet Philippum alter Patronus tuetur. Fabricius pernegat dictum aut ſcriptum, mendacij me audacter inſimulat. Sic loquitur. *Mendacium Ieſuiticum. Id non reperitur dictum vel ſcriptum à Melanchtone. Citat Annotationes ad caput octauum ad Romanos. Vbi verba iſta non reperiuntur. Habes commentum illud ex Bellarmino tuo citante eundem locum.* Cogor ad talionem. Hoc eſt impudens mendacium Prædicanticum. Reperitur ſcriptum à Melanchtone loco à me citato, editionis primæ Argentinenſis apud Ioannem Hemagium anno 1523. (poſteriores enim editiones, è quibus hoc infame in Deum conuitiũ eraſum eſt, nihil moror) ibi verba iſta reperiuntur,

Nec Bellarmini commentum hoc eſt, nec ego ex illo habeo. Inſpice librum, lege locum, & talem te eſſe, qualem me conuitioſè dixiſti, comperies. Leges à Philippo proditionem Iudæ, ſicut vocationem Pauli, & adulterium Dauidis proprium Dei opus dici, non ſecùs atq; Abſolonis inceſtus à Caluino tuo Dei opus eſſe ſacrilegè, etiam diuino teſtimonio, confirmatur.

lib. 1. Inſtit. c. 18. §. 1.

Sed acutus Fabricius, credo, præuidit ſe mendacij redarguendum eſſe; ad aliud igitur Patrocinium Philippi ſibi confugiendum exiſtimauit. *Attamen*, inquit, *ſint dicta, vel ſcripta. Suarez Ieſuita eadem dicit.* O effrontem Prædicantem! innocentem accuſat, vt nocentem defendat. Et, vt Suarezius in hoc genere nocens eſſet, an illius noxa inſontem faciet Philippum? Non minuitur crimen ſocietate. Veriùs dicere Prędicans poterat; *Eadem Zuinglius & Caluinus dicunt.* Sed nulla pars innocentiæ eſt, habere ſocios criminis. Nec Suarezium tantùm, verùm etiam Pererium, Vegam, imò ipſum Auguſtinum audet Prædicans producere, & clarè veris pijsque illorum dictis, manifeſtè falſam atq; impiam Philippi ſententiam fucare. Aiunt iſti, Deum ſinere fieri, permittere peccatum; à malo homine factum in bonum finem ordinare, ſeu malis hominum factis benè vti; occaſiones quaſdam boni, animo bono, offerre homini, quibus ille ſponte ſua in malum abu-

abutatur, ad actum peccati, vt naturalis actio, non vt libera defectio eſt, tanquam cauſam ſupremam concurrere. Hæc verè pieque dicuntur; at adulterium Dauidis eſſe opus Dei, Deum operari adulterium Dauidis, facere proditionem Iudæ, non niſi impiè & blaſphemè dicitur, & à nemine Catholico dictum legitur. Hoc dixit Philippus, non aliquid ex illis, quæ Catholici dicunt. Apertiora ſunt Philippi verba, quàm vt fucum veritatis, aut pietatis patiantur. *Proprium Dei opus eſt adulterium Dauidis & proditio Iudæ, ſicut vocatio Pauli.* Vocatio Pauli non tantùm permiſſa vel ordinata, ſed tanta, quanta à Deo facta eſt. Idem de Iudæ proditione pronunciat Philippus, quam opus Dei proprium, vt vocationem Pauli, eſſe contendit. Ergóne à Deo non tantùm permiſſa aut ordinata, ſed etiam facta eſt proditio Iudæ? ſacrilega ſententia, quam nemo Catholicorũ ſomniauit. *Iudas*, inquit Auguſtinus, *præſcitus eſt, non factus, quòd talis aduerſùs filium Dei futurus eſſet. Si enim factus eſſet, inculpabilis eſſet, & Dei opificio reputaretur non Iudæ, iniuſtè etiam in eum prolata ſententia damnationis eſſet. Sed abſit hoc à ſummo bono iudice, auctore omnium bonorum Deo, damnatore verò cunctorum malorum, quia mala Iudæ præſciuit, non prædeſtinauit vel fecit, & tamen in quibus præſciuit, iuſto iudicio tradens eum in reprobum ſenſum, vt impleret, permiſit.* (*l. 6. Hypognoſt. circa medium.*) Ità cum Auguſtino omnes Catholici ſentiunt, Deum Iudæ peccatum præſciuiſſe, permiſiſſe, nequaquam

 quam

quam prædeſtinaſſe, feciſſe, ne aut iniuſtè damnatum inculpabilem Iudam, aut Deum peccati opificem videantur dicere, *quo ſacrilegio*, inquit alibi
lib. 2. de Ord. c. 7. Auguſtinus, *mihi deteſtabilius nihil occurrit.* Fruſtrà ergo Fabricius, vt tam manifeſtæ Philippi blaſphemiæ, de veris Catholicorum ſententijs, de permiſſione, ordinatione, generali concurſu aliquem honeſtatis fucum allineret, laborauit. Illud tamen, ne laboris & operæ Fabricianæ precium omne pereat, ſilendum non eſt, quòd audaciſſimâ & craſſiſſimâ corruptela Vegam in Philippi partes trahere hîc conatus ſit: cùm enim iſta Vegæ verba de Deo retuliſſet; *licet nobiſcum faciat actus, qui intrinſecam & inſeparabilem habent malitiam, nequaquam tamen eſt auctor peccati &c.* ſubiunxit illicò diligentiſſimus Prædicans; *Nota hæc verba, Deus facit nobiſcum peccata.* Nota inſigne Prædicanticæ impudentiæ exemplum. Et audet hic Prædicans vix relata Vegæ verba quamprimùm corrumpere, & Lectori notanda proponere? An hæc verba Vegæ ſunt, *Deus nobiſcum facit peccata?* Impudentis Fabricij ſunt; non dicit Vega Deum facere nobiſcum peccata, ſed actus, qui intrinſecam & inſeparabilem habent malitiam. Indicat ſcilicet Deum ad materiale peccati, ad naturalem actum in genere phyſico concurrere, minimè ad malitiã, quæ peccati formale eſt. Qui dicit, Deum facere peccatum, formale peccati Deo tribuit; nam concreta

creta terminum actionis ſignificantia formaliter ſecundum Logicas regulas vſurpantur, vt cùm dicitur. *Ille facit album, facit calidum.* Abſit ergo, vt dicatur Deus facere peccatum nobiſcum; facit actum, qui habet ex ſola mala voluntate noſtra adiunctam rationem peccati, peccatum non facit; prius dicit Vega, poſterius calumnioſè Vegæ tribuit Fabricius, ne Philippus ſolus blaſphemet.

Prædicantes cum Brentio in blaſphemiam de Chriſto conſpirant. §. *II.*

SEd aliam Brentij blaſphemiam, quibus artibus excuſent hi Patroni, videamus. Accuſaui Brentium, quòd Chriſtum in cruce, cùm ſe à Patre derelictum exclamaret, flammis inferni accenſum dixiſſet. Queruntur aduerſum me initio ambo Prædicantes, non de externis veris flammis locutum eſſe Brentium, quales in inferno Pontificij fingant. Facilè oſtenderem, ſi hoc nunc ageretur, non nos verum ignem in inferno, ſed Prædicantes metaphoricum fingere. ſed quid de eo, quod nec verbo attigi, excipiunt? De flammis inferni dixi (nec proprias, nec improprias nominaui) ijs à Brentio Chriſtum graui contumelia ſubijci. *Cùm Chriſtus venerit*, inquit Brentius[1], *ad expianda peccata noſtra, quæ meruerunt perpetuas flammas inferni, ſuſcepit etiam hoc ſupplicium, & obiecit ſe flammis inferni, vt non aliter affectus ſit,*

In paſſ. ſec. Luc. Hom. 65.

loc. cit.

quàm ſi ſempiterna ſibi internecione pereundum eſſet. Horreſco referens: ſed neuter Prædicans horret. Meiſnerus
Th. 32. ait; *Chriſtus iram Patris ob peccata mundi ſentiens, inferni dolores ad tempus rectè ſenſiſſe dicitur.* Fabricius; *fortaſsè durum, Chriſti animam in inferno fuiſſe. Imò certè non poſt mortem, ſed antè, ſcilicet dum anima eius triſtis fuit vſque ad mortem, id eſt,*
3.p.q.46. (inquit Thomas) Chriſti anima ſecundùm vires interiores efficaciſſimè apprehendit omnes cauſas triſtitiæ, *Infernum proinde. Quid enim eſt infernus? niſi ira Dei, quam dum in caput noſtrum vibrari videret, mirificè eam apprehendit, vt decebat eum, qui erat ſponſor noſter.* Verùm hoc eſt in Chriſtum cum Brentio conſpirare, non illum defendere. Impium eſt dicere, quòd Chriſtus Patrem ſibi verè iratum cogitârit, de illius ergà ſe amore dubitarit, itaq; animo cõparatus fuerit, quaſi ſibi ſempiterna internecione pereundum eſſet. Sed ſi etiam tali in ſtatu Chriſtus fuiſſet, an ideò verè inferni dolores & flammas ſenſiſſet, aut in inferno fuiſſet? An peccator inter viuos diuinæ iræ ſibi impendentis grauitatem ſeriò conſiderans, & medullitus expaueſcens, rectè in inferno eſſe, & damnatorum ſupplicium ſuſtinere propriè dicitur? Non attingit inferni ſupplicia, deſperati animi tormentũ in viuo corpore. Sed Prædicantes infernũ fingunt, quem non admodùm metuant. Nec verũ eſt, Chriſtum in inferno fuiſſe, quando anima illius ex cogitatione æternæ vindictæ à Patre peccatoribus intẽ-

tatæ, & verò multis inferendæ, ingenti triſtitiâ non niſi morte finiēdâ, in horto impleta eſt. Quis enim dicat, pium amantemq; peruerſi populi Antiſtitē, qui de ſuorum complurium ſempiterno interitu grauiſſimè dolet, atq; perpetuò ingemiſcit, in inferno eſſe, aut inferni dolores propriè ſentire? Quis ità loquentem ferat? Quis audiat cum Fabricio illud Chriſti, *Triſtis eſt anima mea vſq; ad mortem*, ità interpretantes; ſum in inferno vſq; ad mortem: & illud Pſaltis; *Non deſeres animam meam in inferno*; hoc eſt, in graui animi triſtitia? Et tamen ait Fabricius, *Hæc eſt Orthodoxa doctrina de deſcenſu Chriſti ad inferos.* Imò paradoxa, quis enim vnquam verba iſta Symboli, *deſcendit ad inferos*, ità explicauit? *Triſtis fuit usq; ad mortem in monte Oliueti.* Sed non eſt, quod immorer huius erroris refutationi, cùm id egregiè & prolixè pridem præſtiterit Bellarminus l. 4. de Chriſto, à c. 6. vſq; ad finem.

Duo tamen argumenta peculiaria, in quibus Fabricius ſingulare defenſionis Brentianæ robur collocare videtur, diſſimulare non debeo. Primum eſt. *Fatetur Suarez Ieſuita in Thomam, idq; refert ex Medina, aliquos Catholicos cenſuiſſe, Chriſtum paſſum eſſe aliquas extrinſecas pœnas damnatorum, non tamen eo modo, quo damnati, inuoluntariè, aut cum inordinatione, ſed voluntariè pro peccatis noſtris, & in maxima charitate.* Cur verò non addidiſti, auctores illos adeò obſcuros fuiſſe, vt neminem Medina nominet? ſententiam à Medina temerariam,

To. 2. in 3 p. diſp. 43 ſ. 1.

riam, à Suarezio etiam hæreticam iudicatam, firmiſq; argumentis refutatam eſſe? Quid deinde horum opinio ad tuendam Brentij impietatem? omnem illi animi immoderatam perturbationem à Chriſto remouerunt: at Brentius animum Chriſti ità turbatum dixit, ac ſi ſempiterna internecione illi pereundum eſſet.

lib. 4. de Chriſto c. 16. §. ſecundum dubium, Alterum eſt. *Refert Bellarminus Thomam Aquinatem docuiſſe Chriſtum voluiſſe eſſe in inferno, vt pœnas noſtras ſuſciperet.* Quas pœnas? A Brentio ſacrilegè confictas? *ſupplicia deſperatorum & damnatorum?* Nequaquam: ſed ipſum deſcenſum ad inferos aliquo modo pœnam vocat; nam ità loquitur; 3. p. q. 52 a. 1 in Corp. *Ex peccato homo non ſolum incurrerat mortem corporis, ſed etiam deſcenſum ad inferos: & ideo ſicut conueniens fuit eum mori, vt nos liberaret à morte, ita conueniens fuit, eum deſcendere ad inferos, vt nos à deſcenſu ad inferos liberaret.* Debebatur ſcilicet animæ illi nobiliſſimæ à corpore ſeparatæ cæleſtis ſedes: ſed vt inferni carcere detentos liberos educeret, ad inferiorem locum minùs ſuæ dignitati idoneum deſcendere nihil recuſauit. Hanc Chriſti demiſſiſſimam deſcenſionem pœnæ nomine apellat S. Doctor: nam illum non ad pœnam vllam luendam, ſed ad captiuos liberandos victorem deſcendiſſe tradit, tum in corpore articuli, *Deſcendit*, inquit, *vt ſuam poteſtatem oſtenderet in inferno, ipſum viſitando & illuminando*; tum in ſolutione primi Argumenti, *Decuit*, inquit, *Chriſtum in infernum de-*

ſcendere

Digitized by Google

ſcendere, non tanquam ipſe eſſet debitor pœnæ, ſed vt eos, qui erant pœnæ obnoxij, liberaret. Quis non videt, quàm longè hæc S. Thomæ doctrina abſit à Brentiano & Fabriciano errore de deſcenſu Chriſti ad inferos, id eſt, vt Fabricius loquitur, exinanitione Chriſti tanta, vt in ſe ſuſciperet vehementem illam triſtitiam & mærorem, ac ſi Deus iratus ipſi eſſet?

Ad Buceri & Magdeburgenſium errores miræ Prædicantium ineptiæ: Meiſneri Anabaptiſmus: Fabricii multiplices ſacrarum litterarum corruptelæ & barbara calumnia. §. III.

SEd Buceri & Magdeburgenſium de Baptiſmo errores, qui excuſant Prædicantes? Buceri error eſt, Baptiſmum minimè eſſe neceſſarium. *Verum,* inquit Meiſnerus, *de neceſſitate abſoluta.* Fabricius, *Hoc,* inquit, *& vos fatemini, ſufficere electo & prædeſtinato Baptiſmum flaminis, id eſt, votum Baptiſmi.* Ità eſt: adultis, cùm occaſio negatur, propoſitum Baptiſmi ad ſalutem prodeſt. At paruulis, niſi pro Chriſto trucidentur, cùm propoſitum per ætatem habere non poſſint, Baptiſmus ad ſalutem abſolutè eſt neceſſarius. Hoc negat Bucerus, qui eo loco cenſet pueros prædeſtinatos ſine Baptiſmo decedentes beari, reprobos poſt Baptiſmum mortuos damnari. Annõ hoc eſt Baptiſmi neceſſitatem tollere? Quid tam ſolicitè feſtinatur & curritur pro Baptiſmo, ſi nec

In 3. cap. Matth.

Digitized by Google

datus prodeſt, nec negatus obeſt quidquam infanti? ſi Deus paruulum ſine Baptiſmo prædeſtinat, & cum Baptiſmo reprobat? Quid ad propoſitum Baptiſmi confugitis, Prędicantes? neceſſitatem Baptiſmi in paruulis, qui nihil dum proponunt, à Bucero impiè ſublatam excuſate, ſi boni Patroni officium facere vultis.

Magdeburgenſiũ duos errores notaui. Primus fuit, ꝙ Baptiſmum Chriſti Baptiſmo Ioannis nihilo meliorẽ, imò vtrumq; eundẽ eſſe docerent. *Heu* Cent. 1. l. 2. c. 10. *grandis iniuria*, exclamat Fabricius, *Heu grande portentũ!* Profectò, niſi vos grandes Patroni, veſtra grandiloquẽtia minuatis. Oſtendite igitur vtriuſq; Baptiſmi eandem formam, & finem, ſeu effectum fuiſſe, (nã de materia & cauſa efficiente non contendo) ſi vnũ Ioannis & Chriſti Baptiſmum ſine portento dici contenditis. De forma audiamus primò Meiſnerũ, qui ſcripturæ teſtimoniũ iactat, ſed non ꝓfert. *Ipſa* Th. 85. *ſcriptura innuit Baptiſmũ Ioannis conuenire cũ Baptiſmo Chriſti cauſa efficiente Io. 1. v. 35. materiâ, Matt. 3. v. 11. Luc. 3. v. 3. formâ, quoniam Ioannes proculdubio baptizauit in nomine Dei veri qui vnus eſt eſſentia, trinus perſonis, tandẽ fine & effectu, qui fuit remiſſio peccatorũ. Mar. 1. v. 4. Luc. 1. v. 3.* Vbi Meiſnere, ipſa ſcriptura innuit conuenire vtrumq; Baptiſmũ formâ? Cur locum nullũ notaſti, qui in efficiente, materia, & fine tam diligens fuiſti? Nimirum miſer nullum habuiſti. Ità Prædicantes ſcripturas

cre-

crepant, & cùm ad rē venitur, inaniſſimi ſunt. Recita ſcripturam: proba, Meiſnere, ex ſcriptura, Ioannē forma Chriſtiani Baptiſmi baptizâſſe. *Proculdubio baptizauit in nomine veri Dei.* Si nihil extra ſcripturas certum, quid tu ſine ſcriptura ex tuo cerebro definis, procul dubio in nomine Dei baptizâſſe? Quis non rideat hîc implumem Meiſnerum, qui nullo penitus argumēto, niſi Thraſonica illa voce, *Proculdubio*, Ioannem in nomine Dei verbis aliquibus ore prolatis baptizâſſe, poteſt oſtendere? Sed etſi Ioannes in nomine Dei, qui eſt vnus in eſſentia, trin' perſonis baptizâſſet, an ideò Baptiſmus illius cum Chriſti Baptiſmo formâ conueniret, Prædicans? an tu in Dei nomine, perſonis tribus nō expreſſis, datum Baptiſmū legitimum iudicas? Oſtende talem Chriſtiani Baptiſmi formam in ſcriptura. Sed prodeat doctior ſuo quidem animo Fabricius, & Meiſneri imperitiæ ſuccurrens, de ſcriptura teſtimonium pro hac cauſa proferat. *Baptiſmus Ioannis,* inquit Fabricius, *& Baptiſmus Chriſti conſtant eadē materia, ſcilicet aquâ: & formâ, In nomine Patris & filij, qua forma Ioannes baptizabat, vt patet Act. 19. vbi miratur Apoſtolus, quoſdā dicere, ſe ignorare, nū ſit Spiritus S., quandoquidē fuerant baptizati Baptiſmo Ioannis. Hac occaſione Paulus docet Ioannē optimè baptizâſſe, & benè monuiſſe populū, vt crederet in eū, qui venturus erat, ſubiungit illos, qui audierunt hæc, id eſt, crediderunt in Chriſtum & Spiritum S. verum Baptiſma ſuſcepiſſe, dum Baptiſma Ioannis ſuſciperent.*

Digitized by Google

Inde patet Ioannem Baptizâſſe, vel in nomine Spiritus S. aliarumque duarum perſonarum, vel in nomine Chriſti, quod ſatis eſt apud Pontificios ad formam Baptiſmi. Ità Fabricius ex actis Apoſtolicis Magdeburgenſium errorem propugnat. Sed tam multis & craſſis erroribus Fabriciana hæc argumentatio turget, vt Meiſnero ſcripturam nullam, quàm Fabricio iſtam errori huic confirmãdo protuliſſe, multò minùs ſit ignominioſum. Quàm enim tu inprimis formam portentoſam, Fabrici, Ioanni & Chriſto communem recitas? *In nomine Patris & Filij.* Væ paruulis, ſi tu illos nouus Caluiniſta Prædicans hac formulâ baptizas. Cur Spiritum S. omiſiſti? ſi tota hæc forma non eſt, cur non conſueto ſigno &c. integram non eſſe indicaſti? ſi calami, aut typi erratum eſt, cur inter errata hoc multò leuiora in fine libri emendata non retuliſti? ſed facilis eſt huius lapſus venia: alij venia indigni ſequuntur. Primus eſt, Paulum miratum eſſe, quòd quidam Epheſij nihil de Spiritu S. ſcirent, cùm tamẽ à Ioanne Baptizati eſſent: vnde colligi exiſtimat Prædicans, Ioannem in nomine etiã Spiritus S. Baptizâſſe; fruſtra enim Paulus miratus eſſet, Baptizatos à Ioanne neſcire Spiritum S. niſi Ioannes in eius nomine Baptizaſſet. Craſſiſſimus hic Fabricij error eſt, qui ſacro Apoſtolicorum Actuum textui manifeſtè repugnat. Non eſt miratus Paulus Epheſios illos ignorare Spiritum S. quòd

à Io-

Digitized by Google

à Ioanne baptizati eſſent, ſed quòd Chriſti baptiſmum, qui in nomine Trinitatis dabatur, accepiſſe illos exiſtimaret. Nam ità ad illos Paulus; *Si Spiritum S. accepiſtis credentes.* Reſpondent illi. *Sed neque, ſi Spiritus S. eſt, audiuimus.* Tum Paulus. *In quo ergo baptizati eſtis?* & illi. *In Ioannis Baptiſmate.* Si Ioannes in nomine Spiritus S. baptizaſſet, iſti ab illo baptizati ſciuiſſent nonnihil de Spiritu S. at vero teſtantur, ſe nec audiuiſſe quidquam de Spiritu S. clarum ergo eſt, Ioannem in Spiritus S. nomine non baptizaſſe. Qua ergo impudentia tam apertam vim ſcripturæ audet inferre Prædicans, vt dicat hinc patere, quòd Ioannes formulâ Chriſtiana, qua ſacra Trinitas nominatur, in baptizando vſus ſit, cùm ex hoc ipſo ſcripturæ loco, & diſcrimen vtriuſq; baptiſmi, & diuerſa Ioannis forma, à Chriſtiana euidentiſſimè demonſtretur? Loquuntur Epheſij de Baptiſmo, in quo nulla Spiritus S. mentio; loquitur Apoſtolus de Baptiſmo, qui in Spiritu S. datur; Ille Ioannis eſt, non iſte, Nam alia illius, alia iſtius forma eſt, ergo iſte Chriſti eſt, & deniq; alius Ioannis, alius Chriſti Baptiſmus eſt,

Act. 19. v. 2. 3.

Alter Fabricij error, & inſignis ſcripturæ corruptela eſt, quòd dicat Paulum, cùm docuiſſet à Ioanne benè monitum eſſe populum, vt crederet in eum, qui venturus erat, ſubiunxiſſe, *illos, qui audierunt hæc, id eſt, crediderunt in Chriſtum & Spiritum S. verum*

Baptiſma ſuſcepiſſe, dum Baptiſma Ioannis ſuſciperent. Vt error iſte, ſeu fraus potius non ſimplex, ſed triplex clariùs detegatur, textum ſacrum ex actibus recito.
Act. 19. v. 4. & 5. *Dixit autem Paulus; Ioannes baptizauit baptiſmo pœnitentiæ populum dicens, in eum, qui venturus eſſet poſt ipſum, vt crederent, hoc eſt, in Ieſum. His auditis baptizati ſunt in nomine Domini Ieſu.* Hæc vltima verba primùm Caluiniſta cum maligno Beza contra omnium Patrum, imò etiam Caluini Magiſtri ſui expoſitionem fraudulenter tribuit Paulo, cùm S. Lucæ Hiſtoriographi ſint, quod vel ex ſequentibus verbis manifeſtè à Luca connexis liquet, *Et cùm impoſuiſſet illis manus Paulus &c.* nimirum qui baptizati erant in nomine Domini: at Epheſiis à Ioanne baptizatis, Paulus manus impoſuit, non alijs, quibus prædicaſſe Ioannem aliquando ante baptiſmum Paulus dixerat. Sed ad hanc diſtortam interpretationem confugit Fabricius, ne aut Chriſti Baptiſmum diſtinctum, aut Epheſios eodem baptiſmo rebaptizatos eſſe cogeretur confiteri: quod poſterius non erubuit Meiſ-
Ib. 55. nerus Anabaptiſtico Spiritu dicere. *Rebaptizati,* inquit, *ſunt non ad conſequendam remiſſionem peccatorum & fidem, quippe quam habuerunt antè, iuxtà v. 2. ſed ad impetranda dona Spiritus S. miraculoſa, quæ in Baptiſmo Chriſti plerumq; conferebantur. Iſtis enim carebant, & propter iſta conferenda vnicè facta eſt rebaptizatio.* O Lutheranum Anabaptiſtam. Sed pergo in Fabricii fraude detegenda. *Qui audierunt hæc,* in-

inquit, *id eſt, qui crediderunt in Chriſtum & Spiritum S.* Demus, quod falſum tamen eſſe oſtendimus, Pauli nõ Lucæ illa verba eſſe, *His auditis* &c. de quibuſdam aliis, qui Ioannem ante Baptiſma prædicantem audiuerant, nõ de Epheſiis illis, quibus Paulus loquebatur, ſermonem eſſe: alia tamẽ hîc ſacro textui iniuria doloſè à Fabricio infertur. Qua enim fronte illud, *His auditis*, ſeu, *qui hæc audierunt*, interpretatur, *id eſt, qui crediderunt in Chriſtum & Spiritum Sanctum,* cum Ioannes Paulo teſte ſolùm dixerit; *in eum qui venturus eſſet poſt ipſum, vt crederent, hoc eſt, in Ieſum.* Quid ergo de tuo? *Spiritum ſanctum,* apponis, Prædicans, quaſi audierint Ioannem de Ieſu & Spiritu Sancto dicentem, & in vtrumq; crediderint? Nimirum vt perſuaderes hac callida gloſſulâ tua etiam in Spiritus ſancti nomine Ioannem baptizâſſe. Nam illicò hæc ſubiungis. *Inde patet Ioannem baptizâſſe vel in nomine Spiritus Sancti, aliarûmque duarum perſonarum, vel in nomine Chriſti, quod ſatis eſt apud Pontificios ad formam baptiſmi.* Certè tua fraus patet, nec enim in verbis Ioannis, nec in Baptiſmo Domini IESV, vlla mentio Spiritus ſancti hîc habetur. Et quid adeò inconſtans es, Fabrici, vt cùm ſuprà intrepidè dixeris ex Actuum 19. capite patere, quòd Ioannes formulâ illâ, In nomine Patris & Filij vſus ſit, iam trepides, & vel in nomine Trinitatis, vel in Chriſti nomine Ioannem abluiſſe dubitabundus dicas. Sola ſcilicet immota veri-

veritas, & mendacium ſemper eſt mutabile. Neq; illud deinde verum eſt, quod generatim ait Prædicans, apud Pontificios ſatis eſſe ad formam baptiſmi ſolum Chriſti nomen inuocare. Etſi enim ex antiquis pauculi aliqui eius ſententiæ fuiſſe videantur, plurium tamen Patrum & Theologorum veterum, hodieq; omnium conſtans ſententia eſt, tres ſanctiſſimæ Trinitatis perſonas neceſſariò exprimendas eſſe, vt verus ſit Baptiſmus. Neq; enim cùm hic, vel alibi dicuntur aliqui in nomine Ieſu baptizati, aliarum perſonarum nominatio excluditur, aut efficaciter plus colligitur, quàm ſecundæ Filij perſonæ additum eſſe nomen Ieſu Chriſti. vt id Chriſtianis magis amabile & venerabile fieret. Et deniq; ſi baptizati eſſent in ſolo Ieſu nomine, de quibus Lucas meminit, non tamen inde conſequens eſſet, quod vaniſſimè colligit Fabricius, Ioannem in nomine Chriſti baptizâſſe: neq; enim hi multò antè à Ioanne baptizati, hîc à Ioanne pridem occiſo, ſed à Chriſti diſcipulo baptiſmum Chriſti nouum, & mox per impoſitionem manuum Pauli, Spiritum S. acceperunt. Atq; hæc quidem ſunt illa clara Fabricij pro eadem forma Ioannitici & Chriſtiani Baptiſmi ex actibus Apoſtolicis deprompta teſtimonia, ſed tot ac tantis illius erroribus ac fraudibus corrupta, vt illis honeſtiùs cum Meiſnero abſtinuiſſet.

Sed an melius de fine diſputant Prædicantes? Eundem Baptiſmi à Ioanne dati, & à Chriſto inſtituti finem ex illa Marci & Lucæ de Ioanne ſententia colligunt; *Prædicans baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum.* Malè colligunt: Remiſſio peccatorum cum pœnitentia, non cum Baptiſmo connectitur; nimirum Baptiſmus Ioannis non propria vi dabat remiſſionem peccatorum, ſed ad pœnitentiam & fidem in Chriſtum, per quam remiſſio peccatorum obtineretur, inducebat. Baptiſmus Chriſti, tanquam ſacramentum, continens virtutem paſſionis Chriſti propria vi mundat à peccatis, non ſolùm adultos pœnitentes, ſed etiam paruulos, quorum nulla eſſe poteſt pœnitentia. Hanc virtutem in ſuo Baptiſmo non agnoſcebat Ioannes, ideoq; nullos infantes, ſed ſolos adultos luſtrabat. Vnde & dicebat; *Ego baptizaui vos aqua, ille baptizabit vos Spiritu Sancto.* Annon & tempore, & effectu ſuum à Chriſti Baptiſmo clariſſimè diſcernit Ioannes? præceſſit baptiſmus Ioannis in ſola aqua, ſubſecutus eſt Chriſti in aqua & Spiritu S. Quid ad hanc Ioannis confeſſionem Fabricius? *Nec obſtat,* inquit ille, *dictum à Chriſto.* Ioannes baptizauit vos aqua, ego verò baptizabo Spiritu S. *Nec enim innuitur comparatio vnius Baptiſmi cum altero, ſed miniſterij Ioannis, cum miniſterio Chriſti. Ioannes, & quilibet alius Miniſter baptizat aqua, Chriſtus verò Spiritu S.* Diſſimulo inſcitiam Fabricij,

Marc. 1. Luc. 3.

Mar. 1. 8.

Digitized by Google

qui Chriſto tribuit, quod ab illo prolatum eſſe nuſquam memoratur. Ioannem ità locutum eſſe quatuor Euangeliſtæ perhibent. Errorem autem illum diſſimulare non debeo, quòd neget Baptiſmum baptiſmo, ſed miniſterium miniſterio affirmet comparari. Quid tu Caluiniane miniſter Chriſtum baptiſmi miniſtrum facis? non miniſter, ſed auctor & inſtitutor baptiſmi eſt. Quid negas baptiſmum baptiſmo comparari, cùm diuerſitate baptizandi Ioannes ſe Chriſto inferiorem oſtendat? An idem eſt baptizare in aqua, & baptizare in Spiritu S.? Nónne priorem baptiſmum ſibi, poſteriorem Chriſto Ioannes attribuit? ſi idem omninò vterq; baptiſmus eſt, & Chriſtus cum Ioanne exteriùs lauante intus in Spiritu S. baptizauit, cur non ait, *ille baptizauit in Spiritu S.*? quare ſe baptizaſſe, illum baptizaturum affirmat, niſi quia baptiſmum Chriſti in aqua & Spiritu S. poſteriorem baptiſmo ſuo in aqua, adeoq́ue nouum & diuerſum futurum indicat? Et verò, nónne tua illa diſtinctione, quod negas, affirmas, Fabrici? Miniſterium Ioannis & cuiuſuis alterius miniſtri à Chriſti miniſterio ais diſtingui; qua verò nota? quòd Ioannes aqua, Chriſtus in Spiritu baptizet, nimirum aliter ille, aliter iſte. Quomodo verò aliter ille, aliter iſte, ſi vnus vtriuſque eſt Baptiſmus, baptizant? Denique cur Ioannis & Chriſti

Baptiſ-

Baptiſmos duos agnoſcere noluiſti, qui etiam plures fabricas baptiſmos, dum cuiuſuis ſacerdotis Chriſtiani, nõ ſecus ac Ioannis, baptiſmum à Chriſti baptiſmo diſtinguis? *Nam*, vt tu loqueris, *quilibet alius Miniſter baptizat aqua, Chriſtus verò in Spiritu S.* alius autem aquæ tantùm, alius aquæ & Spiritus Sancti baptiſmus eſt. Sed nos iam hunc tantùm, non illũ agnoſcimus. Baptiſmus datur in aqua & Spiritu S. à Chriſto & Sacerdote; ille propria virtute, vt Dominus; hic poteſtate communicata, vt miniſter, operatur. Tantum ergo abeſt, vt eundem Baptiſmi Ioannis & Chriſti effectum ſcripturæ tradant, vt vel maximè diuerſum clariſſimè, Fabricio nequicquam tenebras offundente, demonſtrent. Sed ſpectemus Fabricium etiam Auguſtini auctoritate pro eodem vtriuſq; baptiſmi fructu infeliciter pugnantem. *Auguſtinus dicit Chriſtum, dum reciperet baptiſmum Ioannis, repræſentaſſe Eccleſiam, in qua ſolùm datur Spiritus S. Tacitè igitur innuit in baptiſmo Ioannis datum fuiſſe Spiritum Sanct.* l.15. de Trinit. c.26.

Non hoc tacitè innuit Auguſtinus, ſed apertè docet, non in Ioannis Baptiſmo, ſed in Eccleſia per Baptiſmum Chriſti Spiritum Sanctũ donari. Quærit in eo loco Auguſtinus, quando Chriſtus ſit vnctus inuiſibili Spiritus Sancti vnctione, inter alia dicit; *Nec ſanè tunc vnctus eſt Chriſtus Spiritu Sancto, quando ſuper eum baptizatum, velut columba, deſcendit. Tunc enim corpus ſuum, id eſt, Eccleſiam ſuam præfigurare dignatus eſt,*

Digitized by Google

in qua præcipuè baptizati accipiunt Spiritum Sanctum. Audis, Prædicans, Chriſtum non accepiſſe Spiritum Sanctum in Ioannis baptiſmo: Spiritum verò S. columbæ ſpecie delapſum ſignificâſſe futurum, vt in corpore Chriſti, id eſt, Eccleſia illum primò acciperent baptizati. Quo baptiſmo? Certè Chriſti, qui illam mundat lauacro aquæ in verbo vitæ. Anne igitur Auguſtinus tacitè innuit dari in Ioannis baptiſmo Spiritum S.? Certè tam tacitè & obſcurè, vt Fabricio tacendum fuiſſet. Audiat Auguſtinum non obſcurè, ſed clariſſimè baptiſmum Chriſti à baptiſmo Ioannis diſtinguentem, eiq; longè præponentem, & obmuteſcat. *Ne hoc ipſum, quod accepit à Ioanne Chriſtus, præponeretur baptiſmati Chriſti, permiſſi ſunt & alij baptizari à Ioanne. Sed qui baptizati ſunt à Ioanne, non ijs ſuffecit;* (quomodo non ſuffecit, ſi acceperunt Spiritum S.?) *baptizati ſunt enim baptiſmo Chriſti: quia non baptiſmus Chriſti erat baptiſmus Ioannis. Qui accipiunt baptiſmum Chriſti, baptiſmum Ioannis non quærunt; qui acceperunt baptiſmum Ioannis, baptiſmum Chriſti quæſierunt.* I iam, Fabrici, & à tam apertis verbis Auguſtini ad indicia neſcio quæ tacita, imò planè tacenda prouoca.

Tract. 5. in Ioan.

Ad alterum Magdeburgenſium errorem intereà pergimus. Is fuit, infantes, cùm baptizantur actu credere, & fidei pulſus quoſdam abditos intelligere. Hic mutato inter ſe pugnandi genere, Meiſnerus ſcripturâ, Fabricius mitiore interpretatione

Cent. 2. & 5. c. 4.

pro

pro Magdeburgenſibus pugnat. *Quid verò hic*, inquit Meiſnerus, *abſurdi latitat? Hoc dogma fundatur Matth.* *Th. 33.*
18. v. 6. Mar. 10. v. 14. & ſeqq. Neq; in Matthæi, neq; in Marci verbis, ſed in adulterino Prædicantici cerebri ſenſu hoc figmentum fundatur. Age enim, Meiſnere, quid pro infantium actuali fide à Matthæo & Marco dicitur? Nihil profert, quo probet hoc Lutheranum dogma. Satis ſcilicet eſt Prædicantibus ſcripturæ capita & verſus glorioſè citare, vt Lectori decipulam ponant. Sed excutiamus citata loca. Apud Matthæum eo loco ait Chriſtus; *qui ſcandalizauerit vnum de puſillis iſtis, qui in me credunt &c.* An hinc, Meiſnere, infantes, *qui*, vt Auguſtinus loquitur, *ob ætatis indigentiam nec corde credere ad iuſtitiam poſſunt, nec ore confiteri ad ſalutem*, cùm ſacro fonte vix nati tinguntur, credere colligis? Peſſimè. Neq; enim paruulus, quem Chriſtus illic vocatum in medio diſcipulorum ſtatuit, infans fuit, ſed eâ & ætate, & ſtaturâ, vt & Chriſti nutum aduertere, & ambulare, & ſtare poſſet. Puerulum nimirum ſimplicẽ & innocentem exemplum diſcipulis propoſuit, vt illius non teneram ætatem, ſed incorruptos mores æmularentur. Quid, quòd Chriſtus verbis illis non tantùm puerum illum, eiq; coætaneos, ſed grandes natu quoq;, fidei Chriſtianæ humilitate puſillos, vel maximè deſignauit? Quod ex SS. Patribus iamiam locum Marci citatum explicantes do-

lib. 4. de Bapt. contra Donat. c. 24.

Digitized by Google

cedimus. Quid ergo Marcus pro Lutherano dogmate? Paruulos allatos ad Chriſtum memorat, illoſq;, qui afferentes repellerent, hac voce à Domino correctos; *Sinite paruulos venire ad me, talium eſt enim regnum Cœlorum.* Hîc inquiet Prædicans; credunt ergo infantes, nemo enim infidelis in regnum cœlorum intrat. Quaſi verò & infans, quia actu non credit, infidelis ſit, & illi ætati ſacramentum fidei ſuſceptum, donaque gratiæ per illud donata ſine vllo tunc intellectus aut voluntatis actu non ſufficiant? Audi Prædicans Auguſtinum, & infantem non actu credentem, ſed baptizatum, tamen regni cœleſtis hæredem agnoſce. *Paruulum*, inquit

Ep. 23. ad Bonif. circa fin.

ille, *etſi nondum fides illa, quæ in credentium voluntate conſiſtit, iam tamen ipſius fidei ſacramentum fidelem facit. Nam ſicut credere reſpondetur, ita etiam fidelis vocatur, non rem ipſa mente annuendo, ſed ipſius rei ſacramentum percipiendo. Cùm autem homo ſapere cœperit, non illud ſacramentum repetit, ſed intelligit, eiúſq; veritati conſona etiam voluntate coaptabitur. Hoc quamdiu non poteſt, valebit ſacramentum ad eius tutelam aduerſus contrarias poteſtates; & tantum valebit, vt ſi ante rationis vſum ex hac vita emigrauerit, per ipſum Sacramentum commendante Eccleſiæ charitate ab illa condemnatione, quæ per vnum hominem intrauit in mundum, Chriſtiano adiutorio liberetur. Hoc qui non credit, & fieri non poſſe arbitratur* (ſicut Meiſnerus & Lutherani quidam Prædicantes) *profectò infidelis eſt.* Vide ergo, Meiſnere, quàm validè ex illo Chriſti

Digitized by Google

Chriſti de infantibus; *talium eſt enim regnum Cœlorum,* colligas infantes actu credere. Fideles ſunt infantes, non fide intelligendo, ſed ſacramentum fidei percipiendo. Nec verò Chriſtus verbis illis ſolos paruulos, verùm etiam maiores, illius ætatulæ innocentiam virtutis induſtria exprimentes, præſertim deſignauit. *Significanter*, inquit Hieronymus, *dixit, talium, non iſtorum, vt oſtenderet non ætatem regnare, ſed mores: & his, qui ſimilem haberent innocentiam & ſimplicitatem, præmium repromittitur.* Et Auguſtinus. *Humilitatis ergo ſignum in ſtatura pueritiæ Rex noſter probaſti: aiſti, talium eſt regnum Cœlorum.* Nihil ergo in ſcripturis à Meiſnero annotatis eſt, quo error Centuriatorum de actuali infantum fide ſtabiliri poſſit. Quare Fabricius hic, quod raró facere ſolet, cautior ſcripturis abſtinet, & commento quodam Magdeburgicum delictum lenire conatur. Ac primùm diuertit ad ſententiam Conciliabuli VVittenbergici de motibus ad credendum & diligendũ, qui in infantibus ſimiles motibus fidei & dilectionis reperiuntur, eamq́ Lutheranorum ac proinde Magdeburgenſium eſſe, teſte Bellarmino affirmat. Tum deinde pium figmentum ſubnectens; *Quorum*, inquit, *doctrinam ad hanc reduci velim, vt credant fidem habitualem in puero ſanctificato neceſſariò requiri ad legitimam Baptiſmi collationem, quia ſine fide habituali vel actuali, impoſſibile eſt placere DEO.* Inane votum

In cap. 19. Mat.

l. 1. Confeſſ. c. 19. in fine.

tuum

tuum eſt, Prædicans: non potes, quantum velis, ſiue Magdeburgenſium, ſiue VVittenbergenſium doctrinam de fide habituali, quam & Catholici infantibus baptiſmi virtute donari profitentur, probabiliter interpretari. Nullam enim habitus mentionem vtriq; faciunt: & quis nomine motus habitum intelligat? habitus nec motus eſt, nec ſimilis actibus dicitur. Quid, quòd Magdeburgenſes de actuali fide propria clarè loquuntur? cùm enim Auguſtini ſententiam de fide parentum & offerentium aliena, certè actuali, quæ paruulis nondum credentibus (actualiter ſcilicet) prodeſſet, retuliſſent, hanc cenſuram de Auguſtino rigidi cenſores ſubiungunt. *Verùm hæc opinio Auguſtini pugnat cum voce Chriſti: Talium eſt regnum Cœlorum, ſed hoc tantũ eſt credentium, ergo & infantes credunt, ſeu habent propriam fidem, Abac. 2.* Minimè pugnat Auguſtinus cum Chriſto, vt iam ſupra de illo Chriſti dicto oſtendimus, ſed cum Auguſtino pugnãt Magdeburgenſes, qui nec aliena fide, nec ſacramenti ſuſceptione contenti, propriam actualem fidem, (qualis ſcilicet in parentibus & offerentibus aliena eſt) in infantibus requirunt, vnde & vocabulum *credere*, quod actum ſignificat, vſurpant. Quare Fabricius ſui ſibi figmenti conſcius, illam interpretationem de habituali fide hac lepida correctione concluſit; *Hanc puto, vel velim eſſe doctrinam omnium Lutheranorum.* Hoc cautè

Cent. 5 c. 4.

Prædi-

Digitized by Google

Prædicans, ſi quidquam: cùm enim de opinione minùs ſibi fideret, votum adiunxit, & optare, quã putare tutiùs duxit. Illud quoq; verè addidit. *Nec neceſſarium in diſputationem adferre, an fides illa excitet motus inuiſibiles & internos in anima pueri, an non.* Ità eſt: quis enim diſputet de eo, quod exertè affirmant VVittenbergicæ Synodi proceres, quibuscum ſentire Magdeburgicos vult Fabricius?

Verùm deniq;, quia parùm ſibi hoc ſuo fictitio Commentario effeciſſe videbatur Prædicans, ad calumnias, tanquam ad talionem, qui huiuſmodi hominum mos eſt, confugit. *Quid ſi ego,* inquit, *in medium proferam veſtras nænias, veluti de ſomnulo illo in limbo puerorum, quo impediuntur pœnam damni ſentire, ad hoc fortaſſe, vt pueros nullam pœnam ſenſus ferre doceatis. Quis quæſo ſomnulus ille? quomodo non interrumpitur diſcurſionibus Dæmonum ab inferno trans cameras illas limbi tranſeuntium? Quomodo non turbatur clamoribus, vlulatibus animarum, flammis corporeis, (vt ferunt) accenſarum? Heu quale hypocauſtum, in quo tam benè dormiunt animæ? Hæc ſunt piæ fraudes Pontificiorum.* Hæc ſunt impia conuitia Caluiniani Prædicantis. Cur non profert, aut nominat vllum auctorem, qui talia ſcripſerit? Luunt pueri ſine baptiſmo decedentes pœnam damni; nullus animarum ſomnus eſt, nec opus eſt ſomno, vt effugiant ſenſus pœnam, quam nullam etiam vigilantes luunt. Ità Catholici. Reliqua quid, niſi calumniandi ſtudium, craſ-

Digitized by Google

ſam inſcitiam, ſtiliq; barbariem in Fabricio oſtentant, & Prædicantis inſaniam ridendam exponunt? Quid ſi verò ego ſine conuitio veriſſimè memorē prolixas illas Lutheri nænias, de iuſtorum ſomno, quo in loco ſibi nobiſq; ignoto, ad diem vſque vltimum totius orbis decretorium, non multò aliter, quàm fœt⁹ in vtero materno, infans in cunis, phreneticus in animi deliquio, profundiſſimè demergantur? Sed ſatis ſit locum notâſſe, nę tam longis fabulis Lectorem detineam. Ad Lutheri alia infanda portenta à me prolata, quid Prædicantes dicere habeant, audire propero.

Tom. 11. VVitteb. in c. 49. Geneſ.

Miſerè Lutherum de iniquo in SS. Trinitatem animo Prædicantes purgant: Fabricius turpiter quoque ſibiipſi repugnat. §. IV.

De verſu illo, *Sancta Trinitas vnus Deus, miſerere nobis*, publicis Litanijs exturbato, contrà Lutherum initio queſtus ſum. Meiſnerus, *Exemplum*, inquit, *precum, vbi verſus iſte ſit omiſſus, non vidimus; ſi maximè ità res ſe habeat, proculdubio tamen non ex Trinitatis negatione, ſed alijs de cauſis factum eſt.* Non eſt, vt video, Meiſnerus admodùm curioſus ſcriptorum Lutheri lector. Difficilè adducor, vt credam Meiſnero neganti, ſe vidiſſe exemplar, in quo verſus iſte ſit omiſſus. Cedò exemplar, Meiſnere, Litaniarum à Luthero compoſitarum, à quo non exulet

Digitized by Google

exulet ille verſus. Intereà inſpice Catechiſmum Rythmicum Lutheri cum Catechiſmo illius paruo, ad antiqui exemplaris fidem, Norimbergæ M. DC. II recuſum circa finem: vel librum Lutheranorum Canticorum Eſſendiæ ante biennium excuſum folio 249. Vel ſi hi libelli VVittenbergam vſque perlati non ſunt, octauum Lutheri Tomum Latinum Ienæ impreſſum anno M. D. LXII. folio 369. conſule, & cùm, quod hactenus non vidiſti, videris, tum de cauſis cogita, illaſque nomina, quibus ad verſum illum expungendum impulſus ſit Lutherus. Da, ſi potes, inter illas locum aliquem ſingulari Lutheri ergà ſanctiſſimam Trinitatem amori & venerationi. Sed Fabricius, ſagacior ſcilicet Meiſnero, cauſam iuſtam omiſſi verſus etiamnum exprimit, & me calumniæ damnat. *Deus bone*, inquit, *quàm impudens calumniator.* Quid ita? *Nam Lutherus doctrinæ purioris de Trinitate amans, nusquam reprehendit formam illam ſupplicandi, Sancta Trinitas vnus Deus, ſed Germanicè, quia male ſonat verbum* Dreyfaltigkeit / *corrigi optat, nam ſignificat triplicitatem, quam noluit vſurpare in hoc myſterio enunciando.* Non poſſum, quin retaliem. Tu vaniſſimus Calumniator es, Fabrici. Quid de Germanica voce tricaris? ſi illa, quòd triplicitatem videatur ſignificare, Luthero minùs commoda viſa eſt, cur non vocem illam, *Gedrittes*, quam alibi prodidit, eius loco *In Poſt. Dom. in Feſt. Trinit.*

d 2 vſur-

vſurpauit? quid totam Trinitatis inuocationem reiecit & eiecit? Et quis non videat Prædicantis turpem fucum? Latina Trinitatis vox: illa, illa quoque Luthero bilem mouit; nam iſtam precandi formulam Latinam, *Sancta Trinitas vnus Deus*, octauo Tomo Ienenſi Latino, loco à me ſuprà citato, è Litanijs proſcriptam eſt videre. Inſpice, lege, tuę excuſationis vanitatem, & calumniæ temeritatem agnoſce.

Obieci deinde Luthero malignum odium, quod aduerſus vocem ὁμοούσιος in libro contra Iacobum Latomum conſcripto effudit. Occurrunt Prædicantes ambo, Lutherum nō abſolutè, ſed certa conditione locutum eſſe, non dixiſſe, *Anima mea*, ſed, *Quòd ſi odit anima mea vocem ὁμοούσιος, & nolim ea vti, non ero hæreticus; quis enim me coget vti, modò rem teneam, quæ in Concilio per ſcripturas definita eſt.* At enim verba hæc abſolutum ſenſum minimè excludunt: fatetur namq; Lutherus odium Catholicæ vocis, hæreſeos tantùm notam à ſe amolitur. Quid, quòd Lutherus eodem libro odium illud ſuum tanquam iuſtiſſimum Hieronymi exemplo, quaſi is venenum in huius vocis Syllabis latere ad Damaſum ſcripſiſſet, & iterum in libro de Concilijs, quanquam per ſummam calumniam, mendaciſſimè defendit? *Sanctus Hieronymus vehementer perturbatus, lamentabiles*, inquit, *litteras ſcribebat ad Epiſcopum Romanum Damaſum, &*

cupiebat

cupiebat expungi vocabulum ὁμοούσιος. Luculentum mendacium. Non de hac, ſed de hypoſtaſeos voce ad Pontificem Damaſum Hieronymus ſcripſit, venenum ob ſignificati ambiguitatem in eâ latere, quòd ſcilicet & perſonam, & ſubſtantiam ſignificare poſſit. Vocem verò ὁμοούσιος tanti fecit Hieronymus, vt ſine illa Damaſum obteſtari noluerit. *Obteſtor*, inquit, *beatitudinem tuam per crucifixum, mundi ſalutem, per homouſion Trinitatem, vt mihi Epiſtolis tuis ſiue tacendarum, ſiue dicendarum hypoſtaſeon detur auctoritas.* Odit igitur anima Lutheri vocem *homouſios*, & inſuper odium ſuum, per apertum mendacium, Hieronymi auctoritate tueri nihil erubuit, ſed pro hæretico, etſi hanç vocem odiſſet, haberi noluit. Scilicet ſuſpectus de hæreſi non erit, qui cum Arianis, eorumq; impijs decem conciliabulis, aduerſus antiquiſſimos Patres & ſancta Concilia in Catholicæ vocis, quæ orthodoxæ de filio Dei ſententiæ clariſſima aptiſſimaq; nota eſt, exitium audet coniurare? Et mirum eſt à Fabricio me mendacii argui, quòd dixerim, Lutheri animæ exoſam fuiſſe vocem iſtam, cùm ille poſt relata Lutheri verba illud ipſum apertè de Luthero affirmârit, odijq; duplicem rationem reddiderit hiſce verbis. *Idcircò autem Lutherus in eam ſententiam venit, quòd hypoſtaſeos vocem in ſcripturis legi animaduerteret, minimè verò, homouſion. At tamen tantæ contentiones in Eccleſia ob illud vocabulum. Ideò Lutherus dicit ſe odiſſe vocabulum, rem contentus eſt*

 tenere

tenere. Habeo clara verba Prædicantis; *Lutherus dicit ſe odiſſe vocabulum.* Veráne hæc verba tua de Luthero ſunt, Fabrici? Si vera, quid, cùm ego idem de Luthero dixiſſem, exclamaſti! *rurſus mendacium à Ieſuita confictum* Aut tu quoq; mendacium ſcripſiſti, aut falſò me mendacii inſimulaſti. Vtrumuis eligas, mendacii maculam non effugies. Sed nec cauſę Lutherani odij à Fabricio allatæ vllius momenti ſunt. Quid enim iſta valeant? vox ὁμοούσιος non extat in ſacra ſcriptura? pro illa voce (nempè ob ſignificatum) diu in Eccleſia acriter dimicatum eſt; Meritò ergo illam animitùs odit Lutherus. Si ità licet argumentari, ità quoque liceat. Nomina Trinitatis, perſonæ diuinæ, θεοτόκου ſeu Deiparæ, in ſacris non reperiuntur; pro Deiparæ nomine contra Neſtorium grauiter Epheſinæ Synodi Patres pugnarunt, ergo nomina iſta odio digniſſima ſunt. Quis tam impium & inſulſum Sophiſtam ferat? Talis hîc Fabricius eſt.

Lutherum Meiſnerus frigidè, Fabricius impiè S. Pauli exemplo excuſat. §. V.

Poſtill. Eccl ſer. in Dom. 5. Trinit de piſcatura Petri.

IMpiam ſententiam illam à Luthero de ſuggeſtu dictam; *Quantò ſceleratior es, tantò vicinior gratiæ,* gemino pietatis fuco Prædicantes pingere conantur. Meiſnerus interpretatur *de peccatorum agnitione*, vt ſit ſenſus; *Quò magis te ſceleratum agnoſcis, eo vici-*

vicinior es gratiæ, ſiquidē agnitio peccati eſt initium ſalutis. Hanc interpretationem verò petit ex contextu, qui eiuſmodi eſt; *Etſi conſcientia tua trepidet, & peccati remorſum ſentiat, non tamen debes deſperare, quantò enim ſceleratior es, eò gratiæ vicinior es.* Ita ergo hominem triſti grauium peccatorum memoria penè deſperabundum Lutherus erigit; Noli deſperare, quò enim ſceleratior, eò vicinior gratiæ es. Quid hîc Meiſnerus de agnitione peccati fingit? An eſſe ſceleratum, & agnoſcere ſe ſceleratum eſſe, idem eſt? Non ait Lutherus, quò ſcelera tua magis agnoſcis, deteſtaris, plangis, ſed, quò es ſceleratior, quò plura ſcelera habes. Ex verbis ipſis, proprioque illorum ſenſu, qui impius eſt, Lutherũ iudicamus; de ſenſu fictitio Meiſneri nihil laboramus. Exprimendus à Luthero verbis fuit, vti facillimè potuit, ſi illum animo tenuit.

Sed alium ex S. Paulo fucum Lutheri verbis inducit Fabricius, *Cur Paulum*, inquit, *non inſectaris ob ſimilia verba. Dicit enim, vbi abundauit delictum, ſuperabundauit & gratia. Auderes inde inferre, Apoſtolum non eſſe pium morũ cenſorem? Caue, ne eò prorumpat quadrata, cornutaq́; tua audacia, & impudentia.* Imò tuam eò miror prorupiſſe, vt iſtud Apoſtoli veriſſimum ſanctiſſimumque dictum, falſiſſimo illi ſceleſtiſſimoque Lutheri ſimile audeas dicere? Apoſtolus prædicat beneficium, quod homini per peccatũ ægerrimo, Chriſti tanquā Rom. 5. 20.

cœle-

cœleſtis medici, efficaciſſima gratia præſtitum eſt: ait enim, eo ipſo tempore, quo ſub lege mundus grauiſſimo peccatorum morbo penè depoſitus erat, tum Chriſtum adueniſſe, & tanto malo po-
Ibid. v. 21. tentiſſimam medicinam adhibuiſſe, *vt ſicut regnauit peccatum in mortem, ita & gratia regnet per iuſtitiam in vitam æternam per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.* An verò, quia tam potenter ex mortis faucibus erepti & curati in Baptiſmo ſumus, illud iam ex grata tanti beneficij memoria colligemus, vt etiam deinceps illam ingratiſſimam Lutheri vocem audiamus; *Quantò ſceleratior es, eò gratiæ vicinior?* Dixit Apoſtolus abundâſſe gratiam, cùm abundauit delictum, vt Romanos diuinæ miſericordiæ in baptiſmo exhibitæ gratos faceret; non dixit, ſi peccatis deinceps abundauerint, fore vt gratia in illis abundet, ne illis ad peccandum cum Luthero habenas laxaret. Nec tantùm non dixit, ſed eo ipſo loco, tali dicto, quod Lutherano ſimile foret, conſtanter contradixit. Ità enim poſt verba illa iam citata loquitur Paulus.
Rom. 6. v. 12. *Quid ergo dicemus? permanebimus in peccato, vt gratia abundet? Abſit. Qui enim mortui ſumus peccato, quomodo adhuc viuemus in illo?* Et infrà; *Quid ergo? peccabimus, quoniam non ſumus ſub lege, ſed ſub gratia? Abſit.* Nunquam ergo Apoſtolus, quod illi ſacrilegè affingit Fabricius, dixit Chriſtianum hominem, qui Chriſti gratiam expertus eſt, quò ſceleratior eſt, eò gratiæ viciniorem eſſe.

Quin

Digitized by Google

Quin apertiſſimè illum à gratiæ benedictione remotum, & maledictioni vicinum eſſe aſſerit, cùm *terram, quæ ſæpè venientem ſuper ſe bibens imbrem, ſpinas ac tribulos profert, reprobam ac maledicto proximam eſſe* docuit. *Heb.6.v.7.&8.*

Fabricius, vt Lutheri de malitia bonorum operum impium dictum excuſet, ſcripturas corrumpit, & Theologos noſtros calumniatur. §. *VI.*

QVid verò ad illud fœdiſſimum Lutheri monſtrum, *quòd iuſtus in omni opere bono peccet, & opus optimè factum ſit peccatum mortale ſecundùm iudicium Dei?* An horrent & obmuteſcunt Prædicantes? Minimè; ſed tam informe portentum prędicare audent. Meiſnerus tamē aliquanto verecundior, alterā partem de opere optimè facto, quòd Deo iudice peccatum mortale ſit, velut inexcuſabilem, diſſimulat. Ad priorem verò, quòd iuſtus in omni opere bono peccet, ità reſpondet. *Veriſſimum hoc eſt ob imperfectionem adiunctam: Quatenus enim opus conſentit cum lege, hactenus bonum eſt; quatenus verò diſſentit ab illa, peccatum eſt.* Digna dicto Lutheri reſponſio: Si enim Luthero licuit bonum malum dicere, cur non libeat Meiſnero, quod falſum eſt, veriſſimum pronunciare? ſed quænam illa quæſo imperfectio eſt, qua omne bonum opus legi contrarium, & peccatum redditur? *Caro,* inquit Meiſnerus, *ſemper reſiſtit, id quod contra legem eſt, ideoq́ opus bonum ex parte malum efficit.* Falſum *Aſſ. art. 31. & 32.*

c eſt

eſt carnem ſemper reſiſtere; *Non enim*, inquit Auguſtinus, *ſemper eſt deſiderium, contra quod pugnemus*. Et quanquam ſemper repugnaret caro, ſi mens carni non conſentit, nullum peccatum eſt, *non eſt enim*, eodẽ Auguſtino teſte, *Concupiſcentia peccatum, quando illi ad illicita opera non conſentitur: nec offendit, niſi cui mala concupiſcentia contra iuſtitiæ rationem appetendo ſeu vitando, faciendum vel dicendum, vel cogitandum aliquid, quod non debuit, ſiue fallens, ſiue præualens perſuadet*. Et profectò, quid poterat Lutherus, ſiue in peccati fauorem, ſiue in virtutis odium turpius effutire, quàm omne bonum opus hominis iuſti optimè factum diuinâ ſententia eſſe lethale peccatum? quis enim non videat ex eo conſequi, ſiue nullum bonum opus, ſiue aliqua grauia peccata eſſe facienda, quorum vtrumq; apertè impium & ſacrilegum eſt.

lib. 1. de nupt. & Concup c. 23. & l. de perf. iuſt. circa finem.

Sed impudentiam & impietatem Caluiniani Patroni, qui hoc abſurdiſſimum Lutheri dictum iam multò ante à ſanctiſſimis Prophetis, ſancti Spiritus impulſu pronunciatum contendit, videamus. *Miror*, inquit Fabricius, *cur Lutherum in ius voces? En prior id dixit Iſaias*. Facti ſumus, vt immundus omnes nos, & quaſi pannus menſtruatæ omnes iuſtitiæ noſtræ. *Idem dicit Lutherus, Iuſtus in omni opere bono peccat. Quis te conduxit, vir bone, vt oppoſitis tuis tenebris veritatem doctrinæ noſtræ illuſtrares?* Quis te, obſcuriſſime tenebrio, conduxit, vt tenebras luci coniungeres,

Iſa. 64. 6

geres, & Lutherani dicti caliginem in Propheticæ vocis ſplendorem tam craſſe transformares? Nulla eſt luci ad tenebras conuentio. Lutherus de bonis iuſtorum operibus: Propheta Iſaias, de impiorum ſceleribus loquitur. Nam ante illa verba dixerat; *Ecce iratus es, & peccauimus.* At iuſtorum peccatis aduerſariorum ſententia non iraſcitur Deus, cùm ea illis non imputet. Et pòſt ſubiunxerat; *Non eſt, qui inuocet nomen tuum, qui conſurgat, & teneat te.* Inuocant verò iuſti nomen Domini & tenent Dominum, etiam Lutheranorum opinione per fidem apprehenſum. De impiorum ergo operibus Prophetæ ſermo eſt. At ſe illorum numero Iſaias, qui iuſtus eſt, accenſet? Quid tum? hic Prophetarum mos eſt; quare rectè hîc ad Iſaiam, quod alibi de Daniele in ſimili S. Hieronymus dixit, accommodabimus. *Peccata populi, quia vnus è populo eſt, enumerat ex perſona ſua; quod & Apoſtolum ad Romanos facere legimus.* in cap. 9. Dan. Quid, quòd Propheta verbis illis (vt ex vocabulo *Iuſtitias*, colligi poteſt) vel maximè loquitur de legis operibus, quibus Iudæi ſine fide in Chriſtum poſt aduentum illius Deo ſe placere, vanè iactaturi erant; Horum ergo faſtum præuidens Iſaias, vt eum comprimat, Legis iuſti iam ſine fide Chriſti, tanquam menſtruatæ pannum, in oculis DEI ſordere proclamat. *Conſiderandum eſt,* inquit in hunc locum S. Hieronymus-

Digitized by Google

4. Iſaia. ronymus, *quòd iuſtitia, quæ in lege eſt, ad comparationem Euangelicæ puritatis immunditia nominetur.* Et poſt pauca. *Si quis igitur poſt Euangelium Chriſti, & aduentum filij, pædagogæ legis obſeruat cærimonias, audiat populum confitentem, quòd omnis illa iuſtitia panno ſordidiſſimo comparetur.* Vnde & Paulus

Philip. 3. 8. Apoſtolus dixit, totam legis iuſtitiam *ſe arbitrari, vt ſtercora, vt Chriſtum lucrifaciat, & inueniatur in illo, non habens ſuam iuſtitiam, quæ ex lege eſt, ſed illam, quæ ex fide eſt, Chriſti Ieſu.* An verò idem eſt dicere, Opera legis ſine fide in Chriſtum ſordent & fætent, quod Iſaias & Paulus: & dicere, Opera hominis iuſti, (ex fide ſcilicet per dilectionem operantis) impura & fætida ſunt coram Deo, quod Lutherus dixit? Aliter Apoſtolus de operibus hominis iuſti cenſet; non illa in ſter-

Galat. 5. 6. quilinium cum Luthero abijcit, ſed fidem, quæ per charitatem operatur, in Chriſto multum valere, & bona opera fundamentum bonum in futurum ad

1. Tim. 6. 19. apprehendendam veram vitam eſſe affirmat. Impius ergo & impudens fuit Fabricius, qui Iſaiæ Prophetiam auſus eſt tam impio Lutheri dicto calumnioſiſſimè conſpurcare.

Pſ. 142. 2. Sed & regio vati non leuem iniuriam fecit, cùm hac illius demiſſiſſima oratione, *Non intres in iudicium cum ſeruo tuo, quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens,* Lutheri ſententiam, quòd opera optimè facta, Deo Iudice, pœnas æternas mereantur, confirmauit. Quis enim vnquam antehac illum Dai-

Digitized by Google

uidicum verſum ità interpretatus eſt, *Non iuſtificabitur coram te omnis caro*, id eſt, *omnia opera bona optimè facta à iuſtis ad tribunal Dei grauiſſima flagitia iudicantur.* Putida & pudenda eſt hæc Fabricij, imò Lutheri (ex quo eam, vti & Prophetæ Iſaiæ, Fabricius ſuffuratus eſt) interpretatio. De iuſtitia legis interpretatur Auguſtinus. *Qui cum illo*, inquit, *volunt intrare in iudicium, niſi qui ignorantes Dei iuſtitiam, ſuam uolunt conſtituere?* Iuſtitiã ergo propriam ex lege, coram ſupremo Iudice nullius momenti eſſe, oſtendit Propheta, cùm antè dixiſſet; *Exaudi me in tua iuſtitia*, in quæ verba ſapienter Auguſtinus; *Ne utcunque accipiatis, cùm dicitur, in tua iuſtitia. Commendatio eſt enim gratiæ, ne unuſquiſq; noſtram iuſtitiam ſuam deputet. Hæc enim iuſtitia Dei eſt, quam ut habeas, Deus dedit.* Reformidat ergo coram tribunali ſummo Dauid comparere in ſua iuſtitia, quam nullam ſe, vti & cæteros mortales ex ſe habere fatetur, ſed in Dei iuſtitia, quam à Deo donatam ſibi eſſe grato animo meminit, exaudiri poſtulat. Taceo alios duos ſenſus, videlicet loqui Dauidem vel de leuibus peccatis, quibus nullius iuſti vita caret, & ob quæ quotidie etiam iuſtus dicit, *dimitte nobis debita noſtra*; vel dè iuſtitia noſtra iuſtitiæ Dei comparata, de qua beatus Iob dixit. *Nunquid homo Dei comparatione iuſtificabitur?* Et. *Verè ſcio, quòd ita ſit, & quòd nõ iuſtificabitur homo cõpoſitus Deo.* In quæ verba Auguſtinus; *Cuius*, inquit, *participatione iuſti ſunt, eius comparatione nec iuſti ſunt.* At neq;

Aſſ. art. 31. & 32

In Pſal. 142.

Pſ. 142. 1.

Hier. Hilar. Greg. Arnob. in pſ 142

Iob. 4. 17

Ib. c. 9. 2. l contra Priſci & Orig. c. 10

iſtis ſenſibus Dauid cum Lutheri impietate conſpirat: nemo bonus ante malos Prædicantes illi Dauidis verſui tribuit damnatam Lutheri ſententiam.

Sed & illud diuinæ dilectionis præceptum, *Diliges Dominum ex toto corde*, ad Lutheri defenſionem Fabricius rapit. *Mirum non eſt*, inquit, *ſi Ieſuita alienum ducat à ratione & ſcriptura, omnia opera noſtra, etiam optimè facta mereri mortem, habita ratione ſtricti Iuris diuini. Cenſent enim Ieſuitæ neminem teneri, Deum plus omnibus diligere. Ita Toletus. Stapletonus etiam dicit, non eſſe obligatorium, ſed doctrinale. Quorum doctrinæ repugnat illud, Diliges Dominum ex toto corde: Cùm autem omnia opera noſtra profluant ex corde noſtro tabido & fœtido, mirum non eſt, ſi ob impuritatem opera noſtra mortem mereantur apud Deum, qui puritatis eſt amantiſſimus.* Malitiam Prædicantis in calumniando, an inſcitiam in argumentando magis mirer, neſcio. Non negant Ieſuitæ, ô Calumniator, nec Toletus, nec Stapletonus Deum ex toto corde ſuper omnia diligẽdum eſſe, quod tu illis ſine diſcrimine imponis: negant verò præcepti de dilectione ſenſum eſſe, quòd debeat iuſtorum in terra tam perfecta eſſe dilectio, quàm Beatorum in patria, & niſi tantoperè diligant, legis de dilectione tranſgreſſores, Deiq; inimici efficiantur. *Neque enim*, inquit S. Auguſtinus, *ſi eſſe nondum poteſt tanta dilectio Dei, quanta illi cognitioni plenæ, perfectæq; debetur, iam culpæ deputandum eſt.* Aliud eſt, quod lex dilectionis oſtendit: aliud quod imperat. Oſtendit

Tol. l. 4. de inſtr. Sacer. c. 9. Stapl. l. 6. de Iuſt. c. 10

De Spir. & lit. c. 36.

Digitized by Google

dit dilectionem Beatorum perfectiſſimam, vt ad illam contendamus, & ſuſpiremus; imperat eam, quâ à iuſtis nulla creatura Deo præferenda eſt. De illa ait Auguſtinus. *Non rectè curritur, ſi quò currendum eſt, neſciatur; quomodo autem ſciretur, ſi nullis præceptis oſtenderetur?* De hac verò agens de mandato dilectionis, inquit, *Neque enim imperaret hoc Deus, vt faceremus, ſi impoſſibile iudicaret, vt ab homine fieret.* Dicimus ergo Deum ſuper omnia diligendum eſſe à iuſto, quantum ab illo diligi debet in via, non quantum à Beatis conſueuit in patria. Appreciatio, non intenſio amoris hac lege præcipitur, vt loquuntur Scholaſtici, & loco, quem notat Fabricius, apertè tradit Toletus. Calumnia ergo Fabriciana eſt, Ieſuitas negare Deum ſuper omnia eſſe diligendum, cùm inter duos tantùm modos ſic diligendi Deum, perfectiſſimum illum Cœleſtem negent iuſtis in hac vita ſub præuaricationis pœna eſſe imperatum. At verò, ſi iuſtus diligat Deum ex toto corde, quà pote fieri in terris, quàm eſt inſcita hæc Fabricii collectio, operà omnia, etiam iuſtorum, tanquam ex corde tabido & fœtido prodeuntia, mereri mortem æternam? Quomodo cor iuſtorum tabidum & fœtidum eſt, ſi illo toto in Deum feruntur? An negas, Fabrici, iuſtos in hac vita toto corde, aut perfectè DEVM diligere? Ergo fidem negas diuinæ illi voci?

l. de perf. Iuſtitia.

In Pſ. 56

Ego

Digitized by Google

Ierem. 24 v. 7. *Ego ero illis in Deum, quia reuertentur ad me in toto corde ſuo.* Et huic Dei de Rege Dauide teſtimonio? *Cuſtodiuit*
3. Reg. 14. 8. *mandata mea, & ſecutus eſt me in toto corde ſuo.* Et iſti de Io-
4. Reg. 23. 25. ſia? *Similis non fuit ante eum Rex, qui reuerteretur ad Dominum in omni corde ſuo, in tota anima, & in vniuerſa virtute ſua.* Quomodo cor iuſtorum impurum eſt, ſi Petro teſte, De-
Act. 15. 8. us *fide purificat corda eorum*, & Paulo ſuffragante, *eſt Charitas de corde puro & conſcientia bona*? Scilicet Prædican-
1. Tim. 1. 3. tes, quale ipſis cor eſt, tale iuſtorum fingunt, & ſuis operibus iuſtorum opera metiuntur.

Fabricius inſcitam Emphaſin fingit, & iterum Paulum calumniatur, vt Lutheri ſolam fidem & malam vitam tueatur. §. VI.

l. de Capt. Babyl. c. de Bapt. SEd pergamus ad aliud monſtrum. *Vides*, inquit Lutherus, *quàm diues ſit homo Chriſtianus, qui etiam volens, non poteſt perdere ſalutem ſuam, quantiſcunq; peccatis, niſi nolit credere. Nulla enim peccata eum poſſunt damnare, niſi ſola incredulitas.* Hic Meiſnerus primam tam infamis dicti partem præterit: de altera verò, ne omninò obmutuiſſe videatur, hoc tantùm habet dicere.
Th. 32. *Neq; hoc incommodum eſt, ſi modò dextrè accipiatur: Omnia peccata quidem damnationem merentur; attamen, qui damnantur, non tam ob ſcelera, quàm ob contemptum ſatisfactionis pro ſceleribus præſtitæ damnantur, quamuis diſtincti pœnarum gradus, ſecundùm diſtincta crimina irrogentur.* Omninò iuxtà delicti modum erit plagarum modus: plura & grauiora

ſcelera,

Digitized by Google

ſcelera, maiorem pœnam, quam debent, dabunt. Si peccata etiam ſingula merentur damnationem Prædicantis confeſſione, quomodo hominem non etiam ſingula damnant, ſeu damnationis cauſa ſunt? Luet peccator ingrati animi crimen: an ideò furti, adulterij, aliorumq́; ſcelerum pœnam æternam non luet? Merus hic Prædicantis fucus eſt: ſcriptura, quæ de incredulitate dicit, *qui non crediderit, condemnabitur*: etiam de alijs multis ſceleribus apertè pronunciat, *qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur*. Mar. 16 v. 16. Gal. 5 v. 21.

Sed quid fabricat Fabricius circa hoc informe Lutheri dictum? Ad primam partem illius, (*Chriſtianus non poteſt perdere ſalutem ſuam, niſi nolit credere,*) *reſpondetur*, inquit Fabricius, *emphaticè locutum, reſpiciens ad veritatem Dei in promiſſionibus*. Quæ Syntaxis, ô Prædicans, *locutũ reſpiciens*? Sed neglecto Fabriciano ſolœciſmo, emphaſin Lutheranam diſcutiamus. Chriſtus ijs, qui crediderint & baptizati fuerint, ſalutem promiſit; hoc promiſſum attendens Lutherus, concluſit, Chriſtianum non poſſe ſalutis iacturam facere quantiſcunq; peccatis, niſi nolit credere; perinde ac ſi vnicam ſalutis conſequendæ conditionem, fidem ſcilicet, liberaliſſima Chriſti promiſſio, & nec pœnitentiam, nec dilectionem, nec mandatorum obſeruationem exegiſſet. Chriſti ſunt ſententiæ. *Si pœnitentiam non egeritis, omnes ſimiliter peribitis. Hoc fac* (id eſt, Deum & proximum dilige, vt ex contextu patet) Luc. 13. 5. Luc. 10. 28.

tet) *& viues. Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata.* Quæ igi-
Math. 19 17. tur emphaſis eſt, dicere, ſola fide ſalutem reperiri, ac nullis peccatis, niſi infidelitate, eam amitti poſſe? Et fidei, & pœnitentiæ, & charitati, & miſericordiæ Dominus æternam vitam promiſit: contrariis verò omnibus peccatis ſempiternum interitum minatus eſt. Impia ergo Lutheri emphaſis eſt, maximis peccatis, modò fidem promittenti Deo adhibeamus, ſalutem in nullum diſcrimen adduci poſſe. Et certè ipſe Fabricius nimiam emphaſin metuiſſe videtur, cùm in reſponſo verba illa, *quantiſcunque peccatis*, omiſit, atque ità Lutheri dictum recitauit; *Chriſtianus non poteſt perdere ſalutem ſuam, niſi nolit credere.* Verùm non contentus emphaſi Tropicus Prædicans, etiam Apoſtolo impiam hanc ſententiam propè tribuit. Ait enim; *Apoſtolus non procul abeſt à tali effato, ſeu modo loquendi.* Itáne verò? vbi obſecro? *Ad Rom.* 3. Num hominum infidelitas Dei fidem euacuabit? Aut reddet inanem? Abſit. *& cap.* 9. fieri non poteſt, vt excidat ſermo Dei. *& ad Theſſalonicenſes.* Fidelis eſt, qui vocauit nos,
1. Theſſ. 5. 24. qui etiam efficiet. *Ad ea loca reſpicit Lutherus loco aſſignato, de quo eſt quæſtio.* O impium & impudentem Prædicantis calamum, qui tanto conuitio audet Apoſtolum perſtringere. Nec his locis, nec vſquam Apoſtolo in mentem venit, nullis peccatis Chriſtianum ſalute excidere poſſe, niſi nolit credere.

Digitized by Google

credere. Dei fidem in ſeruandis promiſſis prædicat, & ad Romanos vtroq; loco etiam contra infideles Iudæos defendit. Non enim, quia quidam Iudæorum non crediderunt eloquiis Dei, infidelitas illorum potuit euacuare Dei fidelitatem, vt, quæ illis de aduentu & redemptione Meſſiæ, de credentium iuſtificatione promiſerat, non impleret. Neque verò ideò, quia Iudæis ſecundùm carnem deſertis ad Gentes gratia & iuſtitia translata eſt, excidit ſermo Dei: nam non carnali, ſed ſpirituali ſemini Abrahami, ſeu in Chriſtum credentibus promiſſio gratiæ & iuſtitiæ facta eſt. Nimirum tam fidelis Deus eſt, vt ex illius parte nihil omninò ſit cogitare, quod eius promiſſa impedire vel retardare poſſit, cùm & optimus, & ſapientiſſimus, & potentiſſimus ſit. Quid verò hîc vicinum illi Lutherano; *Chriſtianus non poteſt ſalutem quantiscunque peccatis perdere, niſi nolit credere?* Si Paulus eo ſenſu dixiſſet, fidem DEI non euacuari ab infidelitate Iudæorum; quòd DEVS gratiam & ſalutem promiſſam Iudæis etiam infidelibus ſeu non credentibus, nihilominus fidei ſeruandæ gratiæ ſit daturus, haberet Fabricius, quo Lutherum excuſaret, vel ſic quoque loquentem; *Chriſtianus non poteſt ſalutem perdere, etſi nolit credere.* At longè aliam Pauli

mentem eſſe, eumq́; vel longiſſimè ab effato Lutheri abeſſe, contra Prædicantis ſacrilegum fucum iam apertè monſtrauimus.

Quid verò ad alteram partem dicti, *Nulla peccata poſſunt hominem damnare, niſi ſola incredulitas*, reſpondet Fabricius? Mitem interpretem agit: *Id eſt*, inquit, *quantacunq́; peccata admiſeris, lex quidem te condemnabit, ſed ſi cum vera reſipiſcentia & fide venias ad Deum, nulla eorum omnium te poterunt damnare.* Aliena eſt hæc interpretatio à Lutheri verbis; Lutherus ſolam fidem, ne peccata hominem damnent; Fabricius etiam veram reſipiſcentiam requirit. Scimus maxima quæq́; peccata, ſi homo per veram ſeriámq́; pœnitentiam ad Deũ reuertatur, veniam obtinere. Hoc omnes Catholici ſentiunt & dicunt. Quis verò cum Luthero audeat dicere, nullum eſſe aliud peccatum, quo homo damnetur, quàm incredulitatem: aut ſi homo tantùm credat, ſibi peccata dimitti, quidquid de pœnitentia, dilectione Dei, nouæ vitæ propoſito ſit, mox illum diuinâ ſententiâ omnibus peccatis abſolui. Apertior certè eſt in hoc genere impietas Lutheri, quàm vt vllis Fabricianis gloſſematibus tegi poſſit. Lutherus mala opera tam parùm Orco, atque bona Cœlo digna iudicat: fidelem etiam adulterum bonam arborem eſſe, eiuſq́; fidei adulteriũ multùm prodeſſe cenſet, imò intrepidè peccare iubet, ſimulq́; Chriſto fidere, mille deniq́; adulteria

vel

Digitized by Google

vel homicidia vno die perpetrata non poſſe hominem à Chriſto auellere dicit, modò is credat Chriſtum eſſe agnum, qui tollit peccata mundi. Recitò Lutheri verba. *Nullum opus tam malum eſt, quod hominem poßit damnare, & nullum tam bonum, quod hominem poßit ſaluare, ſed ſola fides nos ſaluat, & infidelitas damnat nos. Si quis in adulterium incidat, hoc opus illum non damnat, ſed indicat, quòd fide exciderit; hoc illum damnat, alias eſſet impoßibile. Itaq; nihil hominem bonum facit, niſi fides, nihil facit malum, niſi incredulitas. Noli cogitare, quòd Chriſtianus non poßit cadere. Dauid erat quoq; bona arbor, nihilominus cadebat, ſed tamen non erat mala arbor. Quamdiu Chriſtianus bonus eſt, & manet in fide, ne cogites, quod faciat opus, quo proximo ſuo velit nocere, cùm illum potius cupiat iuuare. Quòd verò aliquid interdum ei accidat* (adulterium ſcilicet) *ſicut Dauidi, non debes inde ſcandalizari. Deus enim ſinit iſta contingere, & ſanctos ſuos interdum impingere, vt inde fides illorũ confortetur & augeatur, ſuãq; imbecillitatem agnoſcant. Eſto peccator, & pecca fortiter. Sed fortiùs fide & gaude in Chriſto, qui victor eſt peccati, mortis & inferni: peccandum eſt, quamdiu hic ſumus. Vita hæc non eſt habitatio iuſtitiæ* (etiamſi Chriſtus & Spiritus eius in nobis habitet) *ſed exſpectamus, ait Petrus, Cœlos nouos, & terram nouam, in quibus iuſtitia habitat. Sufficit, quòd agnouimus per diuitias gloriæ Dei agnum, qui tollit peccatum mundi: ab hoc non auellet nos peccatum, etiamſi millies, millies* (hoc eſt, bis millies) *vno die fornicemur, aut occidamus.* O monſtroſum robur Lutheranæ fidei, quæ tam bonam arborem facit, vt etiam, cùm mali ope-

In poſt. Eccleſ. Dom. 8. Trin. ſer. 1. Edit. Argẽt. 4. 27.

Ead. Dñ. ſerm. 2.

Tom. 1. Epiſt. ad Melãcht. fol. 145. b. Edit. Ienenſi. anno 56.

ris fructum profert, non ſit mala; quæ hominem etiã bis mille adulteria, aut homicidia vno die patrantem à Chriſto non poteſt auellere; quæ ſola ſufficit, & omnibus peccatis fortior eſt, imò magnum virium incrementum à peccatis ſumit.

Vanum Meiſneri effugium in Luthero excuſando: Fabricij aperta contradictio, & futilis conſequentia. §. IIX.

De vot. Monaſt. QVid verò ad illam bonorum operum calumniam, (*opus bonum non poteſt doceri, niſi lædas fidem*) purgandam dicunt linguati Patroni? Fabricius, quod in hoc Locutuleio mirêre, tacet; *Th. 34.* Meiſnerus breuiter ità reſpondet; *Sciendum eſt opera vel immiſceri iuſtificationis actui, vel doceri, vt fructus pœnitentiæ. Ibi fidem lædunt, hic oſtendunt. Ibi ſola fides iuſtificat, hic ſola non eſt, ſed per dilectionem operatur.* Opera bona tanquam diſpoſitiones ad iuſtitiam, qua ex impio fit iuſtus, aut tanquam merita iuſtitiæ, qua iam antè iuſtus fit iuſtior, fidem minimè lædunt, ſed iuuant, ſiue ad accipiendam, ſiue ad augendam iuſtitiam. Et vana eſt illa Meiſneri diſtinctio, *Ibi ſola fides iuſtificat, hic ſola non eſt, ſed per dilectionem operatur*, quaſi verò cùm fides primò iuſtificat, ità ſola ſit, vt per dilectionem non operetur. Vt taceam, Prædicantem Apoſtolo ad Galatas aliter docenti repugnare: ipſis Lutheri verbis, hæc commentitia Meiſneri defenſio reijcitur. *Acceditur,* in-

inquit Lutherus, *ad DEVM per fidem operantem, ſed non per opera.* Hæc Lutheri verba recitat pag. 32. Fabricius, vt probet ſolam fidem, non bona opera ex fide facta iuſtificare, & parare acceſſum ad Deum. At verò, ſi fide operante accedimus ad Deum, quæ malùm inſania & Lutheri, & Fabricij, & Meiſneri eſt, negare vllam fidei operibus ad DEVM conciliandum vim ineſſe? Quid enim in ſenſu intereſt, inter fidem operantem, & opus fidei? Si ergo fidei operanti tribuitur à Luthero acceſſus ad DEVM, & præparatio ad iuſtificationem, cur operibus fidei negetur? Sed ne de verbis tricer, aduerſus Meiſnerum ſatis eſt ſuperque, non ſolam fidem, ſed eam, quæ per dilectionem operatur, etiam Luthero confitente acceſſum ad DEVM parare.

Illud verò hic diſſimulare non poſſum, Fabricium ſuorum verborum planè immemorem, in huius dicti; *Acceditur ad Deum per fidem operantem &c.* explicatione ſibi turpiſſimè contradixiſſe. Hæc enim Lutheri dicto allegato ſubiungit; *In quo Lutherus Apoſtolum imitatur, Hebr. 11. 5. priusquàm transferretur Enoch teſtimonium obtinuerat, quòd gratus fuerit, atqui fieri non poteſt, vt abſque fide aliquis ſit gratus, nam qui accedit ad Deum, oportet credere. Vbi vides totam cauſam acceſſus ad DEVM dari fidei: Opera igitur non tollit, quatenus effecta*

ſunt

ſunt fidei, ſed negat eſſe cauſam acceſſus ad Deum: fatetur id Pontificius Roffenſis: Non, inquit, inficior fidem bonis operibus gratuidam iuſtificare. Suprà pag. 4. S. Thomæ hunc Pauli locum proferenti, vt initium iuſtificationis noſtræ fidem eſſe monſtraret, Fabricius me pro S. Thoma inſcitè impetens, fallaciæ crimen obiecit. *Quid hoc,* aiebat, *niſi fallere? loquitur enim Apoſtolus de eo, qui accedit ad Deum impetraturus aliquid. Ieſuita deflectens à Scopo Apoſtoli ita inuertit ſenſum, qui incipit ad Deum accedere, vt iuſtificetur, debet credere. Quod toto Cœlo aberrat à propoſito Apoſtoli, prout manifeſtum fit omnibus.* Si ità eſt, Fabrici, cur ergo hîc hunc Apoſtoli locum non de orationis, ſed iuſtificationis acceſſu ipſe explicas? nam & Lutherus, qui tibi Apoſtolum imitatus videtur, & Roffenſis, quem Luthero & Apoſtolo de fide operibus gratuida conſentire ais, de iuſtificatione apertè locuti ſunt. Ergo tibi quoq; hîc placuit fallere, à Scopo Apoſtoli deflectere, ſenſum inuertere, toto Cœlo à propoſito Apoſtoli aberrare? Hic ſcilicet Prædicantium vetus mos eſt, vt quiduis aiant & negent, vti in rem ſuam eſſe cenſuerint: apud illos enim, vt Comici verbis vtar, *exinde vt ventus eſt, velum vertitur.* Ibi ne fide iuſtitiam inchoari admitteret Fabricius, verba hæc Apoſtoli, *Accedentem ad Deum oportet credere,* de iuſtificationis acceſſu accipi poſſe pernegauit; hîc, vt ſolam fidem iuſtificare probaret, verba Apoſtoli de iuſtificatione accipienda affirmauit. Ibi ad veritatem

Digitized by Google

veritatem negandam falſum Apoſtolici dicti ſenſum confinxit; hic ad falſum dogma confirmandũ veram illius interpretationem reſumpſit. Verùm vti illic nihil contra veritatem potuit figmentum, ità nec iſtic errori patrocinatur veritas, ſed Fabricij hic affirmantis, quod ibi negauerat, detegitur vanitas. Quid enim? an Apoſtolus totam acceſſus cauſam dat fidei? an negat fidei operibus aditum parari ad Deum? vnum ac quidem primum caput eorum, quæ acceſſum ad Deum parant, nominat Apoſtolus, cætera nec verbulo excludit. Quænam iſta collectio? Credere oportet accedentem ad Deũ; ergo ſola fide, nullaq; alia re opus eſt, vt ad Deum perueniatur; ergo tota cauſa acceſſus ad Deum eſt fides. Planè gemina huic Militem oportet habere galeam: ergo nec lorica, nec Scuto, nec gladio, nec haſtâ opus habet; ergo galea, tota militis eſt armatura. Quis riſum teneat ad tam futiles conſequentias? Audiamus Syracidem, quas ille vias accedenti ad Dei ſeruitutem præſcribat? *Fili*, inquit cap. 2. *Eccl. 2.* *accedens ad ſeruitutem Dei ſta in iuſtitia & timore, & præpara animam tuam ad tentationem.* v. 1. *Crede Deo, & recuperabit te, & dirige viam tuam, & ſpera in illum. Serua timorem illius, & in illo veteraſce.* v. 6. *Qui timetis Dominũ, ſperate in illum, & in oblectationem veniet vobis miſericordia. Qui timetis Dominum diligite illum & illuminabuntur corda veſtra.* v. 9. 10. *Qui timent Dominum inquirent, quæ bene placita ſunt ei, & qui diligunt eum,*

g *reple-*

Digitized by Google

repleb̄untur lege ipſius. Qui timent Dominum, præparabunt corda ſua, & in conſpectu illius ſanctificabunt animas ſuas: Qui timent Dominum, cuſtodiunt mandata illius, & patientiam habebunt vſque ad inſpectionem illius, dicentes: ſi pœnitentiam non egerimus, incidemus in manus Domini, & non in manus hominum. v. 19. 20. 21. 22. En apparatum accedentis ad Deum: ad fidem timor, ſpes, dilectio, pœnitentia, propoſitum cuſtodiendi mandata, & inquiſitio beneplaciti diuini accedat, neceſſe eſt; non ſoli fidei, ſed his quoque pijs affectibus gratis promittitur recuperatio ſalutis, illuminatio cordis, repletio gratiæ, oblectatio miſericordiæ.

Prædicantes Lutheri libidinem malè purgare ex ipſo Luthero, & Fabricium Auguſtino imponere ex Auguſtino oſtenditur. §. IX.

SEd iam ad quædam ſpurca effœminati Lutheri axiomata, & mundas Prædicantium notas pergamus. *Liberis operam dare tam neceſſarium cuique* æſtimat Lutherus lib. de vita coniugali 1. parte ab initio, *quàm edere, bibere, dormire* &c. Vt hoc intemperantiſſimum Lutheri dictum temperet Meiſnerus, primùm illud interpretatur *de vſu fœminæ neceſſario ratione finis ob conſeruationem ſpeciei humanæ*; At verò, quæ communi naturæ bono tuendo neceſſaria ſunt, non ſingulis hominibus imperantur, aut neceſſaria ſunt. An peribit genus humanum, ſi Prædicantes

coniu-

coniugibus, liberiſq; careant? Quid ergo cuique æquè neceſſariam coniugem, atq; cibum Lutherus pronunciauit, ſi cibus cuiuſq; hominis, coniugium verò tantùm ſpeciei conſeruationi neceſſarium cenſetur?

Alterum ergo vtriuſq; Prædicantis commune reſponſum eſt, *Lutherum loqui de iis, quibus non eſt datum continentiæ donũ, tum enim neceſſarium matrimonium ratione uſtionum, quas hoc medio Deus ſopiri voluit, quia ſecundùm Apoſtolum melius eſt nubere, quàm uri.* Audiamus Lutherum, & iſtos deinde interpretes iudicemus. *Quàm parùm*, inquit ille, *eſt in mea poteſtate, ut vir ſim, tam parùm eſt in poteſtate mea, vt ſine vxore ſim. Non enim eſt liberum, aut conſilium, ſed neceſſarium & naturale, quòd omnis vir debeat habere vxorem, & omnis fœmina virum. Hæc enim verba, Creſcite & multiplicamini, non ſunt præceptum, ſed plus quàm præceptum, nimirum diuinum opus, quod impedire, aut omittere, non eſt in noſtra poteſtate, ſed tam eſt neceſſarium, quàm quod vir ſim, & magis neceſſarium, quàm edere & bibere, purgare, & excreare, dormire & vigilare. Eſt natura inſitum non minùs, quàm membra ad id deſtinata. Quare ſicut DEVS nemini præcipit, vt ſit vir aut fœmina, ſed creat, vt neceſſariò ſint: Ita etiam non præcipit, vt ſe multiplicent, ſed creat ità, vt neceſſariò ſe debeant multiplicare.* Annon hic vniuerſè loquitur Lutherus? An qui habent donum continentiæ, non Viri, ſed Eunuchi vterini, aut execti ſunt? Annon illi voluptati, cui naturâ apti ſunt, diuino quidem

De vitâ coniugali 1. parte paulo poſt initium.

Digitized by Google

dono, liberè tamen renunciant, vimq; naturæ faciunt, dum ſe caſtrant, Domino teſte, propter regnū Cœlorum? Scio quidem Lutherum deinde ab hac neceſſitatis lege abſoluere Eunuchos ex vtero natos, manu ſectos, Dei dono & proprio voluntatis arbitrio factos; at quàm benè hæc inter ſe conueniunt, in nullius hominis poteſtate eſſe, ſi thoro aptus ſit, vt illum negligat, &, homines aliquos officio coniugali aptos ſpontè libereq; cœlibem vitam deligere? *Sunt*, inquit Lutherus, *aliqui ſublimes & diuites Spiritu, diuina gratia frenati, qui natura & corpore idonei ſunt matrimonio, & tamen voluntariè manent extra matrimonium.* Sed etiamſi, quod volunt Prædicantes, de ijs, qui donum continentiæ non habent, ſuprà recitata dixerit Lutherus; non tamen turpem laſciuiæ maculam hæc gloſſula eluet. Si enim ijs, qui rarum illud, & vt loquitur Lutherus, *nec vni inter mille* à Deo conceſſum munus continentiæ, non acceperunt, magis neceſſarius eſt concubitus, quàm cibus, potus, ſcreatus, ſomnus, quid faciendum vxori, ſi vir diutius abſit, aut decumbat? In illius poteſtate non eſt omittere, quod tam neceſſarium eſt, quàm quòd mulier eſt: quod præ cibo potuq; opus habet, quod illi pluſquàm præceptum eſt. Ergo alium ſibi thori ſociū ſiue occultè, ſiue publicè adſciſcet? Certè huc illam tanta, quantam Lutherus exaggerat, neceſſitas compellet. Verùm hanc ipſam neceſſitatem

ceſſitatem, aut ſui immemor, aut meliora cogitans adeò minuit eodem libro Lutherus, vt ſecunda parte in fine, vxori, quæ ob diuturnam coniugis ægritudinem vſu coniugij caret, nuptias alias neq; vnquam permittat. *Quid, inquit, ſi quæ virum ægrum reddendo debito deinceps ineptum habeat, an alteri nubere poteſt? Nequaquam, ſed ſeruiat Deo in ægroto coniuge, cogitetq; Deum ſibi has ſacras dediſſe reliquias, quibus Cœlum conſequatur. Beata, & iterum beata es, ſi tale donum & gratiam agnoſcas, & viro tuo propter Deum inſeruias. At dices, non poſſum me continere; hoc mentiris. Si ſeriò ægroto coniugi tuo inſeruieris, & agnoueris hoc à Deo venire, illiq; gratias egeris, in illum iacta curam tuam, certò dabit tibi gratiam, vt non plus, quàm poßit, ferre debeas. Tam fidelis eſt Deus, vt qui te coniuge tuo per morbum priuauit, ſine dubio etiam carnis petulantiam ſit in te compreſſurus, ſi fideliter tamen tuo ægroto miniſtraueris.* Tam benè hæc Lutherus, quàm illa ſuperiora malè. Qui nimirum liberi ſunt, & nec homini, nec Deo fidem dederunt, ijs conſulit Apoſtolus, ſi ſe non continent, vt nubant; melius eſt enim nubere, quàm vri, ſi difficiliora media euitandis vſtionibus adhibere nolint. At quæ mortali viro matrimonio iunctæ, aut immortali ſponſo voto dicatæ ſunt, etiamſi ſe non cõtinent, nubere non poſſunt. Et coniugum, & Virginum caſtimonia Dei donum eſt: petant à Deo, qui omni ſtatui neceſſaria paratus eſt dare, vt continenter coniuges cum viris, & Virgines ſine Viris viuere

 poſſint,

Digitized by Google

poſſint, *Vnuſquiſq; enim proprium donum habet ex Deo, alius*
1. Cor. 7. 7. *quidem ſic, alius verò ſic.* Caſtigent corpus ſuum, & in ſeruitutem redigant; cum ijs, qui Chriſti ſunt, crucifigant carnem, & concupiſcentias eius; ſpiritu facta carnis mortificent, ſpiritu ambulent, & deſideria carnis non perficient. Non eſt, quod ſibi, ſuique ſimilibus Apoſtatis, qui poſt liberum, ſolenneque caſtitatis votum in ſacerdotii inauguratione editum, ad ſacrilegas nuptias impudenter prouolarunt, blandiatur Fabricius de Apoſtolico
Ad Virg. lapſam. c. 5. dicto. *Melius eſt nubere, quàm uri.* Nam vt S. Ambroſius ad Virginem lapſam præclarè ſcripſit. *Hoc dictum ad non pollicitam pertinet, ad nondum velatam. Cœterùm quæ ſe ſpopondit Chriſto, & ſanctum velamen accepit, iam nupſit, iam immortali iuncta eſt Viro. Et iam ſi voluerit nubere communi lege connubij, adulterium perpetrat, ancilla mortis efficitur.* Sed Fabricius, vt perſuadeat ſacrilegis maritis & vxoribus, Apoſtoli vocem etiam ad obſtrictos voto homines pertinere, Auguſtinum ità de Virginibus, perpetuam virginitatem profeſſis lo-
lib. de S. Virgin. c. 34. quentem inducit. *Hæ melius nuberent, quàm urerentur, id eſt, occulta flammà concupiſcentiæ in ipſa concupiſcentia vaſtarentur.* Quid verò ex his Auguſtini verbis, Fabrici, coniicis? an, licere poſt votum nuptias? hoc Auguſtinus & hîc, & alibi perſæpè conſtanter negat. Ratas eſſe ac valere nuptias poſt votum continentiæ initas, & hîc inſinuat, & alibi

Digitized by Google

bi apertè tradit Auguſtinus: & hodie nuptiæ poſt ſimplex votum, non licent, ſed valent; poſt ſolenne nunquam diuina lege licuère, ante Eccleſiæ decretum multorum ſententiâ ratæ, poſt decretum ſemper irritæ fuère. Benè ergo Auguſtinus de ijs, quæ poſt votum ſiue priuatim, ſiue publicè in religioſæ vitæ profeſſione, antea quàm ſolenne votum inter impedimenta dirimentia, Eccleſiæ lege numeraretur, nuncupatum incontinenter viuebant, dixit, *hæ meliùs nuberent, quàm vrerentur*, hoc eſt, minùs peccarent ſemel illicitè nubendo; poſt veras nuptias verò debitum licitè reddendo, quàm continuè ſæpiuſq; iteratis occultis fornicationibus ſe toties contaminando. Atq; vt hanc Auguſtini mentem eſſe, illique nuptias poſt votum tanquam illicitas minimè probari, clariſſimè appareat, recitemus illius verba, quæ ſubdolè Prædicans ſuppreſſit: & ex multis aliis paucula quædam eius teſtimonia addamus. Ità ergo Auguſtinus loco citato, ante & poſt verba à Prædicante excerpta loquitur. *De his ſuperiùs dixerat* (Apoſtolus ſcilicet 1. Timoth. 5.) *Iuniores autem viduas deuita. Cùm enim in deliciis egerint, in Chriſto nubere volunt, habentes damnationem, quoniam primam fidem irritam fecerunt, id eſt, in eo, quod primò vouerant, non ſteterunt. Nec tamen ait, nubunt, ſed nubere volunt. Multas enim earum reuocat à nubendo non amor præclari propoſiti, ſed aperti dedecoris*

De bono vid. c. 9. & 10. Ep. 10 ad Bonif.

l. de Sancta Virginit. c. 33. & 34.

timor

poſſint, *vnuſquiſq; enim proprium donum habet ex Deo, alius*
1. Cor. 7. 7. *quidem ſic, alius verò ſic.* Caſtigent corpus ſuum, & in ſeruitutem redigant; cum iis, qui Chriſti ſunt, crucifigant carnem, & concupiſcentias eius; ſpiritu facta carnis mortificent, ſpiritu ambulent, & deſideria carnis non perficient. Non eſt, quod ſibi, ſuique ſimilibus Apoſtatis, qui poſt liberum, ſolenneque caſtitatis votum in ſacerdotii inauguratione editum, ad ſacrilegas nuptias impudenter prouolarunt, blandiatur Fabricius de Apoſtolico
Ad Virg. lapſam. c. 5. dicto. *Melius eſt nubere, quàm uri.* Nam vt S. Ambroſius ad Virginem lapſam præclarè ſcripſit. *Hoc dictum ad non pollicitam pertinet, ad nondum velatam. Cæterùm quæ ſe ſpopondit Chriſto, & ſanctum velamen accepit, iam nupſit, iam immortali iuncta eſt Viro. Et iam ſi voluerit nubere communi lege connubij, adulterium perpetrat, ancilla mortis efficitur.* Sed Fabricius, vt perſuadeat ſacrilegis maritis & vxoribus, Apoſtoli vocem etiam ad obſtrictos voto homines pertinere, Auguſtinum ità de Virginibus, perpetuam virginitatem profeſſis lo-
lib. de S. Virgin. c. 34. quentem inducit. *Hæ melius nuberent, quàm urerentur, id eſt, occulta flammâ concupiſcentiæ in ipſa concupiſcentia vaſtarentur.* Quid verò ex his Auguſtini verbis, Fabrici, coniicis? an, licere poſt votum nuptias? hoc Auguſtinus & hic, & alibi perſæpè conſtanter negat. Ratas eſſe ac valere nuptias poſt votum continentiæ initas, & hic inſinuat, & alibi

bi

bi apertè tradit Auguſtinus: & hodie nuptiæ poſt ſimplex votum, non licent, ſed valent; poſt ſolenne nunquam diuina lege licuêre, ante Eccleſiæ decretum multorum ſententiâ ratæ, poſt decretum ſemper irritæ fuêre. Benè ergo Auguſtinus de ijs, quæ poſt votum ſiue priuatim, ſiue publicè in religioſæ vitæ profeſſione, antea quàm ſolenne votum inter impedimenta dirimentia, Eccleſiæ lege numeraretur, nuncupatum incontinenter viuebant, dixit, *hæ meliùs nuberent, quàm vrerentur*, hoc eſt, minùs peccarent ſemel illicitè nubendo; poſt veras nuptias verò debitum licitè reddendo, quàm continuè ſæpiuſq; iteratis occultis fornicationibus ſe toties contaminando. Atq; vt hanc Auguſtini mentem eſſe, illique nuptias poſt votum tanquam illicitas minimè probari, clariſſimè appareat, recitemus illius verba, quæ ſubdolè Prædicans ſuppreſſit: & ex multis aliis paucula quædam eius teſtimonia addamus. Ità ergo Auguſtinus loco citato, ante & poſt verba à Prædicante excerpta loquitur. *De his ſuperiùs dixerat* (Apoſtolus ſcilicet 1. Timoth. 5.) *Iuniores autem viduas deuita. Cùm enim in deliciis egerint, in Chriſto nubere volunt, habentes damnationem, quoniam primam fidem irritam fecerunt, id eſt, in eo, quod primò vouerant, non ſteterunt. Nec tamen ait, nubunt, ſed nubere volunt. Multas enim earum reuocat à nubendo non amor præclari propoſiti, ſed aperti dedecoris timor.*

De bono vid. c. 9. & 10. Ep. 10 ad Bonif.

l. de Sancta Virginit. c. 33. & 34.

timor veniens & ipſe à ſuperbia, qua formidatur, magis hominibus diſplicere quàm Deo. Hæ igitur, quæ nubere volunt, & ideò non nubunt, quia impunè non poſſunt, quæ meliùs nuberent, quàm vrerentur, id eſt, quàm occulta flamma concupiſcentiæ in ipſa concupiſcentia vaſtarentur, quas pœnitet profeſſionis, & piget confeſſionis, niſi correctum cor dirigant, & Dei timore rurſus libidinem vincant, in mortuis deputandæ ſunt. Nónne ait, volentes nubere damnationem habere, quia in eo, quod primò vouerāt, non ſteterunt? nónne eas à nuptiis malè cogitatis ad cordis correctionem, Dei timorē, libidinis debellationem æternæ mortis metu reuocat? Sed alibi, quàm breuiter & clarè idem Doctor.

lib. 1. de adult. cō-iug. c. 15 *Illis, quæ ſe non continent, vtiq; expedit nubere, & quod licet, expedit. Quæ autem vouerint continentiam, nec licet, nec expedit.* Atq; iterum; *Neſcio quæ caſtimonialis nubere voluit. Quid voluit? Quod & Virgo quælibet. Quid voluit? quod & mater ipſius. Aliquid mali voluit? mali planè. Quare? quia iam vouerat Domino Deo ſuo &c. Quid autem ait Apoſtolus de quibuſdam, quæ vouerunt & non reddiderunt? Habentes, inquit, damnationē, quia primam fidem irritam fecerunt. Quid eſt, primam fidem irritā fecerunt? Vouerunt & non reddiderunt.* Quid tibi, Prædicans, de illa Auguſtini voce videtur; *Sanctimonialis, ſi nupſerit, Chriſti adultera reputabitur?* Et de illa Concilij Carthaginenſis IV. cui Auguſtinus ſubſcripſit, ſententiâ? *Si quæ viduæ, quantumlibet adhuc in minoribus annis poſitæ, & matura ætate à viro relictæ, ſe deuouerunt Domino, & veſte laicali abiecta ſub teſtimonio Epiſcopi & Eccleſiæ religioſo*

In pſal. 75.

In pſal. 83.

Tom. 1. Conc. cap. 104.

Digitized by Google

gioſo habitu apparuerunt, poſtea verò ad ſeculares nuptias tranſierunt, ſecundùm Apoſtolum damnationem habebunt, quoniam fidem caſtitatis, quam Domino vouerunt, irritam facere auſæ ſunt. Tales ergo perſonæ ſine Chriſtianorum communione maneant, quæ etiam nec in conuiuio cum Chriſtianis communicent. Nam ſi adulteræ coniuges reatu ſuo ſunt viris obnoxiæ, quantò magis viduæ, quæ religioſitatem mutauerunt, crimine adulterij notabuntur, ſi deuotionem, quam Deo ſponte, non coactè obtulerunt, libidinoſa corruperunt voluptate, atq; ad ſecundas nuptias tranſitum fecerunt. Satis ſuperq; credo his Auguſtini teſtimonijs, vt plura eiuſcemodi alia taceam, ſumma Fabricij in nuptijs Virginum Deo deuotarum, tanquam bonis, licitiſq; ex Auguſtino probandis, impudentia proditur.

Fabricius ſcripturas neſcit: easdem & Ius Canonicum corrumpit, vt ſacrilegum ſuum thorum defendat.

§. X.

SEd numeremus ac perſtringamus breuiter alios errores, quos hoc loco aduerſus Sacerdotalem continentiam, illius Violator & hoſtis Fabricius, inſaniens toto ſacco effudit.

I. *Caue ſuſpicari Lutherum aduerſari illis propoſitionibus Paulinis. Qui poteſt capere, capiat. Iterum; Non omnes capiunt donum hoc. Iterum. Vnuſquiſq; ſuum donum habet à Deo.* Nec prima, nec altera propoſitio Paulina eſt: diligentiùs, Fabrici, ſcripturas lege: aliàs nec Caluini-

h ſtæ

niſtæ te Licentiatum aut Doctorem ſuæ Theologiæ creabunt; vtraq; propoſitio à Christo prolata eſt. Matth. 19. v. 11. 12. Nec vſquam à Paulo in Epiſtolis repetita.

II. *Sed dices, uoui Caſtitatem. An nulla ergo Caſtitas in Matrimonio?* Eſt ſanè, ſed minor imperfectiorque illâ, quam intelligit, qui vouet Caſtitatem. Omnium communis hic ſenſus & iudicium eſt, eum, qui caſtitatem vouet, omni, etiam licitæ thori coniugalis voluptati renunciare. Diſce, indocte Fabrici, ab ipſo Luthero hunc vocis ſignificatum.

Tom. 6. VVitem. ſerm. de Matrim. *Nec Chriſtus, nec Apoſtoli*, inquit Lutherus, *voluerunt Caſtitatem præcipere, ſed tamen conſuluerunt, & in cuiusq; arbitrio poſuerunt, vt ſe probet, & ſi non poteſt ſe continere, matrimonium contrahat, ſi autem cum gratia Dei poteſt, melior eſt Caſtitas.* Audis, Fabrici, Chriſtum & Apoſtolos conſuluiſſe Caſtitatem, quæ melior eſt matrimonio? An & Luthero obijcies: nullane Caſtitas in Matrimonio? Nimia in te eſt inſcitia.

III. *Replicabis. Sed Iura prohibent ſacerdotem dare operam rei vxoriæ. Audi Gratianum.* Grat. 26 q. 1. Can. ſors. *Copula ſacerdoti nec legali, nec Euangelica, nec Apoſtolica auctoritate prohibetur.* Mutilat textum Fabricius, vt fraudem tegat, & à Iure non prohiberi ſacerdotales nuptias doloſè doceat. Hic integer textus eſt. *Antequam Euangelium clareſceret, multa permittebantur, quæ tempore perfectioris diſciplinæ penitus ſunt eliminata. Copula namq; Sacerdotalis vel conſang-*

ſanguineorum, nec legali, nec Euangelica, vel Apoſtolica aucto- ritate prohibetur: Eccleſiaſtica tamen lege penitus interdicitur. Quare hæc vltima verba Fabricius, & illa, *vel conſan- guineorum,* ſuppreſſit? Eccleſiaſticę legis grauiſſimũ in- terdictum diſſimulauit, ne obiectioni de Iure ſacer- dotis nuptias prohibente propoſitæ quadantenus cederet; de conſanguineis tacuit, ne audiret cũ ſuis; Quid Eccleſiæ interdictũ de ſacerdotũ nuptiis ſper- nitis, & de conſanguineorũ connubio, perindè ac ſacerdotum, diuina lege libero, auditis & accipitis?

IV. *Obediendum Deo potiùs, quàm hominibus. Deus au- tem dixit, meliùs eſt nubere quàm vri. Et ad Hebr. Connubium o- mnium venerandum.* Ad priorem locum ſuprà reſpon- di; Poſteriorem Fabricius corrupit: ex incorrupto pro ſacrilegis ſuis nuptiis nihil firmum eliciet. Τίμιος ὁ γάμος ἐν πᾶσι, habet Græcus textus; & rectè ver- tit vulgatus interpres. *Honorabile coniugium in omnibus,* Fabricius pro *in omnibus* ſuppoſuit *omnium*, vt aliter Apoſtolũ, quàm de quibuſuis coniugium ineun- tibus accipi non poſſe perſuaderet. Itáne verò tibi, Prædicans, omnium, etiam Patris cum filia, cum fi- lio matris, fratris cum ſorore connubium veneran- dum videtur? Nemo unquam ante te, tuoſq; ità A- poſtolũ expoſuit: iniuriam Apoſtolo facitis, vt vul- gus decipiatis. De ijs, qui iuſta lege coniungi non prohibentur, locutũ Apoſtolũ vult Theophylact⁹; Fulgentius ità interpretatur, vt omnes coniugium

Heb. 13. 4.

lib. 3. de fid. ad Petrũ c. 3.

honorent, ac nemo illud, etiam continentiã profeſſus, vituperet; Omnia, quæ in coniugio ſunt, & ſacramentum, & fidem, & prolem honorabilia cenſeri ab Apoſtolo docet Oecumenius, ità vt ſcilicet coniuges in omni re & occaſione mutuò ſe honorent, decuſq; coniugij tum in alijs omnibus, tum præſertim in fide coniugalis thori ſeruent: vnde addit Apoſtolus, *& thorus immaculatus.* Quæ quidem interpretatio inter omnes maximè germana, & contextui aptiſſima eſt; eo enim loco Apoſtolus Hebræis Præcepta charitatis, inter quæ & iſtud, coniugibus præſcribit, pœnamq; violati præcepti ilicò minatur, dicens: *fornicatores enim & adulteros iudicabit Deus.* Non ergo hîc omnibus, etiam Sacerdotibus & Monachis, vt ex corrupto textu fingit Fabricius, imperatur coniugium, ſed vt legitimi Coniuges in omnibus inter ſe honeſtè & pacificè viuant, aut omnes de ſtatu coniugij honeſtè ſentiãt ac loquantur, Apoſtolus mandat.

V. *Poſteriora vota non tollunt priora. Primum autem noſtrum uotum fuit, ſequi mandata & conſilia Dei. Inter quæ, Propter fornicationem vnuſquiſq; uxorem ſuam habeat, uotum igitur continentiæ aduerſatur mandato Dei.* Neſcit quid loquatur amentis inſtar Fabricius. Si primum noſtrum votum, in Baptiſmo ſcilicet, eſt, ſequi mandata & conſilia Dei: omnes ergo vouimus, antequam quidquam vouimus, continentiam. Hanc enim Chriſtus

ſtus & Apoſtolus apertè conſuluerunt, vti etiam ex Luthero ſuprà accepimus. Non igitur poſterius votum continentiæ, prioris eſt euerſio, ſed confirmatio. Et quando Deus mandat coniugium, qui conſulit continentiam? An mandat, quocum pugnet, quod conſulit? Scilicet Paulus verbis illis, *propter fornicationem &c.* imperat vxorem ducere, qui illo capite innuptis & viduis tantoperè ſuadet, conſulit, precatur continentiam? Gerræ Prædicanticæ. Coniugatis apertè loquitur Paulus: ità Patres cenſent, & contextus docet. Non ait Paulus. *Quiſq; uxorem ducat aut habeat*, ſed, *vnuſquiſq; vxorem ſuam*, quam nimirum antè duxerat, *habeat*, hoc eſt, retineat, nec dimittat, eaq; vitandæ incontinentiæ cauſa vtatur; ſciatq;, etſi *bonum ſit*, quod antè Apoſtolus dixerat, *homini* etiam coniugato *mulierem ſuam non tangere*, & debiti petitione abſtinere, tamen *vxori*, petenti ſcilicet, *vir debitum reddat.* Quid, quòd Paulus ibidem, cùm poſt voluntariam, ex vtriuſq; conſenſu, orationis ergò continentiam, ad thori ſocietatem breui redeundum dixiſſet, ſubdit; *hoc autem dico ſecundùm indulgentiam, non ſecundùm imperium:* & mox etiam coniugibus optat longam & perpetuam continētiam, *volo enim omnes eſſe, ſicut meipſum.* Apoſtolus ergo nec nuptis hic, nec innuptis infrà, cùm ait, *qui non ſe continent, nubant*, opus coniugij omnimodis imperat, ſed tanquam remedium incōtinentiæ facilius & mitius ijs

1. Cor. 7. 2. Tert de monog c. 11. Chryſoſt. Hō. 19. in 1. Cor. Theo. in eum locū. Hier. l. 1. cont. Iouin.

Digitized by Google

præſcribit, qui difficiliora & aſperiora refugiunt. Non ergo votũ continentiæ in incontinente, mandato Dei repugnare docet Apoſtolus, ſed incontinentem, qui ſponte libereq; corpus ſuum Deo deuouit, impellit ad Deum feruide orandum, & corpus ſeuere tractandum, vt, quod multi laudabiliter, etiam in coniugio fecerunt, promiſſam Deo continentiam fideliter ſoluat.

VI. *Tria requiruntur ad rationem uoti. Vt fiat de re bona. Secundò, ut ſciamus rem illam eſſe in poteſtate noſtra. Tertiò ut uoluntariè, maturè, & præuio multo examine. At nihil horum reperitur in uotis Monachorum.* Non iam iudico conditiones voti à Fabricio allatas. Audiamus qui probet, nihil horum in votis Religioſorum reperiri. *Non primum: quia cœlibatus res quidem bona, ſed non omnibus.* Inſane Prædicans, an primam conditionem exegiſti, vt res, quæ vouetur, omnibus ſit bona? Rem bonam eſſe voluiſti; quaſi verò, quod vnus vouet, omnibus bonum eſſe debeat: ſit illi, qui vouet, bonum, quid de cæteris curæ ei eſſe debet? Quid inquis, nõ omnibus eſſe bonum cælibatum? *Bonum eſt,* inquit Apoſtolus, *homini, mulierem non tangere. Bonũ eſt illis,* (non nuptis & viduis) *ſi ſic permaneant. Volo omnes eſſe ſicut meipſum.* Sed inquies: addit Apoſtolus, *ſed vnuſquiſq; proprium donum habet ex Deo, alius quidem ſic, alius verò ſic.* Ità eſt, nimirum cuiq; donat Deus neceſſaria ad ſtatum, quem quiſq; expetit & eligit: quia igitur ali-

qui

Digitized by Google

qui nuptias, alij perpetuam continentiam diligunt, & illis non negat Deus donum caſtimoniæ coniugalis, nec iſtis continentiæ perfectioris.

Quare & de ſecundæ conditionis defectu inептè cenſet Prædicans. *Nec ſecundum*, inquit, *norūt enim omnes, virginitatem eſſe donum, nec in noſtra poteſtate eſſe poſitam.* Conſequentia Prędicantica, hoc eſt, nulla. Eſt donū Dei, ergo nullo modo in noſtra poteſtate eſt. Dare donum ſolius Dei eſt, accipere & conſeruare, etiam noſtri arbitrij eſt. Fides donum Dei eſt, & tamen niſi quis ſponte liberéq; captiuum præbeat intellectum, nunquam credet: Continentia donum Dei eſt, ſed precibus ſerijs accipitur, & ſtrenua pugna conſeruatur. Eſt in poteſtate noſtra, ſed Dei dono roboratâ, puritatem conſeruare. Si in noſtra poteſtate nullo modo eſt, quid Apoſtolus Virginitatem & ſuadet, & conſulit? an impoſſibilia rectè conſuluntur? Nónne Apoſtolo teſte, *qui ſtatuit in corde ſuo firmus non habens neceſſitatem, ſed poteſtatem ſuæ voluntatis, ſeruare Virginem ſuam* vtiq; volentem, liberéq; conſentientē, benè facit? præclarè Auguſtinus. *Nunquid non liberum arbitrium Timothei eſt exhortatus Apoſtolus, dicens; Contine teipſum. Et in hac re poteſtatem voluntatis oſtendit, vbi ait, nō habens neceſſitatem, poteſtatem autem habens ſuæ voluntatis, vt ſeruet virginem ſuam, & tamen non omnes capiunt verbum hoc, ſed quibus datum eſt, quibus enim non eſt datum, aut nolunt, aut non implent, quod volunt; quibus autem datum eſt, ſic volunt, vt impleant,* quod

1. Cor. 7. 32.

De grat. & libero arbitrio. c. 4.

quod volunt. Itaq; vt hoc verbum, quod non ab omnibus capitur, ab aliquibus capiatur, & Dei donum eſt, & liberum arbitrium. Annon deniq; Lutherus locis à me paulò ſuprà citatis, dixit, voluntariè eligi, & meliorem eſſe caſtitatem in ijs, qui ſe cum gratia Dei poſſe continere exiſtimant. Nimirum nullis, niſi impijs & delicatis Apoſtatis, qualis Fabrcius eſt, impoſſibilis videtur continentia. At, inquiet Prædicans, multi, qui vouerunt, non ſe continent, ergo donum non habent continentiæ. Imò habent donum, ſeu gratiam ſufficientem, qua poſſint continere; etſi non habent donum, ſeu gratiam efficacem, qua re ipſa continenter viuant. Sed Fabricius pro ſui ingenij acumine non capit, vt habeant omnes donum, quo poſſint continere, non autem, quo re ipſa contineant. Quare ſimile reſponſum Bellarmini ad quoddam Auguſtini teſtimonium, per ludibrium ità exagitat; *Ferialiter, inquit, & cardealiter reſpondet Bellarminus*, nemini negari, vt continere poſſit, ſed vt aliquis verè contineat, non datur, niſi ijs, quibus Deus dandum iudicarit. *Ac ſi diceretur: Deus non negat Bellarmino Pontificatum, ſed non dat, ut ſit Pontifex.* Malitiã, an inſcitiam tuã in hoc inepto exemplo accuſem, neſcio; ſic debebas Bellarmini reſponſum ſimili exprimere, *Ac ſi dicerem, Deus non negat Bellarmino, vt poſſit fieri Pontifex, ſed non dat, vt ſit Pontifex.* Quid verò abſurdi in hoc veriſſimo dicto? quid ſimile Bellarmini

lib. 2. de Monach. c. 34.

ni

ni reſponſum tanquam feriale & cardeale ſcurriliter Fabricius ridet, ipſe ferula & carduis dignus. Notum enim & peruulgatum eſt, multis à Deo dari gratiam, quâ poſſint credere, diligere, perſeuerare, paucos illam conſequi, quâ credant, ac diligāt, & perſeuerent: multi enim vocati, pauci electi.

Quod deniq; de tertia voti conditione, vt voluntariè & maturè fiat, breuiter definit Prædicans: *Tertium etiam deeſt votis Monachorum: Experientia docet.* inane illius figmentum & inſignis calumnia eſt. Quis enim eum cordium ſcrutatorem fecit, vt experientià collegerit, incogitatè & coactè Monachos ſe Deo deuouere? Fecerint ità aliqui: non laudi, ſed vitio datur. Experientia Fabricij, niſi fortè de ſe, nulla eſt.

Lutheri licentia à Meiſnero extenuata, ex Serario caſtigatur. § *XI.*

QVid verò de noua illa, & ante Lutherum inter Chriſtianos inaudita licentia, *ſi nolit uxor, ueniat Ancilla*, cenſent Prædicantes? Fabricius nihil: Incuriáne, an volens libenſq; ad has ſordes obmutuerit, ambigo. Meiſnerus reſpondet, Lutherum *innuere, ſi uxor ſit contumax, poſſe maritum ab illa, tanquam malicioſa deſertrice ſeparari, & poſt legitimè factum diuortium Ancillam in Matrimonium ſumere, vt Ahaſuerus inobedientem Vaſthi reiecit, & pòſt famulam Eſther ſibi aſſoci-* *Tract. de Matrim.*

De vita coniug. 2. p. auit. *Eſther.* 1 & 2. Non innuit, ſed expreſſè affirmat Lutherus licere viro, ſi difficiliorem & contumaciorem in reddendo debito vxorem ſentiat, exemplo Aſſueri, ſiue Ahaſueri (vt eum oſtentator Hebræus nominat) ancillam repudiatâ vxore ducere. Quid verò Aſſueri factum Cynico huic Lutheri dicto patrocinatur? Minus minimo. Benè Serarius In 1. cap. Eſth q. 11. noſter. *Meminiſſe verò Epicureum iſtum oportebat, factum hoc Aſſueri, factum eſſe hominis Ethnici, hominis barbari. Num quidquid ſacris in libris ab impiis geſtum legitur, id continuò fas? Nabuchodonoſor ſacra templi vaſa diripuit, in iis potauit. Et hoc iſti ſtrenuè imitantur. Omnia Cyrus reſtituit, cur, quod diuinis itidem litteris conſignatũ, iſtud non placet? Num quod propter animi perturbationem ſemel factum, & in illo tali, vel ignoſci, vel quandam ſaltem partem excuſari poteſt, id tanquam legem diuinamq; voluntatem Chriſtianis pro concione omnibus concedendum ſuadendũ?* Et infrà. *Turcicos nobis mores perſuadere vult Epicurus hic. Nam illos teſtis oculatus in Aegypti vrbe Alcairo ità deſcribit Io. Leo Africanus. l. 8. de Africa. Ciues Alcairi vt plurimùm in colloquio verbis obſcœnis ac fœdis gaudent, atq; vt cætera ſilentio prætercam, non rarò euenit vxorem coràm Iudice de raris mariti congreſſibus expoſtulare, vnde perſæpe & naſci diuortia, & alijs iungi maritis (quod Mahumetano licet dogmate) videmus.* Vide, Meiſnere, & lege, ſi vis, Serarium loco à me citato contra impudicum Lutheri tui edictum pluribus diſſerentem.

Luthe-

Lutherus inuitis patronis de contemptu Virginitatis præ matrimonio conuincitur, & ex Auguſtino confutatur. §. *XII.*

AD vltimam propero Lutheri tanquam è tribunali Virginitati & Matrimonio dictam ſententiam. *Multò præſtabilius eſt Virginitate Matrimonium.* Quo velo tam impium iudicium tegunt Prædicantes? *Si Monachalem,* inquit Meiſnerus, *Virginitatem & cœlibatum intelligas, veriſsimum ſcripſit Lutherus. Eſt enim non rarò coacta, plerumq; hypocritica, grauiſsimis erroribus ſuperſtructa, & ſæpiſsimè cum vaga libidine coniuncta,* vti Lutheri ſcilicet, Bornæ, Buzeri, Oecolampadii, Fabricii Baſſecourtij, & ſimilium effœminatorum Apoſtatarum. Sit quorundam talis, qualem per opprobrium depingit Meiſnerus, caſtimonia: an ideò plurimorũ libera, ſincera, pura vituperiũ meretur, & coniugio inferior rectè cenſetur? *Nunquid,* Auguſtini verba ſunt, *propter virgines malas damnaturi ſumus, & ſanctas, & corpore & ſpiritu? aut propter iſtas laudabiles, etiã illas improbãdas laudare cogemur? Vndiq; vnus aſſumetur, & vnus relinquetur.* Et paulò antè. *Inuenis ſanctimoniales indiſciplinatas? Nũquid ideò ſanctimoniũ reprehendendũ eſt?* Cõuenit ferè cũ Meiſnero Fabricius, qui Lutherũ ait loqui tũ de ſuperba, tũ de coacta virginitate, eiq; matrimoniũ rectè anteferre. Si hęc Lutheri mẽs fuiſſet, eãq; verba litteris cõſignata exprimeret, næ vltimã hoc Prędicanticũ Patrociniũ aliquid coloris haberet, nam & In Pſal. 99.

Auguſtinus dixit, & omnes pij conſentiunt. *Melius eſt humile coniugium, quàm ſuperba Virginitas.* Sed inaniſſimum hîc quoq; Prædicantes fucum facere: Fabricium etiam illis verbis, *Mala fide id refert Ieſuita,* calumniam dicere: Lutherum de ſancta Virginitate indignè, & Iouiniano peiùs loqui docebunt verba illius prolixiùs recitata. *Nullus ſtatus coram Deo dicendus eſt melior Matrimonio. Cœlibatus quidem melior eſt in terris, quia minus habet curæ & laboris, non propter ſe, ſed quia concionibus & verbo Dei meliùs vacare poteſt, vt dicit S. Paulus. 1. Cor. 7. Verbum Dei & conciones faciunt cælibatum, qualis Chriſti & Pauli fuit, meliorem Matrimonio, in ſe verò eſt multò vilior.* Hæc eſt ergo confeſſio Lutheri, quæ Prædicāticos fucos omni ſpongia meliùs delet, Virginitatem coram Deo non meliorem, ſed imò in ſe viliorem Matrimonio: hoc coram Deo præſtantius eſſe Virginitate: hanc in terris ſolum, quâ multis ſolicitudinibus liberat, & ad officium concionum expeditos reddit, meliorem eſſe. Dixit Auguſtinus, *ſacratæ Virginitati nuptias coæquare, non hoc Chriſtiani, ſed Iouiniani eſt.* Dicamus nos. Virginitati nuptias præferre, non hoc Chriſtiani, ſed Lutheri eſt. Chriſtus dixit, *ſunt qui ſeipſos caſtrauerunt propter regnum Cœlorum:* in quæ verba, contra Lutheri impietatem iam olim præclarè Auguſtinus. *Quid veracius, quid lucidius dici poteſt? Chriſtus dicit, veritas & ſapientia Dei dicit, eos, qui pio propoſito ab vxore ducenda ſe continuerint, caſtrare ſeipſos*

Ibid.

De vita coniug. 2. parte.

De Eccleſ. dogm. c. 68.

De ſancta virgin. c. 23.

propter

Digitized by Google

propter regnum Cœlorum: & contrà humana vanitas impia temeritate contendit, eos qui hoc faciunt, præſentem tantummodò neceſſitatem moleſtiarum coniugalium deuitare, in regno Cœlorum amplius quidquam cœteris non habere. Et infrà. *Itáne tanta dementia quiſquam eſt contrarius veritati, vt Chriſto laudanti eos, qui ſeipſos caſtrauerunt, non propter hoc ſæculum, ſed propter regnum Cœlorum, Chriſtianus contradicat, affirmans hoc præſenti vitæ vtile, non futuræ.* Vanus ergo, impius, temerarius & demens Auguſtini iudicio eſt Lutherus. Quid enim? Virginitas apud Deum non modò non melior, ſed etiam vilior Matrimonio ſit, & aliquod quidem in terris commodum, nullum autem in Cœlis præmium ſingulare conſequatur? Quid ergo apud Iſaiam hæc dicit Dominus Eunuchis certè ſpiritualibus? *Dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius à filijs & filiabus, nomen ſempiternum dabo eis, quod non peribit.* En Virginibus & locum, & nomen melius, quàm coniugatis in cæleſti domo clarè Spiritus S. promiſit, quod poſt Iouinianum Lutherus impudenter & peruicaciter negauit. Quis verò iſtis contra Spritum S. diſputantibus attendat? Auguſtinum ex his Spiritus S. verbis, contra iſtos acriter differentem, ſatius eſt audire. *Nec ſanè Spiritus S. tacuit, quod contra iſtos impudentiſſimè ac dementiſſimè peruicaces apertum atq; inconcuſſum valeret, eorúmq; belluinum impetum ab ouili ſuo inexpugnabili munitione repelleret. Cùm enim dixiſſet de ſpadonibus,* Dabo eis in domo

Ibid. c. 24.

Iſa. 56.5

De ſancta Virg. c. 25.

Is. 55. v. 5.

mea, & in muro meo locum nominatum, meliorẽ multo, quàm filiorum & filiarum, *ne quis nimiùm carnalis* (ſicut Lutherus) *exiſtimaret in his verbis aliquid temporale ſperandum, continuò ſubiecit. Nomen æternum dabo eis, nec vnquam deerit; tanquam diceret. Quid tergiuerſaris* (notate Prædicãtes) *impia cæcitas? quid tergiuerſaris? quid ſerenitati veritatis, nebulas tuæ peruerſitatis offundis? Quid in tanta ſcripturarũ luce tenebras, vnde inſidieris, inquiris? Quid temporalem tantummodò vtilitatẽ promittis continentibus ſanctis?* nomen æternum dabo eis. *Quid ab omni concubitu immunes, & eo ipſo quoque, quo hinc ſeſe abſtinent, ea, quæ ſunt Domini, cogitantes, quomodo placeant Domino, ad terrenam commoditatem referre conaris?* Nomen æternum dabo eis. *Quid regnũ cœlorum, propter quod ſe ipſos caſtrauerunt ſancti ſpadones, in hac tantùm vita intelligendum eſſe contendis?* Nomen æternum dabo eis. *Et ſi fortè hoc ipſum æternum pro diuturno conaris accipere, addo, accumulo, inculco:* Nec vnquam deerit. *Quid quæris amplius? Alterum hoc nomen, quidquid illud eſt, ſpadonibus Deĩ, quod vtiq; gloriam quandam propriam, excellentemq; ſignificat, non erit commune cum multis, quamuis in eodem regno, & in eadem domo conſtitutis.* Iterum impudentiæ atque peruicaciæ notam ab Auguſtino habet Lutherus, quòd tam apertæ Spiritus ſancti promiſſioni audeat contradicere. Sed illud extremæ demùm ac ſtupendæ dementiæ eſt, patrocinium tam ſtolidi erroris petere à S. Paulo, quem prima ad Corinthios Epiſtola capite ſeptimo ſecum conſentire iactat Lutherus: quaſi verò

Paulus

Digitized by Google

Paulus à Chriſto & Iſaia poſſit diſſentire. *Mirabiliter* inquit idem Auguſtinus, *deſipiunt, qui putant, continentiæ bonum non eſſe neceſſarium propter regnum Cœlorum, ſed propter præſens ſæculum: quòd ſcilicet coniugia terrenis curis pluribus atq; arctioribus diſtenduntur, qua moleſtia Virgines & continentes carent: quaſi ob hoc tantùm melius ſit non coniugari, vt huius temporis relaxentur anguſtiæ, non quòd in futurum ſæculum aliquid proſit. Hanc vanam ſententiam ne cordis propria vanitate protuliſſe videantur, adhibent ex Apoſtolo teſtimonium, vbi ait; De Virginibus autem præceptum Domini non habeo &c. Exiſtimo itaq; hoc bonum eſſe propter præſentem neceſſitatem, quia bonum eſt homini ſic eſſe. Ecce inquiunt, vbi manifeſtat Apoſtolus hoc propter præſentem neceſſitatem bonum eſſe, non propter futuram æternitatem. Quaſi præſentis neceſſitatis rationem haberet Apoſtolus, non prouidens & conſulens in futurum, cùm omnis eius diſpenſatio, non niſi ad vitam æternam vocet. Præſens ergo eſt vitanda neceſſitas, ſed tamen, quæ aliquid bonorum impedit futurorum.* Ità ergo Auguſtinus in Iouiniano feram illius ſobolem, hoc eſt Lutheri ſtultitiam non modò grauiter ſcripturis diuinis confutauit, ſed eiuſdem etiam in Paulo ad ſuum errorem perſuadendum producto fallaciam gnauiter detexit, vt nobis nihil ſuperſit, quod addamus; nihil Prædicantibus, quo tam apertam Lutheri infamiam tegant.

1. Cor. 7. 25.

Fabri-

Fabricius turpibus corruptelis Ius Pontificium fœdat, vt Miſogamiæ calumniam ei imponat. §. XIII.

FAbricius inſuper ad ius talionis poſt breuem frigidamq; purgationem Lutherani conuitij confugit. *Non eſt*, inquit, *Lutherus hoſtis Virginitatis, vt Pontificius Ieſuita ſacro connubio*, ſacri connubij commodiùs dixiſſet, ſed non veriùs. Nego me, vllúmue Ieſuitam caſti coniugij hoſtem eſſe. Da teſtes. *En*, inquit, *teſtimonia. Canone 15. Diſt. 34. dicit Pontifex: Qui non habet vxorem, loco illius concubinam debet habere. Et Canone ſequenti. Chriſtiano non dicam plurimas, ſed nec duas ſimul habere licitum eſt, niſi vnam tantòm, aut vxorem, aut loco vxoris, ſi coniunx deeſt, concubinam. Item Canone dilectiſſimis.* *Cauſ. 12. q. 5.* *approbatur opinio Platonis, qui dixit, amicorum omnia communia, In communibus autem ſunt ſine dubio & coniuges, inquit Pontifex. Item cauſa 31. q. 5. ſecundam accipere iuxta Apoſtoli præceptum licitum eſt, ſecundùm autem veritatem fornicatio eſt.* *Cauſa 31 q. 1. Can. hac ratione.* Sunt ſanè hæc quatuor teſtimonia, non tamen Pontificiæ aut Ieſuiticæ in matrimonium iniuriæ, ſed Fabricianæ in ius Pontificium ſæuitiæ. Itáne omnem frontem, Fabrici, depoſuiſti, vt nihil niſi fumos, fucos, dolos lectori vendere decreueris? Dicitne Pontifex in Can. Is? *D. 34.* *Qui non habet vxorem, loco illius concubinam debet habere.* Non ſunt hæc verba in Canone, ſed in rubrica, ſeu titulo Canonis: Non ſunt Pontificis, ſed eius, qui rubricas fecit, verba. Canon

non ità habet. *Is, qui non habet vxorem, & pro vxore concubinam habet, à communione non repellatur: tamen vt vnius mulieris, aut vxoris, aut concubinæ ſit coniunctione contentus.* Quam tu verò, Fabrici, hoc & ſequenti Canone concubinam ſomnias? An nullo, nec publico, nec priuato Matrimonio iunctam? Erras turpiter, nec veniam mereris. Propinqua ad marginem gloſſa te potuit docere, ſi inſpexiſſes, de qua concubina vtroque Canone ſermo ſit. *Concubinam*, ait Gloſſa, *id eſt, non ſolenniter ductam, ſi tamen mutuus conſenſus interuenit: alias concubinam non licet habere.* Quis non tangat craſſum Fabricij dolum? Hic ſcilicet, quæ publicè ducta eſt, vxor; quæ clàm, concubina dicitur: vtraque tamen reipſa eſt vera coniunx. Tunc enim clandeſtina coniugia non quidem licebant, ſed tamẽ valebãt: ſecretò non licebat ducere, ſed ità ductam licebat habere. Quod verò hoc Matrimonij odium? Nullum.

Sed illud grande profectò, ſi Pontifex. Can. *Dilectiſſimis*, ità Coniuges inter omnia communes eſſe dixit, vt amicus cum amici vxore liberè amicitiæ iure conſueſcere poſſit: hæc verò Fabricij eſt accuſatio; verba enim illa, *in omnibus ſine dubio ſunt & coniuges*, tanquam coniugij legibus infeſtiſſima recitat. Calumniæ, an fraudis malitiam in Fabricio magis notem, hæreo. Audeat ſacrilegus maritus, Sanctiſſimum Pontificem Clementem Petri Apoſtoli diſcipulum & ſucceſſorem, ex cuius Epiſtola quarta hic

k Canon

Digitized by Google

Canon deſumptus eſt, tam turpi lenonis conuitio, quaſi qui honeſtas coniuges publica proſtibula ſumma maritorum iniuria fecerit, dehoneſtare? Audeat verba, quæ adiuncta gloſſa honeſtiſſimè explicat, tam inhoneſto & Cynico commento adulterare? Quid enim dicit Canon ille tractans de communi vita Clericorum ex Apoſtolicorum temporum exemplo? *Communis vita omnibus, fratres, neceſſaria eſt, & maximè his, qui Deo irreprehenſibiliter militare cupiunt, & vitam Apoſtolorum, eorumq́; diſcipulorum imitari volunt. Communis enim vſus omnium, quæ ſunt in hoc mundo, omnibus eſſe hominibus debuit, ſed per iniquitatem alius hoc dixit eſſe ſuum, & alius iſtud: & ſic inter mortales facta eſt diuiſio. Deniq; quidam Græcorum ſapientiſſimus hæc ita ſciens eſſe communia debere, ait amicorum eſſe communia omnia, in omnibus autem ſunt ſine dubio & coniuges.* Quomodo ſunt & coniuges? vt quiſq; quamcunq; amici coniugem in thori ſocietatem admittat? Apage, Cynice Prædicans, & adiunctam Gloſſam inſpice, vt malitiam tuam videas. *Et coniuges*, ait Gloſſa. *Non quoad vſum carnis, ſed quoad vſum obſequij, vel quoad dilectionem.* 31. *d. omninò.* vbi dicitur, *Omninò confitemur, non licere Epiſcopo, Presbytero, Diacono propriam vxorem religionis cauſa abijcere à cura ſua, ſed vt ei victum & veſtitum largiatur, ſed nõ vt cum illa carnaliter ex more iaceat.* Sic ergo in omnibus ſunt coniuges, vt & illæ omnibus, & omnes illis Chriſtianæ amicitiæ iure, ſanctæ dilectionis obſequia exhibeant.

Cauſa 12. q. 1. Can. Dilectiſſimis.

Sed

Digitized by Google

Sed hoc demùm inexcuſabile Pontificij aduerſùs nuptias odij indicium à Fabricio profertur, quòd Pontifex Can. hac ratione. *Secundas nuptias ſecundùm veritatem fornicationem eſſe* definiat. Mi homo, á Kemnitio deceptus, decipis. Canon ille, nec vllius Pontificis, nec S. Chryſoſtomi, cui eum collector Gratianus tribuit, ſed auctoris operis imperfecti, qui pluribus locis ſe minimè Catholicum prodidit, eſt; totidem enim verbis apud illum Hom. 32. in cap. 19. Matthæi legitur. Ergo ex huius Auctoris Acatholici verbis, etſi ſecundas nuptias ijs damnaret, Pontificem & Ieſuitas Fabricius calumnioſè Gamomaſtigas proclamat. Sed & huic Auctori iniuriam Prædicans facit, quod antecedentia & ſubſequentia verba, gloſſaq; Canoni adiecta ſatis docent. Non Auctor iſte ſecundas poſt primæ vxoris obitum, ſed alteras poſt primam repudiatam adhuc ſuperſtitem, initas nuptias fornicationem appellauit. Cū enim prolixè illic de repudio à Moſe propter duritiā cordis ad vitanda homicidia permiſſo egiſſet, obiter dixit, Apoſtolū quoq; ob hominū incontinentiā alteras nuptias conceſſiſſe, & eas ſecundū Apoſtoli præceptū eſſe: reuerſus verò illicò ad propriā eius loci materiā, Moſaicū ſcilicet repudiū, nuptias illas poſt repudiū, *ſecundū mentis rationē uerè fornicationē eſſe* pronunciauit, quod inſequētia verba clarè indicant, *ſed cū permittēte Deo publice & licēter*

k 2 (nullo

(nullo externæ pœnæ metu) *committitur, fit honeſta* (in foro externo) *fornicatio: propterea benè dixit Chriſtus in Euangelio, quia Moſes hoc permiſit, & non præcepit.* Et iſtud confirmat gloſſæ interpretatio: *Fornicatio) cum ea, quam permiſit Moſes propter repudiatam aſſumi. cauſa 33. q. 2. ſi quod verius.* Vbi ſcilicet dicitur, alteram ducere, dimiſſa adultera viuente, ſecundùm Chriſti legem illicitum & nefarium eſſe.

Hiſce Iuris Canonici corruptelis necdum contentus Fabricij furor, demùm etiam in Pontificem Innocentium, tanquam Matrimonij oſorem pluribus mendacijs ſæuit. *Innocentius Papa*, inquit Fabricius, *fert legem in eis, quibus Dominus dixit, ſancti eſtote, quia ego ſanctus, quòd conſortium cum vxore non debeant habere. At omnibus hoc dixit Dominus, ergo omnes impuri, qui vxores ducunt.* Audiamus verba Innocentij, & de fide Fabricij iu-
Diſt. 72. Can. propoſuiſti. dicemus. *Eſt vetus admodùm,* ait Innocentius, *ſacræ legis auctoritas, iam inde ab initio cuſtodita; quòd in templo anno vicis ſuæ habitare præcepti ſunt ſacerdotes, vt ſeruientes ſacris oblationibus puros & ab omni labe purgatos ſibi vendicent diuina miniſteria. Neq; eos ad ſacra officia fas ſit admitti, qui exercent etiam cum vxore carnale conſortium, quia ſcriptum eſt, ſancti eſtote, quoniam ego ſanctus ſum, dicit Dominus Deus noſter: quibus vtique propter ſobolis ſucceſſionem vxoris vſus propterea fuerit relaxatus, quia ex aliena tribu ad Sacerdotium nullus fuerat auſus accedere* Quis non videt his verbis Pontificem de Aaro-
1. Paral. 25. 19. nicis Sacerdotibus, quibus diuina lege imperatum

erat

erat, tēpore vicis ſuæ in templo Domini habitare, & vxorū conſortio carere, tantùm loqui? annè verò tantis temporum interuallis poſterior Iudaico Sacerdotio Innocentius, legē Sacerdotibus illis aliquā tulit? an ait, omnibus, quibus dixit Dominus, *ſancti eſtote, quoniam ego ſanctus ſum,* vetitum vxorum conſortium eſſe? annon exertè Sacerdotibus illis vxorum vſum permiſſum aliàs: cùm verò miniſtrarent Domino, tantùm prohibitum fuiſſe pronunciat? Nec malè Sacerdotum in templo quondam miniſtrantium continentiæ accomodat Pontifex illā Domini toti populo per Moſen, poſt narratas legales munditias, denunciatam vocem: *ſancti eſtote, quoniam ego ſanctus ſum.* Nam & hanc munditiam peculiarem Sacerdotibus rem diuinam curantibus lex impoſuit. Quid tritius in ſacris, quàm abſtinentiam rei vxoriæ, munditiam & ſanctitatem nominari? Iubet Dominus legem daturus à Moſe populum triduo ſanctificari, & non appropinquare vxoribus ſuis. Achimelech Sacerdos panem ſanctum Dauidi roganti daturus, ex eo quæſuit, *mundine eſſent pueri, maximè à mulieribus,* & Dauid reſpondit, à triduo *vaſa puerorum eſſe ſancta.* Mera igitur Fabricij figmenta ſunt, vt honeſtiſſimè appellem, Innocentium hîc ferre eis, ſeu, vt eleganter Fabricius loquitur, *in eis* legem, quibus Dominus dixit. Sancti eſtote &c.; ex illis omne vxorum conſortium damna-

Exod. 19 v. 10. 14 15.
1. *Reg.* 21 v. 4. 5.

Digitized by Google

re, impuros omnes. qui ducunt vxores; iudicare. Agit Pontifex de ſolis Iudaicis ſacerdotibus, ex quorum temporaria in miniſterio continentia, argumentum deſumit probabile, ad perpetuam Euangelicorum Sacerdotum continentiam confirmandam. Sic enim pergit. *Quo magis ipſi Sacerdotes vel leuitæ pudicitiam ex die ordinationis ſuæ ſeruare debent, quibus & Sacerdotium vel miniſterium ſine ſucceſſione eſt, & nec præterit dies, quo vel à ſacrificiis diuinis, vel baptiſmatis officio vacent.* Sed & Fabricius de Innocẽtio ſic queri pergit. *Adfert in odiũ Matrimonij locum Pauli, omnia munda mundis, ſed nihil mundum immundis Similiter detorquet contra Matrimonium locum Pauli Rom. 8. v. 8. 9.* Qui ſunt in carne, Deo placere non poſſunt. At vos, *alloquitur innuptos*, non eſtis in carne, ſed in ſpiritu. *Quid reſtat ex doctrina Pontificiorum, niſi matrimonium eſſe crimen, aduerſariq; ſanctitati, caſtitati?* Imò quid reſtat ex his Fabricij verbis, niſi mera criminatio. Pergamus audire Innocentium, & nocentem deprehendere Fabricium: *Nam ſi Paulus ad Corinthios ſcribit, dicens, Abſtinete vos ad tempus, vt expeditius vacetis orationi. & hoc vtiq; laicis præcepit, multò magis igitur ſacerdotes, quibus & ſacrificandi, & orandi iuge officium eſt, ſemper debebunt ab huiuſmodi conſortio abſtinere. Quia ſi contaminatus fuerit carnali concupiſcentia, quo merito ſe poſſe exaudiri credit, cùm dictum ſit, omnia munda mundis, coinquinatis autem & infidelibus nihil eſt mundum: ſed coinquinata eſt eorum mens & conſcientia. Sed fortaßè hoc ſibi licere credit, quia ſcriptum eſt; vnius vxoris virũ,*

non

Digitized by Google

non dixit hoc, vt permaneat in concupiſcentia generandi, ſed propter incontinentiam futuram, quod apertiùs declarauit, dicens. Qui autem ſunt in carne, Deo placere non poſſunt, vos autem iam non eſtis in carne, ſed in Spiritu. Quid hic in odium Matrimonij ex Paulo affert, aut torquet Innocentius? Rectè ex Pauli ad Corinthios teſtimonio (quod ex Sanctis Patribus Hieronymus quoq; & Epiphanius fecerunt) Sacerdotibus perpetuam coniugalis operis abſtinentiam imperatam colligit. Hinc illa duo Apoſtoli dicta, *Nihil mundum immundis*, &, *qui in carne ſunt, Deo placere non poſſunt*, non in odium Matrimonij, ſed contra Sacerdotum, qui Apoſtolici Præcepti immemores, liberis, & contaminata mente orationi vacant, incontinentiam profert. An in odium Matrimonij eſt, quòd Paulus iubet Coniuges aliquandiu orationis ergò non conuenire? Cur ergo Matrimonio detrahat, Sacerdotibus, quorum tota vita in ſacris occupationibus verſatur, continua imperata continentia? Bonum eſt Matrimonium, ſed non omnibus: illis, quos totos in ijs, quæ Dei ſunt, eſſe oportet, melior eſt continentia, quæ Paulo teſte, *facultatem præbet ſine impedimento Dominum obſecrandi*, Nam, *qui ſine vxore eſt, ſollicitus eſt, quæ Domini ſunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum vxore eſt, ſollicitus eſt, quæ ſunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuiſus eſt.* 1. Cor. 7.

Con-

Conuitia in Nicolaum Papam, Diuos Cœlites, Beſſæum concionatorem, â Fabricio impudenter in Epilogo iacta, ex SS. præſertim Patribus refelluntur. §. *XIV.*

SEd iam lapſâ clepſydrâ, & ſpiritu tam longis logis penè intercluſo, tandem perorant mali Patroni, breuiter Lutheranus, prolixiùs Caluinianus. *Hæc*, inquit Meiſnerus, *illa infamia ac informia errorum monſtra fuerunt, quæ nobis occentare Ieſuita voluit, pro quibus ſexcenta poſſemus reponere, ſi inſtituti noſtri ratio pateretur.* Sexcenta nimirum, & plura etiam conuitia, qualia ſat magno numero in huius primi fundamenti confutatione, ſeu Auguſtanæ Confeſſionis, eiuſq; procerum inaniſſima defenſione effudit, reponere poſſet Meiſnerus. Fabricius verò, ne in hoc genere nihil poſſe, aut hucuſq; minus præſtitiſſe videatur: *Infinita illa doctrinæ Catholicorum portenta ſe omittere*, ait; aliqua tamen ex iis promit, quibus paucis, ſi infinita alia paria ſunt, rectè illa profectò omiſit, ne conuitiorum congerie chartas oppleret. Videamus ergo pauca non noſtrę doctrinæ portenta, ſed Fabricianæ malitiæ probra, quibus Lutheranorum portentorum defenſionem, ne Epilogus ab oratione diſſentiat, concludit. *Quomodo ferre poſſunt aures veſtræ*, inquit Catholicis Fabricius, *Boatus illos infernales: Corpus Chriſti frangitur manibus, conteritur*

denti-

dentibus, *vt Nicolaus Papa præſcripſit credendum, & publicè docendum Berengario. Verè eſt Hyperbolè, ſed plena etiam ſarcaſmo.* Nulla hîc Hyperbole, nulli boatus infernales, niſi Stygij Prædicantis. Quod verè proprieq; ſpeciebus panis conuenit, per metonymiam corpori Chriſti illis contento tribuitur. Dicitur corpus Chriſti videri, tangi, teri, frangi, non proximè, ſed remotè, non in ſe, ſed in ſpeciebus, quibus hæc ſecundùm ſe competunt. Indicatur Chriſti corpus non tantùm in ſpeciebus, vt in Symbolo, ſed verè ac reipſa, non tantùm in integris, ſed etiam in fractis, attritis, ſumptis adeſſe. Potuiſſes hũc dicti ſenſum, niſi calumniari volupe tibi fuiſſet, ex inſpecta Gloſſa in Berengarij Confeſſionem diſcere. *Frangi*, ait illa, *id eſt, non tantùm pondus, & reliquas ſacramenti qualitates ſenſibus corporeis percipi fateor, ſed etiam ſub illis ſpeciebus fractis, & attritis partibus, totum & integrum Chriſti corpus eſſe confiteor, totum manducari, totum ſumi.* Et poſt hæc in vocem *Dentibus* ità commentatur. *Niſi ſanè intelligas verba Berengarij, in maiorem incides hæreſim, quàm ipſe habuit: & ideò omnia referas ad ſpecies ipſas. Nam de Chriſti corpore partes non facimus.* Nempe, vt Eccleſia in ſacro cantico profitetur, *Aſumente non conciſus, non confractus, non diuiſus, integer accipitur. Nulla rei fit ſciſſura, ſigni tantum fit fractura, qua nec ſtatus, nec ſtatura ſignati minuitur.* Mera ergo hæc Fabricij calumnia eſt, quæ non ſolùm Nicolaum ſecundum Pontificem, ſed etiam ex

De Conſecr. d. 2. Ego Berengar.

In ſeqq. Lauda ſion.

Digitized by Google

mea, & in muro meo locum nominatum, meliorẽ multo, quàm filiorum & filiarum, *ne quis nimiùm carnalis* (ſicut Lutherus) *exiſtimaret in his verbis aliquid temporale ſperandum, continuò ſubiecit. Nomen æternum dabo eis, nec vnquam deerit; tanquam diceret. Quid tergiuerſaris* (notate Prædicãtes) *impia cæcitas? quid tergiuerſaris? quid ſerenitati veritatis, nebulas tuæ peruerſitatis offundis? Quid in tantâ ſcripturarũ luce tenebras, vnde inſidieris, inquiris? Quid temporalem tantummodò vtilitatẽ promittis continentibus ſanctis?* nomen æternum dabo eis. *Quid ab omni concubitu immunes, & eo ipſo quoque, quo hinc ſeſe abſtinent, ea, quæ ſunt Domini, cogitantes, quomodo placeant Domino, ad terrenam commoditatem referre conaris?* Nomen æternum dabo eis. *Quid regnũ cœlorum, propter quod ſe ipſos caſtrauerunt ſancti ſpadones, in hac tantùm vita intelligendum eſſe contendis?* Nomen æternum dabo eis. *Et ſi forte hoc ipſum æternum pro diuturno conaris accipere, addo, accumulo, inculco:* Nec vnquam deerit. *Quid quæris amplius? Alterum hoc nomen, quidquid illud eſt, ſpadonibus Dei, quod vtiq; gloriam quandam propriam, excellentemq; ſignificat, non erit commune cum multis, quamuis in eodem regno, & in eadem domo conſtitutis.* Iterum impudentiæ atque peruicaciæ notam ab Auguſtino habet Lutherus, quòd tam apertæ Spiritus ſancti promiſſioni audeat contradicere. Sed illud extremæ demùm ac ſtupendæ dementiæ eſt, patrocinium tam ſtolidi erroris petere à S. Paulo, quem prima ad Corinthios Epiſtola capite ſeptimo ſecum conſentire iactat Lutherus: quaſi verò Paulus

Paulus à Chriſto & Iſaia poſſit diſſentire. *Mirabiliter* inquit idem Auguſtinus, *deſipiunt, qui putant, continentiæ bonum non eſſe neceſſarium propter regnum Cœlorum, ſed propter præſens ſæculum: quòd ſcilicet coniugia terrenis curis pluribus atq; arctioribus diſtenduntur, qua moleſtia Virgines & continentes carent: quaſi ob hoc tantùm melius ſit non coniugari, vt huius temporis relaxentur anguſtiæ, non quòd in futurum ſæculum aliquid proſit. Hanc vanam ſententiam ne cordis propria vanitate protuliſſe videantur, adhibent ex Apoſtolo teſtimonium, vbi ait; De Virginibus autem præceptum Domini non habeo &c. Exiſtimo itaq; hoc bonum eſſe propter præſentem neceſſitatem, quia bonum eſt homini ſic eſſe. Ecce inquiunt, vbi manifeſtat Apoſtolus hoc propter præſentem neceſſitatem bonum eſſe, non propter futuram æternitatem. Quaſi præſentis neceſſitatis rationem haberet Apoſtolus, non prouidens & conſulens in futurum, cùm omnis eius diſpenſatio, non niſi ad vitam æternam vocet. Præſens ergo eſt vitanda neceſſitas, ſed tamen, quæ aliquid bonorum impedit futurorum.* Ità ergo Auguſtinus in Iouiniano feram illius ſobolem, hoc eſt Lutheri ſtultitiam non modò grauiter ſcripturis diuinis confutauit, ſed eiuſdem etiam in Paulo ad ſuum errorem perſuadendum producto fallaciam gnauiter detexit, vt nobis nihil ſuperſit, quod addamus; nihil Prædicantibus, quo tam apertam Lutheri infamiam tegant.

1. Cor. 7. 25.

Fabri-

Fabricius turpibus corruptelis Ius Pontificium fœdat, vt Miſogamiæ calumniam ei imponat. §. XIII.

FAbricius inſuper ad ius talionis poſt breuem frigidamq; purgationem Lutherani conuitij confugit. *Non eſt*, inquit, *Lutherus hoſtis Virginitatis, vt Pontificius Ieſuita ſacro connubio*, ſacri connubij commodiùs dixiſſet, ſed non veriùs. Nego me, vllúmue Ieſuitam caſti coniugij hoſtem eſſe. Da teſtes. *En*, inquit, *teſtimonia. Canone 15. Diſt. 34. dicit Pontifex: Qui non habet vxorem, loco illius concubinam debet habere. Et Canone ſequenti. Chriſtiano non dicam plurimas, ſed nec duas ſimul habere licitum eſt, niſi vnam tantòm, aut vxorem, aut loco vxoris, ſi coniunx deeſt, concubinam. Item Canone dilectiſſimis.* Cauſ. 12. q. 5. *approbatur opinio Platonis, qui dixit, amicorum omnia communia, In communibus autem ſunt ſine dubio & coniuges, inquit Pontifex. Item cauſa 31. q. 5. ſecundam accipere iuxta Apoſtoli præceptum licitum eſt, ſecundùm autem veritatem fornicatio eſt.* Cauſa 31 q. 1. Can. hac ratione. Sunt ſanè hæc quatuor teſtimonia, non tamen Pontificiæ aut Ieſuiticæ in matrimonium iniuriæ, ſed Fabricianæ in ius Pontificium ſæuitiæ. Itáne omnem frontem, Fabrici, depoſuiſti, vt nihil niſi fumos, fucos, dolos lectori vendere decreueris? Dicítne Pontifex in Can. Is? D. 34. *Qui non habet vxorem, loco illius concubinam debet habere.* Non ſunt hæc verba in Canone, ſed in rubrica, ſeu titulo Canonis: Non ſunt Pontificis, ſed eius, qui rubricas fecit, verba. Canon

non ità habet. *Is, qui non habet vxorem, & pro vxore concubinam habet, à communione non repellatur: tamen vt vnius mulieris, aut vxoris, aut concubinæ ſit coniunctione contentus.* Quam tu verò, Fabrici, hoc & ſequenti Canone concubinam ſomnias? An nullo, nec publico, nec priuato Matrimonio iunctam? Erras turpiter, nec veniam mereris. Propinqua ad marginem gloſſa te potuit docere, ſi inſpexiſſes, de qua concubina vtroque Canone ſermo ſit. *Concubinam*, ait Gloſſa, *id eſt, non ſolenniter ductam, ſi tamen mutuus conſenſus interuenit: aliàs concubinam non licet habere.* Quis non tangat craſſum Fabricij dolum? Hîc ſcilicet, quæ publicè ducta eſt, vxor; quæ clàm, concubina dicitur: vtraque tamen reipſa eſt vera coniunx. Tunc enim clandeſtina coniugia non quidem licebant, ſed tamẽ valebãt: ſecretò non licebat ducere, ſed ità ductam licebat habere. Quod verò hoc Matrimonij odium? Nullum.

Sed illud grande profectò, ſi Pontifex. Can. *Dilectiſſimis*, ità Coniuges inter omnia communes eſſe dixit, vt amicus cum amici vxore liberè amicitiæ iure conſueſcere poſſit: hæc verò Fabricij eſt accuſatio; verba enim illa, *in omnibus ſine dubio ſunt & coniuges*, tanquam coniugij legibus infeſtiſſima recitat. Calumniæ, an fraudis malitiam in Fabricio magis notem, hæreo. Audeat ſacrilegus maritus, Sanctiſſimum Pontificem Clementem Petri Apoſtoli diſcipulum & ſucceſſorem, ex cuius Epiſtola quarta hic

k Canon

Digitized by Google

Canon deſumptus eſt, tam turpi lenonis conuitio, quaſi qui honeſtas coniuges publica proſtibula ſumma maritorum iniuria fecerit, dehoneſtare? Audeat verba, quæ adiuncta gloſſa honeſtiſſimè explicat, tam inhoneſto & Cynico commento adulterare? Quid enim dicit Canon ille tractans de communi vita Clericorum ex Apoſtolicorum temporum exemplo? *Communis vita omnibus, fratres, neceſſaria eſt, & maximè his, qui Deo irreprehenſibiliter militare cupiunt, & vitam Apoſtolorum, eorumq́; diſcipulorum imitari volunt. Communis enim vſus omnium, quæ ſunt in hoc mundo, omnibus eſſe hominibus debuit, ſed per iniquitatem alius hoc dixit eſſe ſuum, & alius iſtud: & ſic inter mortales facta eſt diuiſio. Deniq; quidam Græcorum ſapientiſſimus hæc ità ſciens eſſe communia debere, ait amicorum eſſe communia omnia, in omnibus autem ſunt ſine dubio & coniuges.* Quomodo ſunt & coniuges? vt quiſq; quamcunq; amici coniugem in thori ſocietatem admittat? Apage, Cynice Prædicans, & adiunctam Gloſſam inſpice, vt malitiam tuam videas. *Et coniuges*, ait Gloſſa. *Non quoad vſum carnis, ſed quoad vſum obſequij, vel quoad dilectionem.* 31. *d. omninò.* vbi dicitur, *Omninò confitemur, non licere Epiſcopo, Presbytero, Diacono propriam vxorem religionis cauſa abijcere à cura ſua, ſed vt ei victum & veſtitum largiatur, ſed nõ vt cum illa carnaliter ex more iaceat.* Sic ergo in omnibus ſunt coniuges, vt & illæ omnibus, & omnes illis Chriſtianæ amicitiæ iure, ſanctæ dilectionis obſequia exhibeant.

Cauſa 12. q. 1. Can. Dilectiſſimis.

Sed

Digitized by Google

Sed hoc demùm inexcuſabile Pontificij aduerſùs nuptias odij indicium à Fabricio profertur, quòd Pontifex Can: hac ratione. *Secundas nuptias ſecundùm veritatem fornicationem eſſe* definiat. Mi homo, á Kemnitio deceptus, decipis. Canon ille, nec vllius Pontificis, nec S. Chryſoſtomi, cui eum collector Gratianus tribuit, ſed auctoris operis imperfecti, qui pluribus locis ſe minimè Catholicum prodidit, eſt; totidem enim verbis apud illum Hom. 32. in cap. 19. Matthæi legitur. Ergo ex huius Auctoris Acatholici verbis, etſi ſecundas nuptias ijs damnaret, Pontificem & Ieſuitas Fabricius calumnioſè Gamomaſtigas proclamat. Sed & huic Auctori iniuriam Prædicans facit, quod antecedentia & ſubſequentia verba, gloſſaq; Canoni adiecta ſatis docent. Non Auctor iſte ſecundas poſt primæ vxoris obitum, ſed alteras poſt primam repudiatam adhuc ſuperſtitem, initas nuptias fornicationem appellauit. Cū enim prolixè illic de repudio à Moſe propter duritiā cordis ad vitanda homicidia permiſſo egiſſet, obiter dixit, Apoſtolū quoq; ob hominū incontinentiā alteras nuptias conceſſiſſe, & eas ſecundū Apoſtoli præceptū eſſe: reuerſus verò illicò ad propriā eius loci materiā, Moſaicū ſcilicet repudiū, nuptias illas poſt repudiū, *ſecundū mentis rationē uerè fornicationē eſſe* pronunciauit, quod inſequētia verba clarè indicant, *ſed cū permittēte Deo publice & licēter*

k 2 (nullo

(nullo externæ pœnæ metu) *committitur, fit honeſta* (in foro externo) *fornicatio: propterea benè dixit Chriſtus in Euangelio, quia Moſes hoc permiſit, & non præcepit.* Et iſtud confirmat gloſſæ interpretatio: *Fornicatio) cum ea, quam permiſit Moſes propter repudiatam aſſumi. cauſa* 33. *q.* 2. *ſi quod verius.* Vbi ſcilicet dicitur, alteram ducere, dimiſſa adultera viuente, ſecundùm Chriſti legem illicitum & nefarium eſſe.

Hiſce Iuris Canonici corruptelis necdum contentus Fabricij furor, demùm etiam in Pontificem Innocentium, tanquam Matrimonij oſôrem pluribus mendacijs ſæuit. *Innocentius Papa*, inquit Fabricius, *fert legem in eis, quibus Dominus dixit, ſancti eſtote, quia ego ſanctus, quòd conſortium cum vxore non debeant habere. At omnibus hoc dixit Dominus, ergo omnes impuri, qui vxores ducunt.* Audiamus verba Innocentij, & de fide Fabricij iudicemus. *Eſt vetus admodùm,* ait Innocentius, *ſacræ legis auctoritas, iam inde ab initio cuſtodita; quòd in templo anno vicis ſuæ habitare præcepti ſunt ſacerdotes, vt ſeruientes ſacris oblationibus puros & ab omni labe purgatos ſibi vendicent diuina miniſteria. Neq; eos ad ſacra officia fas ſit admitti, qui exercent etiam cum vxore carnale conſortium, quia ſcriptum eſt, ſancti eſtote, quoniam ego ſanctus ſum, dicit Dominus Deus noſter: quibus vtique propter ſobolis ſucceſsionem vxoris vſus propterea fuerit relaxatus, quia ex aliena tribu ad Sacerdotium nullus fuerat auſus accedere* Quis non videt his verbis Pontificem de Aaronicis Sacerdotibus, quibus diuina lege imperatum erat

Diſt. 72. *Can. propoſuiſti.*

1. *Paral.* 25. 19.

erat, tẽpore vicis ſuæ in templo Domini habitare, & vxorũ conſortio carere, tantùm loqui? annè verò tantis temporum interuallis poſterior Iudaico Sacerdotio Innocentius, legẽ Sacerdotibus illis aliquã tulit? an ait, omnibus, quibus dixit Dominus, *ſancti eſtote, quoniam ego ſanctus ſum*, vetitum vxorum conſortium eſſe? annon exertè Sacerdotibus illis vxorum vſum permiſſum aliàs: cùm verò miniſtrarent Domino, tantùm prohibitum fuiſſe pronunciat? Nec malè Sacerdotum in templo quondam miniſtrantium continentiæ accomodat Pontifex illã Domini toti populo per Moſen, poſt narratas legales munditias, denunciatam vocem: *ſancti eſtote, quoniam ego ſanctus ſum*. Nam & hanc munditiam peculiarem Sacerdotibus rem diuinam curantibus lex impoſuit. Quid tritius in ſacris, quàm abſtinentiam rei vxoriæ, munditiam & ſanctitatem nominari? Iubet Dominus legem daturus à Moſe populum triduo ſanctificari, & non appropinquare vxoribus ſuis. Achimelech Sacerdos panem ſanctum Dauidi roganti daturus, ex eo quæſuit, *mundine eſſent pueri, maximè à mulieribus*, & Dauid reſpondit, à triduo *vaſa puerorum eſſe ſancta*. Mera igitur Fabricij figmenta ſunt, vt honeſtiſſimè appellem, Innocentium hîc ferre eis, ſeu, vt eleganter Fabricius loquitur, *in eis* legem, quibus Dominus dixit. Sancti eſtote &c.; ex illis omne vxorum conſortium damna-

Exod. 19 v. 10. 14 15.
1. *Reg.* 21 v. 4. 5.

re, impuros omnes, qui ducunt vxores, iudicare. Agit Pontifex de ſolis Iudaicis ſacerdotibus, ex quorum temporaria in miniſterio continentia, argumentum deſumit probabile, ad perpetuam Euangelicorum Sacerdotum continentiam confirmandam. Sic enim pergit. *Quo magis ipſi Sacerdotes vel leuitæ pudicitiam ex die ordinationis ſuæ ſeruare debent, quibus & Sacerdotium vel miniſterium ſine ſucceſſione eſt, & nec præterit dies, quo vel à ſacrificiis diuinis, vel baptiſmatis officio vacent.* Sed & Fabricius de Innocẽtio ſic queri pergit. *Adfert in odiũ Matrimonij locum Pauli, omnia munda mundis, ſed nihil mundum immundis Similiter detorquet contra Matrimonium locum Pauli Rom. 8. v. 8. 9.* Qui ſunt in carne, Deo placere non poſſunt. At vos, *alloquitur innuptos*, non eſtis in carne, ſed in ſpiritu. *Quid reſtat ex doctrina Pontificiorum, niſi matrimonium eſſe crimen, aduerſariq; ſanctitati, caſtitati?* Imò quid reſtat ex his Fabricij verbis, niſi mera criminatio. Pergamus audire Innocentium, & nocentem deprehendere Fabricium: *Nam ſi Paulus ad Corinthios ſcribit, dicens, Abſtinete vos ad tempus, vt expeditiùs vacetis orationi. & hoc vtiq; laicis præcepit, multò magis igitur ſacerdotes, quibus & ſacrificandi, & orandi iuge officium eſt, ſemper debebunt ab huiuſmodi conſortio abſtinere. Quia ſi contaminatus fuerit carnali concupiſcentia, quo merito ſe poſſe exaudiri credit, cùm dictum ſit, omnia munda mundis, coinquinatis autem & infidelibus nihil eſt mundum: ſed coinquinata eſt eorum mens & conſcientia. Sed fortaſſè hoc ſibi licere credit, quia ſcriptum eſt, vnius vxoris virũ,*

non

Digitized by Google

non dixit hoc, vt permaneat in concupiſcentia generandi, ſed propter incontinentiam futuram, quod apertiùs declarauit, dicens. Qui autem ſunt in carne, Deo placere non poſſunt, vos autem iam non eſtis in carne, ſed in Spiritu. Quid hic in odium Matrimonij ex Paulo affert, aut torquet Innocentius? Rectè ex Pauli ad Corinthios teſtimonio (quod ex Sanctis Patribus Hieronymus quoq; & Epiphanius fecerunt) Sacerdotibus perpetuam coniugalis operis abſtinentiam imperatam colligit. Hinc illa duo Apoſtoli dicta, *Nihil mundum immundis, &, qui in carne ſunt, Deo placere non poſſunt*, non in odium Matrimonij, ſed contra Sacerdotum, qui Apoſtolici Præcepti immemores, liberis, & contaminata mente orationi vacant, incontinentiam profert. An in odium Matrimonij eſt, quòd Paulus iubet Coniuges aliquandiu orationis ergò non conuenire? Cur ergo Matrimonio detrahat, Sacerdotibus, quorum tota vita in ſacris occupationibus verſatur, continua imperata continentia? Bonum eſt Matrimonium, ſed non omnibus: illis, quos totos in ijs, quæ Dei ſunt, eſſe oportet, melior eſt continentia, quæ Paulo teſte, *facultatem præbet ſine impedimento Dominum obſecrandi*, Nam, *qui ſine vxore eſt, ſollicitus eſt, quæ Domini ſunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum vxore eſt, ſollicitus eſt, quæ ſunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuiſus eſt.* 1. Cor. 7.

Con-

Conuitia in Nicolaum Papam, Diuos Cœlites, Beſſæum concionatorem, â Fabricio impudenter in Epilogo iacta, ex SS. præſertim Patribus refelluntur. §. *XIV.*

SEd iam lapſâ clepſydrà, & ſpiritu tam longis logis penè concluſò, tandem perorant mali Patroni, breuiter Lutheranus, prolixiùs Caluinianus. *Hæc*, inquit Meiſnerus, *illa infamia ac informia errorum monſtra fuerunt, quæ nobis occentare Ieſuita voluit, pro quibus ſexcenta poſſemus reponere, ſi inſtituti noſtri ratio pateretur.* Sexcenta nimirum, & plura etiam conuitia, qualia ſat magno numero in huius primi fundamenti confutatione, ſeu Auguſtanæ Confeſſionis, eiuſq; procerum inaniſſima defenſione effudit, reponere poſſet Meiſnerus. Fabricius verò, ne in hoc genere nihil poſſe, aut hucuſq; minus præſtitiſſe videatur: *Infinita illa doctrinæ Catholicorum portenta ſe omittere*, ait; aliqua tamen ex iis promit, quibus paucis, ſi infinita alia paria ſunt, rectè illa profectò omiſit, ne conuitiorum congerie chartas oppleret. Videamus ergo pauca non noſtrę doctrinæ portenta, ſed Fabricianæ malitiæ probra, quibus Lutheranorum portentorum defenſionem, ne Epilogus ab oratione diſſentiat, concludit. *Quomodo ferre poſſunt aures veſtræ*, inquit Catholicis Fabricius, *Boatus illos infernales: Corpus Chriſti frangitur manibus, conteritur*

denti-

dentibus, vt Nicolaus Papa præſcripſit credendum, & publicè docendum Berengario. Verè eſt Hyperbolè, ſed plena etiam ſarcaſmo. Nulla hîc Hyperbole, nulli boatus infernales, niſi Stygij Prædicantis. Quod verè proprieq; ſpeciebus panis conuenit, per metonymiam corpori Chriſti illis contento tribuitur. Dicitur corpus Chriſti videri, tangi, teri, frangi, non proximè, ſed remotè, non in ſe, ſed in ſpeciebus, quibus hæc ſecundùm ſe competunt. Indicatur Chriſti corpus non tantùm in ſpeciebus, vt in Symbolo, ſed verè ac reipſa, non tantùm in integris, ſed etiam in fractis, attritis, ſumptis adeſſe. Potuiſſes hūc dicti ſenſum, niſi calumniari volupe tibi fuiſſet, ex inſpecta Gloſſa in Berengarij Confeſſionem diſcere. *Frangi*, ait illa, *id eſt, non tantùm pondus, & reliquas ſacramenti qualitates ſenſibus corporeis percipi fateor, ſed etiam ſub illis ſpeciebus fractis, & attritis partibus, totum & integrum Chriſti corpus eſſe confiteor, totum manducari, totum ſumi.* Et poſt hæc in vocem *Dentibus* ità commentatur. *Niſi ſanè intelligas verba Berengarij, in maiorem incides hæreſim, quàm ipſe habuit: & ideò omnia referas ad ſpecies ipſas. Nam de Chriſti corpore partes non facimus.* Nempe, vt Eccleſia in ſacro cantico profitetur, *A ſumente non conciſus, non confractus, non diuiſus, integer accipitur. Nulla rei fit ſciſſura, ſigni tantum fit fractura, qua nec ſtatus, nec ſtatura ſignati minuitur.* Mera ergo hæc Fabricij calumnia eſt, quæ non ſolùm Nicolaum ſecundum Pontificem, ſed etiam ex

De Conſecr. d. 2. Ego Berengar.

In ſeqq. Lauda ſion.

mea, & in muro meo locum nominatum, meliorẽ multo, quàm filiorum & filiarum, *ne quis nimiùm carnalis* (ſicut Lutherus) *exiſtimaret in his verbis aliquid temporale ſperandum, continuò ſubiecit. Nomen æternum dabo eis, nec vnquam deerit; tanquam diceret. Quid tergiuerſaris* (notate Prædicãtes) *impia cæcitas? quid tergiuerſaris? quid ſerenitati veritatis, nebulas tuæ peruerſitatis offundis? Quid in tanta ſcripturarũ luce tenebras, vnde inſidieris, inquiris? Quid temporalem tantummodò vtilitatẽ promittis continentibus ſanctis?* nomen æternum dabo eis. *Quid ab omni concubitu immunes, & eo ipſo quoque, quo hinc ſeſe abſtinent, ea, quæ ſunt Domini, cogitantes, quomodo placeant Domino, ad terrenam commoditatem referre conaris?* Nomen æternum dabo eis. *Quid regnũ cœlorum, propter quod ſe ipſos caſtrauerunt ſancti ſpadones, in hac tantùm vita intelligendum eſſe contendis?* Nomen æternum dabo eis. *Et ſi fortè hoc ipſum æternum pro diuturno conaris accipere, addo, accumulo, inculco:* Nec vnquam deerit. *Quid quæris amplius? Alterum hoc nomen, quidquid illud eſt, ſpadonibus Dei, quod vtiq; gloriam quandam propriam, excellentemq; ſignificat, non erit commune cum multis, quamuis in eodem regno, & in eadem domo conſtitutis* Iterum impudentiæ atque peruicaciæ notam ab Auguſtino habet Lutherus, quòd tam apertæ Spiritus ſancti promiſſioni audeat contradicere. Sed illud extremæ demùm ac ſtupendæ dementiæ eſt, patrocinium tam ſtolidi erroris petere à S. Paulo, quem prima ad Corinthios Epiſtola capite ſeptimo ſecum conſentire iactat Lutherus: quaſi verò

Paulus

Paulus à Chriſto & Iſaia poſſit diſſentire. *Mirabiliter* inquit idem Auguſtinus, *deſipiunt, qui putant, continentiæ bonum non eſſe neceſſarium propter regnum Cœlorum, ſed propter præſens ſæculum: quòd ſcilicet coniugia terrenis curis pluribus atq; arctioribus diſtenduntur, qua moleſtia Virgines & continentes carent: quaſi ob hoc tantùm melius ſit non coniugari, vt huius temporis relaxentur anguſtiæ, non quòd in futurum ſæculum aliquid proſit. Hanc vanam ſententiam ne cordis propria vanitate protuliſſe videantur, adhibent ex Apoſtolo teſtimonium, vbi ait; De Virginibus autem præceptum Domini non habeo &c. Exiſtimo itaq; hoc bonum eſſe propter præſentem neceſſitatem, quia bonum eſt homini ſic eſſe. Ecce inquiunt, vbi manifeſtat Apoſtolus hoc propter præſentem neceſſitatem bonum eſſe, non propter futuram æternitatem. Quaſi præſentis neceſſitatis rationem haberet Apoſtolus, non prouidens & conſulens in futurum, cùm omnis eius diſpenſatio, non niſi ad vitam æternam vocet. Præſens ergo eſt vitanda neceſſitas, ſed tamen, quæ aliquid bonorum impedit futurorum.* Ità ergo Auguſtinus in Iouiniano ſeram illius ſobolem, hoc eſt Lutheri ſtultitiam non modò grauiter ſcripturis diuinis confutauit, ſed eiuſdem etiam in Paulo ad ſuum errorem perſuadendum producto fallaciam gnauiter detexit, vt nobis nihil ſuperſit, quod addamus; nihil Prædicantibus, quo tam apertam Lutheri infamiam tegant.

1. Cor. 7. 25.

Fabri-

Fabricius turpibus corruptelis Ius Pontificium fœdat, vt Miſogamiæ calumniam ei imponat. §. XIII.

FAbricius inſuper ad ius talionis poſt breuem frigidamq́; purgationem Lutherani conuitij confugit. *Non eſt*, inquit, *Lutherus hoſtis Virginitatis, vt Pontificius Ieſuita ſacro connubio*, ſacri connubij commodiùs dixiſſet, ſed non veriùs. Nego me, vllúmue Ieſuitam caſti coniugij hoſtem eſſe. Da teſtes. *En*, inquit, *teſtimonia. Canone* 15. *Diſt.* 34. *dicit Pontifex: Qui non habet vxorem, loco illius concubinam debet habere. Et Canone ſequenti. Chriſtiano non dicam plurimas, ſed nec duas ſimul habere licitum eſt, niſi vnam tantòm, aut vxorem, aut loco vxoris, ſi coniunx deeſt, concubinam. Item Canone dilectiſſimis.* Cauſ. 12. q. 5. *approbatur opinio Platonis, qui dixit, amicorum omnia communia, In communibus autem ſunt ſine dubio & coniuges, inquit Pontifex.* Cauſa 31 q. 1. Can. hac ratione. *Item cauſa 31. q. 5. ſecundam accipere iuxta Apoſtoli præceptum licitum eſt, ſecundùm autem veritatem fornicatio eſt.* Sunt ſanè hæc quatuor teſtimonia, non tamen Pontificiæ aut Ieſuiticæ in matrimonium iniuriæ, ſed Fabricianæ in ius Pontificium ſæuitiæ. Itáne omnem frontem, Fabrici, depoſuiſti, vt nihil niſi fumos, fucos, dolos lectori vendere decreueris? D. 34. Dicítne Pontifex in Can. Is? *Qui non habet vxorem, loco illius concubinam debet habere.* Non ſunt hæc verba in Canone, ſed in rubrica, ſeu titulo Canonis: Non ſunt Pontificis, ſed eius, qui rubricas fecit, verba. Canon

non ità habet. *Is, qui non habet vxorem, & pro vxore concubinam habet, à communione non repellatur: tamen vt vnius mulieris, aut vxoris, aut concubinæ ſit coniunctione contentus.* Quam tu verò, Fabrici, hoc & ſequenti Canone concubinam ſomnias? An nullo, nec publico, nec priuato Matrimonio iunctam? Erras turpiter, nec veniam mereris. Propinqua ad marginem gloſſa te potuit docere, ſi inſpexiſſes, de qua concubina vtroque Canone ſermo ſit. *Concubinam*, ait Gloſſa, *id eſt, non ſolenniter ductam, ſi tamen mutuus conſenſus interuenit: aliàs concubinam non licet habere.* Quis non tangat craſſum Fabricij dolum? Hîc ſcilicet, quæ publicè ducta eſt, vxor; quæ clàm, concubina dicitur: vtraque tamen reipſa eſt vera coniunx. Tunc enim clandeſtina coniugia non quidem licebant, ſed tamē valebāt: ſecretò non licebat ducere, ſed ità ductam licebat habere. Quod verò hoc Matrimonij odium? Nullum.

Sed illud grande profectò, ſi Pontifex. Can. *Dilectiſſimis*, ità Coniuges inter omnia communes eſſe dixit, vt amicus cum amici vxore liberè amicitiæ iure conſueſcere poſſit: hæc verò Fabricij eſt accuſatio; verba enim illa, *in omnibus ſine dubio ſunt & coniuges*, tanquam coniugij legibus infeſtiſſima recitat. Calumniæ, an fraudis malitiam in Fabricio magis notem, hæreo. Audeat ſacrilegus maritus, Sanctiſſimum Pontificem Clementem Petri Apoſtoli diſcipulum & ſucceſſorem, ex cuius Epiſtola quarta hic

Digitized by Google

Canon deſumptus eſt, tam turpi lenonis conuitio, quaſi qui honeſtas coniuges publica proſtibula ſumma maritorum iniuria fecerit, dehoneſtare? Audeat verba, quæ adiuncta gloſſa honeſtiſſimè explicat, tam inhoneſto & Cynico commento adulterare? Quid enim dicit Canon ille tractans de communi vita Clericorum ex Apoſtolicorum temporum exemplo? *Communis vita omnibus, fratres, neceſſaria eſt, & maximè his, qui Deo irreprehenſibiliter militare cupiunt, & vitam Apoſtolorum, eorumq́; diſcipulorum imitari volunt. Communis enim vſus omnium, quæ ſunt in hoc mundo, omnibus eſſe hominibus debuit, ſed per iniquitatem alius hoc dixit eſſe ſuum, & alius iſtud: & ſic inter mortales facta eſt diuiſio. Deniq; quidam Græcorum ſapientiſſimus hæc ita ſciens eſſe communia debere, ait amicorum eſſe communia omnia, in omnibus autem ſunt ſine dubio & coniuges.* Quomodo ſunt & coniuges? vt quiſq; quamcunq; amici coniugem in thori ſocietatem admittat? Apage, Cynice Prædicans, & adiunctam Gloſſam inſpice, vt malitiam tuam videas. *Et coniuges*, ait Gloſſa. *Non quoad vſum carnis, ſed quoad vſum obſequij, vel quoad dilectionem.* 31. *d. omninò.* vbi dicitur, *Omninò confitemur, non licere Epiſcopo, Presbytero, Diacono propriam vxorem religionis cauſa abijcere à cura ſua, ſed vt ei victum & veſtitum largiatur, ſed nõ vt cum illa carnaliter ex more iaceat.* Sic ergo in omnibus ſunt coniuges, vt & illæ omnibus, & omnes illis Chriſtianæ amicitiæ iure, ſanctæ dilectionis obſequia exhibeant.

Cauſa 12. q. 1. Can. Dilectiſſimis.

Sed

Sed hoc demùm inexcuſabile Pontificij aduerſùs nuptias odij indicium à Fabricio profertur, quòd Pontifex Can. hac ratione. *Secundas nuptias ſecundùm veritatem fornicationem eſſe* definiat. Mi homo, à Kemnitio deceptus, decipis. Canon ille, nec vllius Pontificis, nec S. Chryſoſtomi, cui eum collector Gratianus tribuit, ſed auctoris operis imperfecti, qui pluribus locis ſe minimè Catholicum prodidit, eſt; totidem enim verbis apud illum Hom. 32. in cap. 19. Matthæi legitur. Ergo ex huius Auctoris Acatholici verbis, etſi ſecundas nuptias ijs damnaret, Pontificem & Ieſuitas Fabricius calumnioſè Gamomaſtigas proclamat. Sed & huic Auctori iniuriam Prædicans facit, quod antecedentia & ſubſequentia verba, gloſſaq; Canoni adiecta ſatis docent. Non Auctor iſte ſecundas poſt primæ vxoris obitum, ſed alteras poſt primam repudiatam adhuc ſuperſtitem, initas nuptias fornicationem appellauit. Cũ enim prolixè illic de repudio à Moſe propter duritiã cordis ad vitanda homicidia permiſſo egiſſet, obiter dixit, Apoſtolũ quoq; ob hominũ incontinentiã alteras nuptias conceſſiſſe, & eas ſecundũ Apoſtoli præceptũ eſſe: reuerſus verò illicò ad propriã eius loci materiã, Moſaicũ ſcilicet repudiũ, nuptias illas poſt repudiũ, *ſecundũ mentis rationẽ verè fornicationẽ eſſe* pronunciauit, quod inſequẽtia verba clarè indicant, *ſed cũ permittẽte Deo publicè & licẽter*

k 2 (nullo

(nullo externæ pœnæ metu) *committitur, fit honeſta* (in foro externo) *fornicatio: propterea benè dixit Chriſtus in Euangelio, quia Moſes hoc permiſit, & non præcepit.* Et iſtud confirmat gloſſæ interpretatio: *Fornicatio) cum ea, quam permiſit Moſes propter repudiatam aſſumi. cauſa 33. q. 2. ſi quod verius.* Vbi ſcilicet dicitur, alteram ducere, dimiſſa adultera viuente, ſecundùm Chriſti legem illicitum & nefarium eſſe.

Hiſce Iuris Canonici corruptelis necdum contentus Fabricij furor, demùm etiam in Pontificem Innocentium, tanquam Matrimonij oſorem pluribus mendacijs ſæuit. *Innocentius Papa*, inquit Fabricius, *fert legem in eis, quibus Dominus dixit, ſancti eſtote, quia ego ſanctus, quòd conſortium cum vxore non debeant habere. At omnibus hoc dixit Dominus, ergo omnes impuri, qui vxores ducunt.* Audiamus verba Innocentij, & de fide Fabricij iudicemus. *Eſt vetus admodùm,* ait Innocentius, *ſacræ legis auctoritas, iam inde ab initio cuſtodita; quòd in templo anno vicis ſuæ habitare præcepti ſunt ſacerdotes, vt ſeruientes ſacris oblationibus puros & ab omni labe purgatos ſibi vendicent diuina miniſteria. Neq; eos ad ſacra officia fas ſit admitti, qui exercent etiam cum vxore carnale conſortium, quia ſcriptum eſt, ſancti eſtote, quoniam ego ſanctus ſum, dicit Dominus Deus noſter: quibus vtique propter ſobolis ſucceſsionem vxoris vſus propterea fuerit relaxatus, quia ex aliena tribu ad Sacerdotium nullus fuerat auſus accedere* Quis non videt his verbis Pontificem de Aaronicis Sacerdotibus, quibus diuina lege imperatum erat

Diſt. 72. Can. propoſuiſti.

1. Paral. 25. 19.

erat, tēpore vicis ſuæ in templo Domini habitare, & vxorū conſortio carere, tantùm loqui? annè verò tantis temporum interuallis poſterior Iudaico Sacerdotio Innocentius, legē Sacerdotibus illis aliquā tulit? an ait, omnibus, quibus dixit Dominus, *ſancti eſtote, quoniam ego ſanctus ſum*, vetitum vxorum conſortium eſſe? annon exertè Sacerdotibus illis vxorum vſum permiſſum aliàs: cùm verò miniſtrarent Domino, tantùm prohibitum fuiſſe pronunciat? Nec malè Sacerdotum in templo quondam miniſtrantium continentiæ accomodat Pontifex illā Domini toti populo per Moſen, poſt narratas legales munditias, denunciatam vocem: *ſancti eſtote, quoniam ego ſanctus ſum.* Nam & hanc munditiam peculiarem Sacerdotibus rem diuinam curantibus lex impoſuit. Quid tritius in ſacris, quàm abſtinentiam rei vxoriæ, munditiam & ſanctitatem nominari? Iubet Dominus legem daturus à Moſe populum triduo ſanctificari, & non appropinquare vxoribus ſuis. Achimelech Sacerdos panem ſanctum Dauidi roganti daturus, ex eo quæſuit, *mundine eſſent pueri, maximè à mulieribus*, & Dauid reſpondit, à triduo *vaſa puerorum eſſe ſancta.* Mera igitur Fabricij figmenta ſunt, vt honeſtiſſimè appellem, Innocentium hîc ferre eis, ſeu, vt eleganter Fabricius loquitur, *in eis* legem, quibus Dominus dixit. Sancti eſtote &c.; ex illis omne vxorum conſortium damna-

Exod. 19 v. 10. 14. 15.
1 *Reg.* 21 v. 4. 5.

Digitized by Google

re, impuros omnes. qui ducunt vxores, iudicare. Agit Pontifex de ſolis Iudaicis ſacerdotibus, ex quorum temporaria in miniſterio continentia, argumentum deſumit probabile, ad perpetuam Euangelicorum Sacerdotum continentiam confirmandam. Sic enim pergit. *Quo magis ipſi Sacerdotes vel leuitæ pudicitiam ex die ordinationis ſuæ ſeruare debent, quibus & Sacerdotium vel miniſterium ſine ſucceſſione eſt, & nec præterit dies, quo vel à ſacrificiis diuinis, vel baptiſmatis officio vacent.* Sed & Fabricius de Innocētio ſic queri pergit. *Adfert in odiũ Matrimonij locum Pauli, omnia munda mundis, ſed nihil mundum immundis Similiter detorquet contra Matrimonium locum Pauli Rom. 8. v. 8. 9.* Qui ſunt in carne, Deo placere non poſſunt. At vos, *alloquitur innuptos*, non eſtis in carne, ſed in ſpiritu. *Quid reſtat ex doctrina Pontificiorum, niſi matrimonium eſſe crimen, aduerſariq; ſanctitati, caſtitati?* Imò quid reſtat ex his Fabricij verbis, niſi mera criminatio. Pergamus audire Innocentium, & nocentem deprehendere Fabricium: *Nam ſi Paulus ad Corinthios ſcribit, dicens, Abſtinete vos ad tempus, vt expeditiùs vacetis orationi. & hoc vtiq; laicis præcepit, multò magis igitur ſacerdotes, quibus & ſacrificandi, & orandi iuge officium eſt, ſemper debebunt ab huiuſmodi conſortio abſtinere. Quia ſi contaminatus fuerit carnali concupiſcentia, quo merito ſe poſſe exaudiri credit, cùm dictum ſit, omnia munda mundis, coinquinatis autem & infidelibus nihil eſt mundum: ſed coinquinata eſt eorum mens & conſcientia. Sed fortaſſè hoc ſibi licere credit, quia ſcriptum eſt; vnius vxoris virũ,*

non

non dixit hoc, vt permaneat in concupiſcentia generandi, ſed propter incontinentiam futuram, quod apertiùs declarauit, dicens. Qui autem ſunt in carne, Deo placere non poſſunt, vos autem iam non eſtis in carne, ſed in Spiritu. Quid hic in odium Matrimonij ex Paulo affert, aut torquet Innocentius? Rectè ex Pauli ad Corinthios teſtimonio (quod ex Sanctis Patribus Hieronymus quoq; & Epiphanius fecerunt) Sacerdotibus perpetuam coniugalis operis abſtinentiam imperatam colligit. Hinc illa duo Apoſtoli dicta, *Nihil mundum immundis, &c, qui in carne ſunt, Deo placere non poſſunt*, non in odium Matrimonij, ſed contra Sacerdotum, qui Apoſtolici Præcepti immemores, liberis, & contaminata mente orationi vacant, incontinentiam profert. An in odium Matrimonij eſt, quòd Paulus iubet Coniuges aliquandiu orationis ergò non conuenire? Cur ergo Matrimonio detrahat, Sacerdotibus, quorum tota vita in ſacris occupationibus verſatur, continua imperata continentia? Bonum eſt Matrimonium, ſed non omnibus: illis, quos totos in ijs, quæ Dei ſunt, eſſe oportet, melior eſt continentia, quæ Paulo teſte, *facultatem præbet ſine impedimento Dominum obſecrandi*, Nam, *qui ſine vxore eſt, ſollicitus eſt, quæ Domini ſunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum vxore eſt, ſollicitus eſt, quæ ſunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuiſus eſt.* 1. Cor. 7.

Con-

dentibus, vt Nicolaus Papa præſcripſit credendum, & publicè docendum Berengario. Verè eſt Hyperbolè, ſed plena etiam ſarcaſmo. Nulla hic Hyperbole, nulli boatus infernales, niſi Stygij Prædicantis. Quod verè proprieq; ſpeciebus panis conuenit, per metonymiam corpori Chriſti illis contento tribuitur. Dicitur corpus Chriſti videri, tangi, teri, frangi, non proximè, ſed remotè, non in ſe, ſed in ſpeciebus, quibus hæc ſecundùm ſe competunt. Indicatur Chriſti corpus non tantùm in ſpeciebus, vt in Symbolo, ſed verè ac reipſa, non tantùm in integris, ſed etiam in fractis, attritis, ſumptis adeſſe. Potuiſſes hūc dicti ſenſum, niſi calumniari volupe tibi fuiſſet, ex inſpecta Gloſſa in Berengarij Confeſſionem diſcere. *Frangi,* ait illa, *id eſt, non tantùm pondus, & reliquas ſacramenti qualitates ſenſibus corporeis percipi fateor, ſed etiam ſub illis ſpeciebus fractis, & attritis partibus, totum & integrum Chriſti corpus eſſe confiteor, totum manducari, totum ſumi.* Et poſt hæc in vocem *Dentibus* ità commentatur. *Niſi ſanè intelligas verba Berengarij, in maiorem incides hæreſim, quàm ipſe habuit: & ideò omnia referas ad ſpecies ipſas. Nam de Chriſti corpore partes non facimus.* Nempe, vt Eccleſia in ſacro cantico profitetur, *A ſumente non conciſus, non confractus, non diuiſus, integer accipitur. Nulla rei fit ſciſſura, ſigni tantum fit fractura, qua nec ſtatus, nec ſtatura ſignati minuitur.* Mera ergo hæc Fabricij calumnia eſt, quæ non ſolùm Nicolaum ſecundum Pontificem, ſed etiam ex

De Conſecr. d. 2. Ego Berengar.

In ſeqq. Lauda ſion.

tredimus, Dominici corporis obſtat? Certè enim non magis beſtiarum vel auium, quàm noſtro læditur guſtu. Sed nec pro vilitate, beſtiarum ora, vel auium roſtra refugit, qui in lapide ſepulchri iacuit, qui poſt reſurrectionis etiam gloriam, terram calcauit. Manifeſtiſſimum quippe eſt, ex ordine Dei animata corpora inanimatis, ſenſibilia inſenſibilibus meliora eſſe. Neq; huic ſententiæ vllum vel tenuiter ſciolum (qualis etiam Fabricius eſt) *refragaturum credo. Quæ autem meliora ſunt apud optimum Dominum, chariora, indeq; honorabiliora ſunt: quo fit vt corpus cuiuslibet viui animalis non ſit apud Deum vilius, quàm terra & lapis. Sed ipſius Chriſti corpus, ſicut iam diximus, in lapide iacuit, & terram calcauit: non igitur propter aliquam vilitatem, cuiuſcunq; animalis corpus horreſcit. Quapropter etiamſi aliquo diuino iudicio bruta quælibet animantia non ſolùm ſacroſancta myſteria tangere, ſed etiam valeant deuorare: nulla tamẽ ex hoc nobis ratio obuiat, quæ veritatem Dominicæ carnis & ſanguinis, quam tenemus in ſacris myſterijs, nos negare compellat.* Habes, Caluiniſta, quid animi nobis ſit, cùm vobis obijcientibus fatemur fieri poſſe, vt mures ſacramentum arrodant, aut deglutiant. Rodere poteris reſponſum hoc, ſed non deuorare.

Quid aliud quereris? *Satyros pro ſanctis, Priapos pro Patronis, Centauros pro Diuis, Gregorium, Chriſtophorum & alios demonſtrant.* Scilicet ſi Lutherum, Caluinum, Bezam, Fabricium, ſimileſque bipedum ſalaciſſimos hircos pro Diuis haberemus: In noſtros Diuos hæc eſt blaſphema calumnia, nullo

reſponſo digna. Habeo magnorum virorum penès me teſtimonia, quæ Fabricium Louanij atq; Bruxellis, ante turpē fugam, egregium Bacchi Priapiq; nepotulum fuiſſe docent. Nimirum ſuis ſimiles Patronos noſtros calumniator iſte ſomniat.

Quanta verò iſtius balatronis impudentia eſt, cùm clarum Galliæ Eccleſiaſten Beſſæum *barathrum Magnæ matris fornicationum* appellat, quòd dixerit, *ſicut ſol obediuit Ioſuæ, ità creator Sacerdoti.* Et, *Presbyteratus & diuinitas habent aliquid commune neſcio quid, eandem ſaltem habent auctoritatem, quandoquidem eandem poteſtatem.* Itáne verò de meretricio barathro, etiam hæ Gregorij Nazianzeni, & Chryſoſtomi voces, impie Zoile, prodeunt? *Sacerdoti,* inquit Chryſoſtomus, *thronus in Cœlis collocatus eſt, & de Cœleſtibus negotijs pronunciandi habet auctoritatem. A terra iudicandi principalem auctortatem ſumit Cœlum: nam Iudex ſedet in terra, Dominus ſequitur ſeruum.* Et alibi. *Sacerdotum vinculum ipſam etiam animam contingit, & ad Cœlos vſq; peruadit vſq; adeò, vt quæcunq; infernè Sacerdotes confecerunt, illa eadem Deus ſupernè rata habeat, & ſeruorum ſententiam Dominus confirmet. Etenim quidnam hoc aliud eſſe dicas, niſi omnem rerum Cœleſtium poteſtatem à Dei filio illis creditam? nam quaſi in Cœlum translati, ac ſupra humanam naturam poſiti, ſic illi ad principatum iſtum perducti ſunt.* Atq; inibi. *Quænam, obſecro, poteſtas hac vna maior eſſe poteſt? Pater omnifariam poteſtatem dedit filio, cæterùm video eandem ipſam omnifariam poteſtatem à Dei filio Sacerdotibus eſſe conceſſam* Et quale

Hom. 5. de verbis Iſaiæ. vidi Dominum.

lib. 3. de Sacerd.

quale hoc apud Nazianzenum Sacerdotis elogium? *Cum Angelis ſtabit, cum Archangelis glorificabit, ad ſupernum altare ſacrificia tranſmittet, cum Chriſto Sacerdotio fungetur, figmentum inſtaurabit, imaginem exhibebit ſuperno mundo, opificem aget, & ut, quod maius eſt, dicam, Deus erit, alioſq́; Deos efficiet.* Quid pro Beſſæo contra iſtud impudentiæ barathrum poſſit dici illuſtrius? Non timet his tantis Patronis Beſſæus maledicam Fabricij linguam. *Apolog. Orat. 1.*

Sed quid ego diu his Fabricianis gerris immoror? Nihil habet Prædicans, quod vel in ſpeciem ſolidè obijciat. Quiſquilias pridem excuſſas, & conuitia quædam ex ſuperioribus, nouorum inops inſulſiſſimè repetit. Veluti, Nihil addendum, aut demendum ſacris litteris, ergo, cùm quæſtio fidei controuerſa agitatur, Pontifex, quid credendum ſit, definire non poteſt. Chriſtus Euchariſtiam ſub vtraq; ſpecie inſtituit, dixitq;: bibite ex eo omnes; ergo laicis calix iure negari non poteſt. Deus vetuit ſculptilia, quæ adorentur, fieri; ergo nullæ ferendæ in Eccleſia imagines. Apoſtolus concupiſcentiam peccatum appellat; ergo verè propriéq; etiam in renatis peccatum eſt. Scriptura docet, vbiq; adorandum Deum; ergo impium eſt, dicere, quòd eodem cultu prototypon & imago coli poſſit, aut quòd adoratio propriè terminetur in imagine, non tantùm, vt habet vicem exem-

plaris, quæ Bellarmini ſententia, imò Fabricij conuitium apertum hic ab illo repetitum, ſed ſuprà iam à nobis euidenter confutatum eſt. Receptui ergo canamus, quia *iam tempus eſt*, vt monet tubicen Caluinianus, *clangore tubæ ad caſtra remeare.* Vicit Angelus Domini Balaamiticos pueros, Fabriciũ & Meiſnerũ, atq; vtinam vocem hanc illius audiant: *Ego veni, vt aduerſarer vobis, quia peruerſa eſt via veſtra, mihiq; contraria.* Vtinam Balaami exemplo adorantes proni in terram reſpondeant; *Peccauimus, neſcientes, quia tu ſtares contrà nos, & nunc, ſi diſplicet tibi vt vadamus, reuertemur.*

Finis Defenſionis Primi Fundamenti.

SECVN-

Digitized by Google

SECVNDVS ANGELVS,

DEFENSOR SECVNDI FVNDAMENTI,

Angelus Agar. Gen. XVI.

HÆreſis ingenium eſt Eccleſiam contemnere, ab illa profugere, & in deſerto priuatos ſcripturæ ſenſus ſectari. Hæreſis altera eſt Agar, Eccleſia Sara. Nam, vti Moſes narrat, *concepiſſe ſe videns* Gen. 16. v. 4. *Agar, deſpexit Dominam ſuam. Affligente igitur eam Sarai fugam iniſt. Cumq́; inueniſſet eam Angelus Domini iuxta fontem aquæ in ſolitudine, qui eſt in via Sur in deſerto, dixit ad illam; Agar ancilla Sarai vnde venis? & quò vadis? quæ reſpondit. A facie Dominæ meæ ego fugio. Dixitq́; ei Angelus Domini; Reuertere ad Dominam tuam, & humiliare ſub manu illius.* Nónne & hæreſis monſtroſo nouarum opinio-

Digitized by Google

opinionum fœtu grauida, tanquam ſterilem deſpicit Eccleſiam, & poſt benignas monitiones ab ea ſeueriùs coercita, orbe deſerto per ſolitudinem profuga vagatur, ſéque ſolam inibi puras de fonte ſcripturæ aquas haurire gloriatur? Diſplicet Deo immorigeræ ancillæ tam ſuperba diſceſſio: Beneficium Eccleſiæ, qua exceſſit; periculum interitus, in quem proruit, ei nuntiat, & reditum ad Eccleſiam ac ſubmiſſam obedientiā mandat. Fœlices, qui benè monentem cœleſtem nuntium cum Agar audiunt, & relicto proprij ſenſus deſerto, ad Catholicæ Eccleſiæ domum reuertuntur, vt ſub illius manu humilientur. Bibendum omninò eſt de viuo Scripturæ fonte, aqua pura quæritur: multæ illam ſectæ propinant; ſed certum eſt in vna Dei domo puram fluere, extrà vbi vbi, priuati ſpiritus fœce turbari. Vnam Dei domum dico, illam Chriſti Eccleſiam, quæ eſt columna & firmamentum veritatis; quam omne Orci robur fruſtrà diruere molitur; quæ ſicut Sol & luna perfecta in æternum ſplendet; cum qua ſpiritus veritatis æternùm manet; cuius prædicatio ſincera inter alias atq; alias hæreſes longè lateq; toto orbe clara voce perſonat. Sectas appello, quæ duce aliquo vno homine à ſtabili perpetuaq; Eccleſia profugæ ſeriùs cœperunt, citiùs deſierunt. Non ab iſtis fugitiuis ancillis, ſed ab illa fideli Domini ſponſa, ſalutaris diuinæ ſcripturę vnda

da petenda eſt. Vidit hoc Cœleſti luce perfuſus Sereniſs^mus. Princeps noſter, & alterũ ſui ex deſerto Lutherano ad Eccleſiam Catholicã reditus fundamẽtum, poſt Confeſſionis Auguſtanæ maledicentiam, & Catholicorum innocentiam deprehenſam, eſſe voluit: inter tot ſcilicet Eccleſias, quæ hodie ſe Chriſtianas venditant, illam, ſpretis cæteris, veluti fidei magiſtram eſſe audiendam, quæ cum antiqua omnium gentium & temporum inter tantam hæreſum colluuiem illuſtriſſima, conſpectiſſimaque ante noſtram ætatem Eccleſiã, in fidei doctrina conſpirat. Tutiſſimum certè, ſolidiſſimumq; in tanta religionum Scripturas oſtentantium varietate fundamentum. Quis enim neget, aut dubitet, ſi à magiſtro diſcenda eſt Scriptura, & antiqua primorum ſeculorum Eccleſia verax fidei magiſtra fuit, illos ſemper fuiſſe, & hodie quoque eſſe audiendos, qui cum illa conſentiunt; & olim, & nunc verò eſſe fugiendos, qui ab eadem diſſentiunt? Hoc veteris Eccleſiæ fundamentum, in quo ſuæ ſectæ ruinã præſentiunt transfugæ Prædicantes, furibundè varijs Calumnijs, Sophiſmatis, fucis & id genus alijs inſani furoris armis inſectantur. Iam ad ſolas Scripturas more ſuo exſibilata Eccleſia fugiunt; jam veram Eccleſiam audiendam fatentur; mox cuique de plebe docendi partes deferunt, & omnem Eccleſiæ Prælatis auctoritatem ereptam vo-

m lunt

Digitized by Google

lunt, ac de Saræ ſeueritate quiritãtur; alias Eccleſiam Scripturis à nobis præferri calumniantur; in omnem deniq; ſe partem vertunt, ne fugitiui cum Agar ad annoſam Saram, Eccleſiam, inquam, antiquiſſimam retrahantur. Perſequamur tamẽ illos, fugientis Agar reuocatore, honoris Saræ defenſore Angelo duce, vt ſi *vnde uenerunt*, eò cum Agar reuerti nolunt, *quò uadunt*, ſua pertinacia pertingant.

CAPVT. I.

INSVLSA ET FRAVDVLENTA Prædicantium Cenſura de Magiſterio Eccleſiæ excutitur.

DIxerat Sereniſ: Princeps in ſecundo fidei fundamento, nullum ſibi viſum eſſe in tanta ſectarum de vero Scripturæ ſenſu gloriantium colluuie, ad cognoſcendam veritatem ſolidius ſecuriuſq; medium, quàm Eccleſiæ per omnes ætates conſentiens in Scripturis interpretandis & rebus fidei declarandis Magiſterium. Digna modeſto Chriſtiani hominis animo, & ab antiquis Patribus multùm laudata ſententia. Quis non malit Eccleſiam prima multorum ſeculorum antiquitate venerandam, quàm vnius ſeculi nouitate ſuſpectam interpretem ſacrorum Codicum audire? Hoc

Digitized by Google

Hoc ergo fundamentum eſt; Audienda eſt Eccleſia antiqua, quæ primis mediiſq; ſeculis eandem ſemper religionem conſtanter ac apertè tenuit; ſeu, Illa hodie audienda eſt, quæ cum illa antiqua in doctrina conſpirat, & tempore continuatur. Quid dicitis Prædicantes? annuitis an abnuitis?

Abſurdæ Meiſneri antilogiæ. § I.

C*Oncedimus*, inquit Meiſnerus Th: 59, *Eccleſiam veram audiendam, eiuſq; ductum in verbi Diuini expoſitione ſequendum eſſe. Negamus autem Romanam Synagogam eſſe illam veram Eccleſiam, hoc enim ipſum in quæſtione adhuc verſatur, vt ita valdè ridiculus ſit diſcurſus Ieſuiticus, hoc ſecundo fundamento comprehenſus, quippe qui non eſt alius, quàm iſte: Papiſtica Religio eſt verax. Cur? Quia Papiſtica Eccleſia id vnanimiter affirmat. Bellum profectò argumentum acumine Ieſuitico digniſſimũ.* Ridiculum profectò reſponſum ſtupore Meiſneriano digniſſimũ, quod & fundamento propoſito minimè accommodatum eſt, & argumento, quod initio Prædicans ex mea explicatione collegit, palàm contradicit. Nihil in fundamento dicitur de Romana Eccleſia, nihil de noſtra; nihil aſſumitur, nihil concluditur; hæc propoſitio ſola ponitur: Eccleſiam per omnes ætates conſentientem, tanquam magiſtrã, audiendã eſſe. Ai, nega *Concedimus*, inquis, *veram Eccleſiam eſſe audiendam.* Nimirum, vt de tua poſſis, quod verum non eſt, ſpecioſè aſſumere & concludere. De antiqua per

omnes ætates immutabili Eccleſia reſponde. Quid negas de Romana, ꝙ æquè facile mihi eſt de tua negare, de quarũ tamen vtraq; nihil exprimit fundamentũ? Non eſt hęc propoſitio: *Vera Eccleſia audienda eſt;* Sed, *Eccleſia omnium ætatum eadem audienda eſt.* Hanc ſi das, paucis de tua noſtraq; Eccleſia diſputationẽ finiemus. Sed fugis antiquitatem tibi parùm amicam. Quid verò tribuis mihi hanc cachinnis dignam argumentationem? *Quod Papiſtica Eccleſia vnanimiter affirmat, eſt verum; ſed Papiſtica Eccleſia affirmat Papiſticam religionem eſſe veram. Ergo Papiſtica religio uerax.* Itáne ego? hæc ne meæ explicationis ſumma eſt? Tuo te teſtimonio calumniæ conuinco: mendacẽ memorem eſſe oportuit. *Argumentum*, ait Meiſnerus initio ſecundi fundamenti Th: 36. *ex diſcurſu Ieſuitico tale formamus. In qua religione habetur, & auditur Eccleſiæ Catholicæ per omnes ætates conſentiens in Scripturis interpretandis, & rebus fidei declarandis magiſterium, illa ſine dubio uera & amplectenda eſt: ſed in religione Papiſtica, non Lutherana habetur & auditur Eccleſiæ Catholicæ per omnes ætates conſentiens in ſcripturis interpretandis, & rebus fidei declarandis magiſteriũ; Ergo Religio Papiſtica, non Lutherana ſine dubio uera & amplectenda eſt.* Si verè à te, Meiſnere, ex mea diſputatione Syllogiſmus iſte collectus eſt, ergo alter ille ridiculus huic diſſimillimus à te ſalſò confictus, mihiq; calumnioſè affictus eſt. Sed quid ad prius argumentum à te ex diſſertatione mea rectiùs efformatum

matum reſpondes Meiſnere? Quid de propoſitione, quæ fundamenti ſenſum benè tangit, iudicas? *Maiorem concedimus*, inquis, *ſi Eccleſia uera, eiuſq; genuinum in Scripturis explicandis officium, non uerò ſuperciliosum magiſterium intelligatur.* Eccleſiæ toto orbe primis & ſequentibus ſeculis diffuſæ conſtans magiſterium eligendũ proponitur. Conſentit Prædicans, ſed de periculo ſectæ ſuæ metuens, timidè addit, *Si vera Eccleſia, ſi genuinum, non ſuperciliosum magiſterium intelligatur.* Nimirum hæc ſibi fugitiuus homo extrema fugæ latibula ſeruat, vt ſi monſtretur, noſtram, non Lutheranam religionem cum antiqua Eccleſia conuenire, antiquam Eccleſiam erroris, & ſupercilij condemnet. Eà ſcilicet conditione claram propoſitionem affirmat, vt quam apertè ſine rubore non potuit, occultè per dolum neget. Verùm quid ad Aſſumptionẽ reſponſi det audiamus. *Minorem verò*, inquit, *negamus, quippe quæ tota falſis præſuppoſitis nititur, & meras principij petitiones continet, vnde ſimul quatuor termini in argumento apparent, dum in maiore de vera Apoſtolica, in minore de falſa Papali Eccleſia ſermo eſt, quo pacto perit omnis conſequentia, & arenoſum hoc fundamentum planè corruit.* Imo & fundamentum, & ædificium tam ſolidum eſt, vt nec materiæ, nec formæ illius quidq̃, ſed ſibi plurimũ nocumenti Prædicans afferat hoc ſuo reſponſo, quod ſuamet manifeſtà contradictione corruit. Si enim benè negas Minorem, malè quatuor argumenti terminos affir- Th: 41.

mas; ſi hos verè affirmas, illam ineptiſſimè negas. Verè & negare Minorem, & quatuor terminos affirmare non potes. Apertè oſtendo. Minor propoſitio hæc eſt: *In Papiſtica religione, non in Lutherana auditur Eccleſiæ Catholicæ per omnes ætates conſentiens magiſterium.* Si per Eccleſiam Catholicam hîc non verè Apoſtolica, vt in maiori propoſitione, ſed alia, ſcilicet falſa Papalis intelligitur, adeóq; quatuor termini vnius Syllogiſmi ſunt, vt tu contendis, ſenſus maioris propoſitionis hic erit. *In Papiſtica religione, non in Lutherana audiri falſæ Papalis Eccleſiæ magiſterium.* An negas Prædicans hoc, quod omnes Pr ędicantes affirmant? Quid ergo negas? certè niſi Prædicãs eſſe nolis, nos veram Apoſtolicam Eccleſiam audire negandum tibi eſt. Si hoc negas, eadem ergo Eccleſiæ Catholicæ in vtraq; propoſitione acceptio eſt, & figmentũ quatuor terminorum euaneſcit. Vides quàm malè ſimul, & Minorem negâris, & quatuor terminos culpâris, cùm negatio Minoris quatuor terminos, quatuorq; termini Minoris negationem non ferant. Tales ſcilicet ſunt Prædicantium machinæ.

Fabricius calumniatur, & quinq; Patres pro ſolis ſcripturis contrà Eccleſiam corrumpit & torquet. §. *II.*

SEd iam Fabricij primos impetus in hoc fundamentum inaniſſimos ſpectemus. A calumnia initium eſt. *Status ergo Controuerſiæ eſt*, inquit Fabri-

bricius, *An Scriptura ſacra ſit ſecuriſsimum & ſolidiſsimum medium cognoſcendi veritatem, an verò magiſterium Eccleſiæ Catholicæ.* Non ità eſt: non Scripturæ, ſed Sectis ſcripturam quâ ſtylo, quà ſenſu deprauantibus, opponitur Eccleſia Catholica: non illà, ſed iſtis ſolidius ſecuriuſq; cognoſcendæ veritatis medium, Eccleſiaſticæ intelligētię auctoritas prædicatur. Scimus ſcripturam in ſe ſolidiſſimam certiſſimámq; ducem eſſe, ſed ad hæreticorum, qui illā in auia nequiſſimè trahunt & rapiunt, inſidias cauendas, Eccleſiam Catholicam neceſſariam comitem iudicamus. Sed diſplicet iſta comes hæretico Præconi, & vt liberè licenterq; ſua figmenta vendere poſſit, ſolas ſcripturas neglecto Eccleſiæ ductu ſecuriſſimè adiri ſuadet. Quibus argumentis? Patrum teſtimoniis. Quorum? Chryſoſtomi, Auguſtini, Ambroſii, Leonis, Lactantij. Verùm non hanc iſtorum Patrum ſententiam, ſed Fabricij fraudulentiam eſſe oſtendamus.

Chryſoſtomi duo profert teſtimonia; ſed vnum mutilat, alterum non eſt Chryſoſtomi. Primum deſumit ex Hom. 31. in acta Apoſtolorum: vbi Gentilem ad Chriſtiana ſacra aſpirantem Chryſoſtomus inducit ſic loquentem. *Vellem fieri Chriſtianus, ſed neſcio cui adhæream. Multæ ſunt inter vos pugnæ, neſcio quod dogma eligam: ſinguli dicunt, ego verum dico: cui credam neſcio, cùm vtrinq; Scripturas prætexant.* Reſpondet verò Chryſoſtomus. *Sane hoc multùm pro nobis, nam ſi diceremus nos rationibus*

credere,

credere, meritò turbareris, ſed cùm Scripturas recipimus, & illæ ſint ſimplices & veræ, facile fuerit tibi iudicare: ſi quis enim illis conſentit Chriſtianus eſt; ſi quis contra illas pugnat, procul eſt ab hoc Canone. Vrget Gentilis. *Quid ſi veniens ille dicat, hoc habere ſcripturam, tu autem aliud dicas, alitèr ſcilicet enarrando ſcripturas, mentem illarum pro te trahens.* Quid huic Gentilis obiectioni reſpondet Chryſoſtomus? *Ità*, inquit Fabricius, *poſt quædam reſpondet. Sicut ſi regula eſſet, ſecundum quā omnes dirigi oporteret, non multo opus prætextu, ſed malè metientem facilè deprehenderemus. itâ & nunc. Quomodo igitur non vident*? Hoccíne totum Chryſoſtomi reſponſum eſt, Fabrici? Quid abrumpis & omittis poſteriora Chryſoſtomi verba, quibus Eccleſiæ Catholicæ aduerſus hæreſes in ſcripturis docēdis auctoritas defenditur, tuaq; fraus damnatur? Multis partibus de ſcripturæ ſenſu litigantibus, nō ſectas peculiaribus nominibus inſignitas, ſed Catholicam Eccleſiam Chriſtiano nomine contentam, quæ vna inter omnes maniſeſtè hoc diſcrimine eminet, audiendam eſſe Chryſoſtomus tradit. Cùm enim dixiſſet, ſcripturæ regulâ vtendum eſſe, maleq; metientem facilè deprehendi poſſe, iterumq; Gentilis de hæreticorum ſcripturas detorquentium aſſeclis quæſiuiſſet, *Quomodo igitur non vident*? ſuorum ſcilicet fraudes in ſcripturis exponendis, ſi facilè malè metiens deprehēditur: quæſtioni huic Chryſoſtomus hìc à Fabricio perfidè decurtatus, ità pergit reſpondere. *Multa facit*

etiam

etiam imaginatio, humanæq; cauſæ: quaſi dicat, ideò non vident, quia contrariis opinionibus diu multumq; imbuti humano ingenio nimium tribuunt. *Hoc etiam de vobis, inquit*, (Gentilis ſcilicet) *illi dicunt*. Hic egregiè Chryſoſtomus. *Quomodo? nunquid ſcindimur ab Eccleſia? num hæreſiarcham habemus? num ab hominibus cognomen habemus? nunquid nobis dux quidam eſt, ſicut illi Marcion, & illi Manichæus, & huic Arius? alterius verò alius hæreſeos dux? Quòd ſi & agnominationem cuiusdam ſortimur, ſed non vt ab hæreſum principibus, ſed vt ab his, qui præſunt & gubernant Eccleſiam. Non habemus Doctores ſuper terram*, (nouos ſcilicet & ſupremos) *abſit*, * *Vnũ habemus in cælis: Et illi, inquit*, (Gẽtilis) *eadẽ prætexunt. Sed aſsiſtit nomen accuſans illos & obturans nomina*. Hæc Chryſoſtomus, vt demõſtret Catholicis nõ perinde atq; hæreticis obijci poſſe, quòd imaginatione propria, humanóq; ſenſu præpediti non videant ſe malè ſacra regula vti. Illos Gentili ſuſpectos reddit de proprijs figmentis humaniſq; inuentis, qui ab Eccleſia ſciſſi certos aliquos duces, tanquam nouos Doctores ſequuntur, & ab illis cognominantur; illos, qui Eccleſiæ Catholicæ adhærent, nec nouos Doctores ſectantur, nec à nouis Doctoribus nomen ſortiuntur, iure in ſuſpicionẽ proprij ſenſus in ſcripturis explicandis venire non poſſe pronuntiat. Ita igitur Gentilem inter partes de ſcripturæ ſano ſenſu contendentes hærentem, ab hæreticis ſectis, vel ex nomine notis tanquam

* Verba hæc paucula infrà Fabricius pro ſuis nouis Doctoribus ita corruptè citat.

Non habemus Doctores in terris? Imò at etiam Doctorem habemus in cælis.

n falla-

ſallacibus abhorrere, & ad Catholicum cœtum, à quo illæ ſciſſæ ſunt, tanquam iuſtum menſorem intrepidè accedere iubet. Atq; hoc ipſum documentum Chryſoſtomus paulò ante quoq; Gentili ob diuerſas Scripturarum interpretationes ancipiti tradit: *Certè*, inquit, *non eſt viri accipere ſimpliciter omnia, quæ audit: at ſi iudicium habueris ac mentem, omninò quod bonum eſt ſcies. Filium dicimus nos* (Catholici) *& verè dicimus. Illi autem* (hæretici) *dicunt quidem, ſed non fatentur. Vt autem manifeſtiùs dicam. Illi habent quoſdam, à quibus appellantur; prout enim hæreſiarchæ nomen, ita & Secta vocatur. Nobis verò nullus Vir nomen dedit, ſed fides ipſa.* Sed cur hæc, & illa alia Chryſoſtomi verba, peſſimè fraudator, ſuppreſſiſti? ne turpem tuæ ſectæ & pulchram Eccleſiæ noſtræ effigem viuaciſſimè à Sancto Doctore depictam oſtentares. Nam & vos ab Eccleſia ſciſſi ab hominibus cognomen habetis; & Meiſnero Lutherus, tibi Caluinus, alijs alius doctrinæ Dux eſt. Nos vero à nullo viro, ſed à fide Catholica Catholici nominamur, & Pontificij ſeu Papiſtæ, ſeu Romanenſes, non ab hæreſum principibus, ſed ab ijs, qui præſunt & gubernant Eccleſiam, indigitamur. Nomen noſtrum accuſat vos, & nomina veſtra obturat. Non igitur nos, qui cum Chryſoſtomo ab Eccleſia nunquam ſciſſi ſumus, & antiquæ Eccleſiæ magiſterium veneramur, ſed vos, qui Eccleſia deſerta nouis Do-

Digitized by Google

ctoribus adhæretis, de falſa imaginatione, humaniſque commentis in Scripturarum explicatione, Chryſoſtomi iudicio ſuſpecti eſtis. Has ergo ſuſpiciones vt euitaret, Eccleſiæque Catholicæ in ſcripturis docendis auctoritatem deprimeret Fabricius, turpiter Chryſoſtomum mutilare voluit.

Ad alterum verò teſtimonium ex. 49. In Matthæum homilia productum. *Mandat Dominus, vt qui ſunt in Chriſtianitate, & volunt accipere firmitatem fidei veræ, ad nullam rem fugiant, niſi ad ſcripturas,* cùm non Chryſoſtomi, ſed hominis Arriani ſit, non eſt, quod repetam reſponſum Meiſnero ſuprà eiſdem verbis vaneglorianti à me datum. *Fund. 1. c. 1. arg. 2.*

Pergit igitur Fabricius à Chryſoſtomo ad Lactantium, eumq; in malæ cauſſæ patrocinium pari perfidia rapit. *Audiatur,* inquit, *ſuper hac re Lactantius. Quoniam multæ hæreſes extiterunt, & inſtinctu Dæmonum populus DEI ſciſſus eſt, determinanda nobis eſt veritas, & in ſuo domicilio collocanda, vt ſi quis aquam vitæ velit haurire, non ad detritos lacus deferatur, qui non habent venam, ſed vberrimum DEI nouerit fontem, quo irrigatus perenni luce potiatur.* O Prædicans plene dolo & fallacia, qui hæc verba eò refers, vt per veritatis domicilium, & vberrimum Dei fontem, ſcripturam à Lactantio deſignari, lectori perſuadeas, cùm Eccleſiam Catholicam ab eo ſignificatam illis verbis eſſe, meridiana *Lactant. l. 4. de vera ſapiẽ. c. 30.*

luce clarius ſit ex his, quæ paulò infra eodem loco poſt varias hæreſum ab Eccleſia diſcedentium, & Chriſtiano nomine amiſſo humana nomina induentium, cauſſas memoratas ſubiungit. *Sola igitur Catholica Eccleſia eſt, quæ verum cultũ retinet. Hic eſt FONS VERITATIS, hoc eſt Domicilium fidei, hoc templum Dei, quò ſi quis non intrauerit, vel è quo ſi quis exierit, à ſpe vitæ ac ſalutis æternæ alienus eſt.* Audis, doloſe corruptor, nullam vitæ ſalutiſq; ſpem ſupereſſe, niſi de Eccleſiæ fonte hauriatur, in hoc domicilio quæratur, in hoc deniq; templo fides veritáſq; diſcatur. Hic apertus Lactantij ſenſus eſt: alter tuus fucus eſt.

Quin imò, pergit Fabricius, *audiatur Leo Papa.* Quid ergo ille? *Quid iniquius, quã impia ſapere & ſapientioribus doctioribuſq; non credere? Sed in hanc inſipientiam cadunt, quicunq; ad cognoſcendam veritatem aliquo impedimento obſcuro, non ad Propheticas voces, non ad Apoſtolicas literas, non ad Euangelicas auctoritates, ſed ad ſeipſos recurrunt, & ideò Magiſtri erroris exiſtũt, quia veritatis diſcipuli nõ fuerunt.* Verba hæc ex Epiſt. decima Leonis Papæ ad Flauianum Conſtantinop. Epiſcopum contra Eutychetis perfidiam & hæreſin deſumpta, loco iuris Canonici notato recitãtur. Quid tu verò ex illis hîc, Fabrici, fabricas? An arietẽ, quo Eccleſię auctoritatem, traditionis robur expugnes? Fruſtrà es. Scripturarum auctoritas, contra impiam Eutychetis de vera Chriſti humanitate ſententiam in ipſis Scripturis clariſſimè confutatam, à Pon-

Cauſ. 24. q. 3. quod autem.

Pontifice commendatur, & Eutychetis ſupina imperitia, propriúſq; ſenſus damnatur. *Quam enim*, ſubiungit Leo, *eruditionem de ſacris noui & veteris teſtamenti paginis acquiſiuit, qui nec ipſius quidem Symboli initia comprehendit? Et quod per totum mundum omnium regeneratorum voce depromitur, iſtius adhuc ſenis corde non capitur?* Nec verò Eccleſiam de Scripturarum ſenſu conſulendam & audiendam negat Leo, qui initio nihil iniquius eſſe affirmat, quàm *impia ſapere & ſapientioribus doctioribúſque* (Eccleſiæ ſcilicet Paſtoribus, Patribus, Concilijs legitimis impietatem ex ſcriptura demonſtrantibus) *non credere.* Vnde & hic ipſe Pontifex Eutychetis errorem pluribus Epiſtolis condemnans, ſcripturæ firmamento perpetuam Patrum traditionem prædicationemq́ue ſæpiùs adiunxit. Ex multis duo do teſtimonia. *De Sacramento pietatis magnæ, in qua nobis per Incarnationem verbi Dei eſt iuſtificatio & redemptio, quæ ſit noſtra ex Patrum traditione ſententia, nunc ſufficienter (quantum arbitror) explicatum eſt: vt per inſinuationem præſulis veſtri, quid ſecundùm Euangelium Domini noſtri Ieſu Chriſti in omnium fideliũ cordibus fixum eſſe cupiamus, noſcatis.* Et alibi: *Meritò nos cognoſcimus fratribus & Coepiſcopis noſtris Orientalibus intimaſſe, quòd ſecundùm euangelicam & Apoſtolicã traditionẽ de Incarnatione Domini noſtri Ieſu Chriſti vna eſſet omnium noſtrum & indiſcreta confeſsio, neq; vllis eorũ diſputationibus detineri, vt aliter aliquid de ſummi & ſalutiferi ſacramenti veritate ſapiamus, q̃ & ex prædicatione Sanctorum Pa-*

Epiſt. 14 ad Archimandr.

Epiſt. 52 ad omnes Galliæ Epiſcop.

Digitized by Google

trum & ex auctoritate immutabilis ſymboli didicimus & docemus, damnatis ab vniuerſali Eccleſia, & nunc Eutyche, & antea Neſtorio Ità ergo ex Euangelicis Apoſtoliciſq; ſcriptis, vera Chriſti humanitas aſſerta eſt, vt hæreticis ſacra illa teſtimonia aliter contentioſè interpretãtibus, ſanctorum Patrum prædicatio, immutabilis ſymboli auctoritas, vniuerſalis Eccleſiæ ſententia, à ſancto Pontifice ad omnem controuerſiam de medio auferendam obiecta fuerit. An hoc eſt dicere? ſola ſcriptura adeatur, & Eccleſia prætereatur.

Poſt Leonem Prædicans producit Auguſtinum de obſcuris ſcripturæ locis ex Scriptura illuſtrandis ità pronuntiantem. *Hoc prædico, vt quæcunq; aperta & manifeſta deligamus, quæ ſi in Scripturis ſacris non inuenirentur, nullo modo haberemus, vnde aperirentur clauſa & illuſtrarentur obſcura* An hinc colligis, Fabrici, à quocunq; ſcripturam obſcuriorem ex clariori ſine Eccleſiæ ductu ſecuriſſimè explicari? aut in omnibus controuerſijs ſolam Scripturã, non Eccleſiam rectè conſuli? Falleris & fallis. Auguſtinus quarto illius lib. cap. cum Donatiſtis de Eccleſia Catholica ex ſolis ſcripturis diſputare conuenerat; ne ergo Donatiſtæ more ſuo obſcuriſſima quęq;, maximeq; ambigua loca in mediũ proferrent, cap. 5. prædicit atq; proponit, vt aperta ſolùm & manifeſta teſtimonia deligantur: cui enim fini proferantur obſcura, ſi clara deſint, quib' illuſtrentur, cùm ex ſolis ſcripturis lege diſputandum

De vnit. Eccl. c. 5.

dum ſit? Non ergo Eccleſiæ auctoritatē in obſcuris ſcripturę locis interpretandis hîc tollit Auguſtinus, ſed quia ſola ſcripturarum, non Eccleſiæ, quā contemnebant Donatiſtæ, auctoritate ex pacto dimicādū erat, ſi lucida nō ſuppetant, obſcura teſtimonia proſcribit. Quāti verò Eccleſiæ auctoritas in ijs pręſertim controuerſijs, quarum nulla, aut obſcura in ſcripturis definitio extat, facienda ſit, ſatis ſuperq; Auguſtinus in illo ipſo libro de vnit. Eccl. infrà cōtra errorē Donatiſtarū de Anabaptiſmo hæreticorū differens, hiſce verbis demōſtrauit. *Cùm in ſcripturis nō inueniamus aliquos ad Eccleſiam tranſiſſe ab hæreticis, & ſicut ego dico, aut ſicut tu dicis, eſſe ſuſceptos, puto ſi aliquis ſapiens extitiſſet, cui Dominus Ieſus Chriſtus teſtimoniū perhibet, & de hac quæſtione conſuleretur à nobis, nullo modo dubitare deberemus id facere, quod ille dixiſſet, ne non tā ipſi, q̃ Domino Ieſu Chriſto, cuius teſtimonio commendabatur, repugnare iudicaremur. Perhibet autem teſtimonium Chriſtus Eccleſiæ ſuæ. Ecce Euangelium lege, vbi ait: Oportebat Chriſtum pati &c. Quomodo ergo ſuſcepit iſta Eccleſia per omnes gentes incipientibus ab Hieruſalem, remotis omnibus ambagibus & tergiuerſationibus ſic ſuſcipiendus es. Quod ſi non vis, non mihi aut cuiquam hominum, qui vult ità ſuſcipere, ſed ipſi Saluatori contra ſalutem tuam pernitioſiſſimè reluctaris, qui te ſic ſuſcipiendum eſſe non vis credere, quemadmodum ſuſcipit illa Eccleſia, quam teſtimonio ſuo commendat ille, cui fateris nefarium eſſe non credere.* Vbi fucus Fabricij de ſola Scripturà, non etiam Eccleſiâ iudicio Auguſtini conſulenda?

De vnit. Eccleſ. c. 12.

Luc. 24. 26.

Am-

Digitized by Google

Ambroſij deniq; pro ſolis ſcripturis aduerſùs Eccleſiam hoc teſtimonium profert, ſed mutilum: integrum dabimus, omiſſa alius typus indicabit. *Multa obſcuritas in ſcripturis* Propheticis, *ſed ſi manu quadã mentis tuæ, ſcripturarum ianuam pulſes,* & ea, quæ ſunt occulta, diligenter examines, *paulatim incipis rationem colligere dictorum,* & *aperietur tibi non ab alio, ſed à Dei verbo,* de quo legiſti in Apocalypſi, quòd agnus librum ſignatum aperuit, quem nullus antè aperire poterat, *quia ſolus Dominus Ieſus in Euangelio ſuo* Prophetarum ænigmata *& legis myſteria reuelauit.* Ambroſij mens eſt ſcripturas Propheticas ex Euangelicis interpretandas, & veteris teſtamenti tenebras, noui luce pellendas eſſe. Hæc lux, primò ſcilicet ac præcipuè à ſolo Chriſto eſt, niſi enim ille mundo illuxiſſet, adhuc in tenebris & vmbra eſſemus; niſi ille doctrinæ ſuæ lucem ſparſiſſet, Apoſtoli & Eccleſia veritatis lumen non haberent. Nunc & Eccleſia in Apoſtolis *lux mundi* à Domino nominata, cùm ſcripturæ lucem hæretici in tenebras vertunt, depulſis erroris tenebris veritatis radios emittit. Solus ante omnes Chriſtus habuit clauem, qua clauſa myſteria reſeraret: at illam deinde Apoſtolis eorumq; ſucceſſoribus, qui Eccleſiam gubernant, dedit, vt aperirent occluſa. Quare Ambroſius mox illis à Fabricio recitatis hæc verba ſubiecit. *Solus Chriſtus ſcientiæ clauim detulit, & dedit aperire nobis.* Cur Prædicans iſta omiſiſti?

In Pſal. 118. ſer. 8. circa finem.

Digitized by Google

miſiſti? fraudem tuam prodere noluiſti. Iam patet; audis quid dicat Ambroſius? Chriſtus clauem ſcientię, quā cœlo ſolus detulit, nobis dedit, ad ſenſum ſcripturarū aperiendum; *nobis*, Eccleſiæ ſcilicet rectoribus, Epiſcopis, Apoſtolorum, qui primi eam à Chriſto acceperunt, veris ſucceſſoribus, in quorū numero & Ambroſius fuit. Sed mirum, quàm Eccleſiæ Catholicæ, hoc eſt, Paſtorum præſidúmq; illius magiſteriū, animum Fabricij cruciet. Cœtui enim Epiſcoporum, qui Eccleſiā gubernant, nomen Eccleſiæ Catholicæ inuidet, nomēq; magiſterij, ſuperbiæ prætextu funditùs ſublatum cupit. Auguſtini aliqua teſtimonia, in quibus Eccleſia pro toto fidelium cœtu accipitur, profert. Quis hoc neſcit, aut negat? Hoc doceat ex Auguſtino Prædicans, cùm dicitur Eccleſia docere, iudicare, definire, cùm de publico Eccleſiæ magiſterio ſermo eſt, Eccleſiam pro omnibus fidelibus, non pro fideliū Præſidibus ſumi. Cùm dicuntur Epiſcopi *regere Eccleſiam*, plebs Chriſtiana intelligitur; cùm Eccleſiæ ligandi atq; ſoluendi, partes audiendi, ſententiam ferendi, docendi poteſtas data dicitur, de Prælatis ſermo eſt. *Si eos*, teſtes ſcilicet, *non audierit, dic Eccleſiæ*, inquit Chriſtus. Cui Eccleſiæ? *Præſulibus ſcilicet atque Præſidentibus*, interpretatur Chryſoſtomus. Sed iſte Tribunus plebis, vt hæreticis formidabilem Paſtorum Eccleſiæ poteſtatem effugiat, magiſterij auctoritatem

Act. 20. 28.

Math. 18. 17.

Hom. 61. *in Math.*

Digitized by Google

ritatem omnibus de plebe fidelibus defert. *Magiſterium*, inquit, *Eccleſiæ Catholicæ eſt non Pontificum, non Doctorum, ſed omnium ſanctorum & fidelium doctrina, qui fuerunt & erunt. At Ieſuita nomine Eccleſiæ Catholicæ nihil aliud ſignificare vult, quàm viſibilem ſuorum Epiſcoporum turmam* Sudes in oculis Fabricii ſcilicet, eſt viſibilis Epiſcoporum cœtus non modò noſtrorũ, ſed etiam eorũ, qui per omnes ętates retrò ante noſtros vixerũt; ſcit enim ſibi ab illis nigrũ theta imminere. Ad plebẽ vniuerſã ꝓuocat; & tamẽ nec hanc ſibi fauentẽ ante Lutheri tẽpora vllam oſtendere, ſed tantùm occultã & inaſpectabilẽ quandã turmam fingere poteſt. Sed quid ego infame hoc Paradoxũ de auctoritate docendi atq; iudicandi omni populo conceſſa pluribus perſequor,? quod Fabricij in hac pugna commilito Meiſnerus tam claro pronunciato alio damnat. *Paſtorum Eccleſiæ*, inquit ille, *tanquam miniſtrorum eſt de contro-*
Th. 37. *uerſiis ex Scriptura publicè iudicare.*

Sed Fabricius contra Paſtores Epiſcopos in aciẽ producit Tertullianũ. *Notandum ex Tertulliano. Eccleſia Catholica, inquit, nõ eſt numerus Epiſcoporũ.* Libet tibi Prædicans dicere, ꝙ olim S. Pacianus Nouatianis: *Tertullianus poſt hæreſin veſter eſt, nam multa inde ſumitis.* Librum de Pudicitia Tertullianus in hæreſin ꝓlapſus ſcripſit; in eo Montani errorẽ de non recipiendis mœchis & fornicatoribus defendit; poteſtatẽ dimittendi peccata non penès Apoſtolicum, hòc eſt, Romanum

Tract. ad verſ. Nouat.

Epi-

Epiſcopum Catholicamq; Eccleſiã, ſed in ſpirituali Eccleſia Montani tantùm eſſe contendit. Quare ait: *Eccleſia quidẽ delicta donabit, ſed Eccleſia Spiritus, per ſpiritualẽ hominẽ, non Eccleſia numerus Epiſcoporũ.* Nimirum tũ Tertullianus hæreticorũ more Spiritum S. à totius Eccleſiæ Epiſcopis in Montanũ & pauculos illius aſſeclas immigraſſe; ſuam paucorũ, non Catholicam omniũ Gentium toto orbe diffuſam verã Eccleſiã eſſe iactabat. Quid ergo Prædicãs hoc teſtimonio, quo ille ꝓ damnata hæreſi aduerſus veram Eccleſiã etiã aduerſariorum iudicio pugnauit, gloriatur? ſimiles ſcilicet reperêre labra lactucas. Diſſimulo malã Fabricij fidem in Tertulliani verbis recitandis: non enim dixit Tertullianus, vti ex eo refert Fabricius: *Eccleſia Catholica non eſt numerus Epiſcoporum,* ſed: *non Eccleſia numerus Epiſcoporum.* De ſuo ſubdolè vocem *Catholica* intruſit Prædicans. *l de Pudic. c. 21.*

Inſanæ Fabricii nugæ contra Magiſterium Præſium Eccleſiæ pro ſumma populi libertate. §. III.

NOn ſolùm autem *Eccleſia Catholica, ſed Magiſterium* quoq; Magiſtello Fabricio ſtomachum mouit. Primùm quidem de ea voce tanquã modeſtiore ſibi vanè gratulatur; mox verò tanquã ſuperbiſſimam obliterari & *Miniſterij* nomine corrigi deſiderat, nam Prædicantibus minimè difficile eſt ſimul flare & ſorbere. Audiamus vanam gratulationem. *Inſuetum,* inquit Fabricius, *nec hactenus auditũ*

ex Pontificijs humile loquendi genus. Medium cognoſcendi veritatem eſt Magiſterium Eccleſiæ: quandoquidem aliàs dicere ſoleant, auctoritatem illud eſſe medium, vtpote Pontifex ad probandas ſuas interpretationes nullis legibus ſe aſtrictum glorietur. Ac paulò pòſt: *Deo laus, quòd Eccleſia Romana non ampliùs ſe velle fidem ex auctoritate imperare polliceatur, verùm docere, quin imò interpretando Scripturas.* Sua figmenta, non Eccleſiæ Romanæ promiſſa iactat barbarus Prædicans. Magiſterium Eccleſiæ Catholicæ, pars magna auctoritatis illius eſt. Eccleſia, vti alia, ità & docendi munus ſingulari auctoritate obit. Tantum enim ſapientiæ teſtimonium à Chriſto illa habet, vti paulò ſuprà ex Auguſtino audiuimus, vt de illius ſententia, quam inquæſtionibus controuerſis conſulta pronuntiat, dubitare nullo modo debeamus, ne ipſi Saluatori, qui illam tantoperè commendauit, contra ſalutẽ noſtram perniciofiſſimè reluctemur. Hæc eſt magiſterij Eccleſiæ auctoritas. Quid ergo exultas Prædicans, quaſi magiſterij nomine à me auctoritas deprimatur? Annon paulò infra tu ipſe de me ais? *Proculdubio Ieſuita per Magiſterium Eccleſiæ Catholicæ, cui adiudicat ius interpretandi, intelligit ſummam auctoritatem.* Omninò ſummam externam & ſpectabilem intelligo: nam internum & occultum Spiritus Sancti magiſterium in illuminandis, ſiue ad credendum ſingulis fidelibus, ſiue ad docendũ totius Eccleſiæ præſulibus, longè ſcientia ſuperemi-

eminet. Quis enim dubitet & Spiritum Sanctum, *qui poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam*, & Chriſtum, *qui illam acquiſiuit ſanguine ſuo*, Epiſcopos dignitate ac poteſtate plurimùm antecedere. Chriſti & Spiritus Sancti propria; Epiſcoporum autem, ex Chriſti & Spiritus Sancti liberaliſſimo dono omnis eſt auctoritas. Non repugnat Chriſti & Spiritus Sancti magiſterio, Eccleſiæ magiſterium, ſed ſubiectum inſeruit. Vana igitur & calumnioſa etiam illa Fabricij cenſura eſt. *Quòd ſi fortaſſe Ieſuita ab heſterno die errorem cæterorum corrigat, & Magiſterium intelligere velit miniſterium, fateor ex animo, penes Eccleſiam Orthodoxam eſſe miniſterium interpretandi Scripturas.* Nihil corrigo, niſi errorem Prædicantis; qui tam ſtupidus eſt, vt Magiſterij auctoritatem & miniſterij demiſſionem coniungere neſciat. Nónne Chriſtus à diſcipulis Magiſter & Dominus benè vocatus eſt, erat etenim; & tamen ad miniſtrandum ſe veniſſe dixit? Nónne Paulus & Magiſter Gentium, & Dei miniſter fuit? Nónne ille idem ait datos eſſe à Deo *Doctores ad opus Miniſterij*? Epiſcopos plebis Chriſtianæ magiſtros, & Dei, imò & plebis miniſtros eſſe nihil repugnat: & ſummus Epiſcopus ſeruum ſeruorum Dei ſe nominare non erubeſcit, Sed quid multa? Tricis iſtis hoc vnum quærit Fabricius, vt tale ſiue ſummi Epiſcopi, ſiue omnium Eccleſiæ Epiſcoporum ſit magiſterium, cuius iudicio non debeant parere, ſed poſſint libe-

Act. 20. 28.

Io. 13. 13

Matth. 20. 28.

Eph 4. 11. 12.

Digitized by Google

rè contradicere Prædicantes. Vult id, quod à ſummo Eccleſiæ Antiſtite, aut magno Epiſcoporũ concilio in cauſa fidei iudicatum eſt, tanq̃ dubium & incertum à quouis præcone, imò cerdone, ad ſcripturæ libellam pro libito examinari, probari, improbari, vt liberè ſcilicet, ac impunè hæreſis vagetur. *Ideò,* inquit Fabricius, *monet Paulus*: Prophetias ne pro nihilo habete, omnia explorate, quod bonũ fuerit, retinete. *At Eccleſia Romana ſummum Ius interpretandi ſibi vendicans, prohibet ſerium illud examen ex Scripturis.* De interpretationibus priuatis, dubiisq; loquitur Paulus: eas probari iubet, & ſi quidem bonæ, hoc eſt, ſcripturis & ab Eccleſia probatæ doctrinæ conformes repertæ fuerint, teneri. Bonas interpretationes, quales haud dubiè totius Eccleſiæ ſunt, non probãdas, ſed tenendas eſſe docet Apoſtolus. Quâ ergo fronte colligit Fabricius etiam Apoſtolorũ, deinde ſummorũ Pontificũ, aut plenorũ Conciliorũ ſententias tanquã incertas, à quouis plebeio ad examẽ reuocandas & cẽſendas eſſe? Supremũ ius interpretãdi ſcripturas ſacras optimo iure, Chriſti auctoritate, & ſummus Põtifex Petri ſucceſſor, & tota Eccleſia in magno Cõcilio cõgregata habẽt; nõ ſibi arrogãter vendicãt. Temerariũ, non ſeriũ eſt Examen, velle vnũ aliquem homunculũ, ex ſcripturis quouis modo intellectis, totius Eccleſiæ, quam Spiritus S. perpetuò omnem veritatẽ docet, ſententiam in dubi-

1.Theſſ. 5.20.21.

um

um adducere, vel demùm etiam erroris inſimulare. Serium examen, quale Theſſalonicenſes, aut Bœroenſes poſt fidem Paulo prædicante cum omni auiditate ſuſceptam, in quotidiana Scripturarũ ſcrutatione adhibuerunt, nõ vetat Eccleſia. Non illi Pauli doctrinam, cui indubitatam iam fidem dederant, tanquam dubiam aut incertam in Scripturis examinabant, ſed eam perfectiùs intelligere, atq; in ea confirmari ſedula Prophetarum lectione cupiebãt. *Volebãt enim,* inquit Chryſoſtomus, *& à ſeipſis certiſſimã perſuaſionẽ habere de paſſione, iã enim crediderãt.* Et Oecumenius: *Magis in fide confirmabantur, dum ſcrutarentur ſcripturas, & quæ de diſpenſatione incarnati verbi dicebantur, veterũ ſcriptis conſentanea reperirẽt.* Profectus fidei, nõ erroris metus, cauſa illis legendi ſcripturas fuit. Aliter ante, aliter poſt fidẽ ſuſceptã ſcripturæ ſcrutãdæ ſunt. Antè, cũ ſcripturę teſtimoniis fides ſuadetur, vt fidẽ generẽt; pòſt verò, vt animũ in fide roborent atq; confirmẽt. Somniũ eſt Prædicantiũ, Paulum auditoribus ſuis dediſſe poteſtatẽ, ità doctrinam à ſe prædicatam examinandi, vt ſi ipſorum iudicio proprio videretur ſcripturis contraria, liberè illis eam repudiare liceret. Aliter Paulus: *Tenete traditiones, quas didiciſtis ſiue per ſermonem, ſiue per Epiſtolam noſtram.* Et, *ſi quis non obedit ſermoni noſtro per Epiſtolam, hunc notate.* Et quid volunt ſibi in Eccleſiam licere Prædicantes, quod in ſe ſuis auditoribus non permittunt? Verba illis dant:

Act. 17. 11.

Hom. 37. in acta.

2. Theſſ. 2. 14.

2. Theſſ. 3. 14.

nam

nam ſi poteſtate promiſſa auditores vtantur, & eorũ doctrinam examine facto damnent, anathema audiunt. Ad ſcripturas illos amandant, ea tamen lege, vt illorum debeant in illis intelligendis ductum
Theſ. 37. ſequi. *Deus*, inquit Meiſnerus, *ex ſcriptura per Miniſtros de omnibus controuerſijs certum & infallibile fert iudicium, vbi tamen ſimul ab auditoribus requiritur, vt exemplo Beroenſium diligenter inquirant ipſi, ſcripturas conſulant, & ex ijs ſe informari patiantur.* Ità ſcilicet Miniſtrorum certum & infallibile eſt ex ſcriptura iudicium, vt niſi illo ex ſcripturis ſe informari patiantur auditores, pertinaciæ damnentur. Ità ſibi Prædicantes ius ſuperbè arrogant, quod in Eccleſia Catholica, quæ Chriſti munere illud iuſtè poſſidet, tantoperè calumniantur. *Ego*, ait Lutherus in fine libri de ſeruo arbitrio, *in hoc libro non contuli, ſed aſſerui & aſſero, & penès nullum volo eſſe iudicium, ſed omnibus ſuadeo, vt præſtent obſequium.* Hæc eſt illa blanda falláxq; libertatis promiſſio, qua multi ab honeſta Catholicæ Eccleſiæ obedientia abſtracti, in turpem Prædicantium captiuitatem abducuntur.

Imperita Meiſneri figmenta contra ſcripturam & Patres, de nimiâ Eccleſiæ ſeueritate in hæreticos.

§. IV.

SEd eo quoq; nomine libertinis iſtis exoſum eſt Eccleſiæ Magiſterium, quòd hæretici ſeueriùs

Digitized by Google

riùs ab Eccleſia coërceantur, & ad officium compellantur: imò etiam à Regibus Principibúſq; Chriſtianis grauiùs multẽtur. Oderunt nempe mali iſti diſcipuli ferulam boni Magiſtri. *Coactiua deciſio eſt,* ait Meiſnerus, *cùm non tantùm Controuerſiæ diiudicantur, ſed etiam controuertentes coguntur ad fidem amplectendam, vel ità compeſcuntur, vt ipſi deſinant ſuos errores defendere, aut niſi hoc faciant, occiduntur & è medio tolluntur. Hæc illa cruenta eſt litium terminatio in Papatu vſitata, quam ſub Magiſterio Eccleſiæ conſentientis occultant.* Cogi ad fidem errantes, compeſci hæreſin docentes, tolli obſtinatos ægrè fert, & crudelis ſæuitiæ Eccleſiam accuſat Prædicans. Vellet lupos, fures, latrones impunè nocere, rapere, necare. Quo colore? *Apoſtoli*, inquit, *non aliter controuerſias terminarunt, quàm per promulgationem veræ ſententiæ ex ſcripturis deductæ.* Imperite Prædicans, nónne verbo Paulus Elymam Magum, qui quærebat auertere Proconſulem à fide, coecauit? & Petrus Ananiam Deo mentientem necauit? nónne idem Petrus, vt S. Maximi verbis vtar, *precatione ſancta vicit Simonis magicam leuitatem, & velut vinctum illum de ſublimi aëre depoſuit, & quodam præcipitio in ſaxo cadens, eius crura confregit?* Sed etſi Apoſtoli ſeueram Regum in hæreticos animaduerſionem non poſtularint, an inde colliges, Meiſnere, nec poſteà talem Eccleſiæ licuiſſe poſtulationem? Cum Donatiſtis colligis: quàm benè, ex Auguſtino accipe. *Quod dicunt, qui contra ſuas impietates, leges iuſtas*

Th. 37.

Act: 13. v. 11.

Act: 5. v. 5.

Digitized by Google

conſtitui nolunt, non petiſſe à Regibus terræ Apoſtolos talia, nõ conſiderant aliud fuiſſe tunc tempus, & omnia ſuis temporibus agi.
Epiſt. 50 ad Bonif. *Quis enim tunc in Chriſtum crediderat Imperator, qui ei pro pietate contra impietatem leges ferendo ſeruiret, quãdo adhuc illud Propheticum implebatur; Aſtiterunt reges terræ & Principes conuenerunt in vnum, aduerſus Dominum & aduerſus Chriſtum eius. Nondum autem agebatur, quod paulò pòſt in eodem pſalmo dicitur: Et nunc reges intelligite, erudimini qui iudicatis terrã. Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Quomodo ergo Reges Domino ſeruiũt in timore, niſi ea, quæ contra iuſſa Domini fiunt, religioſa ſeueritate prohibendo atq; plectendo? ſicut ſeruiuit Darius, idolum frangendum in poteſtatem Danieli dando, & inimicos eius Leonibus ingerendo. Sicut ſeruiuit Nabuchodonoſor, omnes in regno ſuo poſitos à blaſphemando Deo lege terribili prohibendo. In hoc ergo ſeruiunt Domino Reges, in quantum ſunt reges, cùm ea faciunt ad ſeruiendum illi, quæ non poſſunt facere, niſi reges.* Vides, Meiſnere, quàm ſit infirmũ tuũ aduerſùs Eccleſię ſeueritatẽ ab Apoſtolis ductum argumentũ? Enimuerò etiã Chriſti & Pauli Apoſtoli exemplo ac monitis, Eccleſiam hæreticos rectè ad reditum cogere in eadem Epiſtola diſertè docet Auguſtinus: *Vbi eſt,* inquit, *quod iſti clamare conſueuerunt, liberum eſt credere, vel nõ credere,* (& Meiſnerus; ſolius Dei eſt conſcientias cogere) *Cui vim Chriſtus intulit? quem coegit? Ecce habent Paulũ Apoſtolum, agnoſcant in eo priùs cogentem Chriſtum, & poſteà docentem: priùs ferientem, & poſteà conſolantem. Cur ergo non cogeret Eccleſia perditos filios, vt redirent, ſi perditi filij coegerunt illos,*

los, vt perirent? Etiam hinc enim non abſurdè intelligitur illa Apoſtolica ſententia, vbi Paulus beatus dicit: Parati vlciſci omnē inobedientiam, cùm completa fuerit prior obedientia veſtra: *Vndè & ipſe Dominus ad magnam cœnam ſuam priùs adduci iubet conuiuas, poſteà cogi. Nam cùm ei ſerui ſui reſpondiſſent: Domine factum eſt, quod iuſſiſti, & adhuc eſt locus. Exite, inquit, in vias & ſepes, & quoſcunq; inuenceritis, cogite intrare. In illis ergo, qui leniter primò adducti ſunt, completa eſt prior obedientia. In ijs autem, qui coguntur, inobedientia coercetur. Quapropter ſi poteſtate, quam per religionem ac fidem regum, tempore, quo debuit, diuino munere accepit Eccleſia, hi, qui inueniuntur in viis & ſepibus, hoc eſt, in hæreſibus & ſchiſmatibus, coguntur intrare, non quia coguntur, reprehendant, ſed quò cogantur, attendant.* Ità Auguſtinus Eccleſiæ coactionem Chriſti & Apoſtoli patrocinio firmat. Qua ergo fronte audet Meiſnerus de antiqua Eccleſia dicere? *Eandem praxin primitiua Eccleſia in Concilijs congregata obſeruauit, quæ ex ſacris literis errores confutauit, diſſentientes tamen nec ad fidem coegit, nec ob pertinaciam vita priuauit.* Imò ſemper Eccleſia hæreticorum pertinaciam etiam ſeuerè, &, vt Auguſtinus loquitur, *corripiendo, degradando, excommunicando, cæteriſq; coercitionibus licitis atq; conceſſis* caſtigauit. *Plurimos,* inquit S. Leo Ep. 2. ad Epiſc. Italiæ, *impietatis Manichææ ſequaces & Doctores, in vrbe inueſtigatio noſtra reperit, vigilantia diuulgauit, auctoritas & cenſura coercuit; quos potuimus emendare, correximus, & vt damnarent Manichæum cum prædicationibus & diſciplinis ſuis, publica in*

2. Cor. 10. v. 6.

Poſt collat. cont. Donat. c. 4.

Eccleſia profeſſione, & manus ſuæ ſubſcriptione Compulimus, *& ita de voragine impietatis ſuæ confeſſos, pœnitentiã concedendo leuauimus. Aliquanti verò, qui ita ſe demerſerunt, vt nullum his auxiliandis poſſet remedium ſubuenire, ſubditi legibus ſecundùm Chriſtianorum principum conſtituta, ne ſanctum gregem ſua contagione polluerent, per publicos iudices perpetuo ſunt exilio relegati.* Ac paulò pòſt; *Aliter nobis commiſſos regere non poſſumus, niſi eos, qui ſunt proditores & proditi, Zelo fidei Dominicæ perſequamur, & à ſanis mentibus, ne peſtis hæc latiùs diuulgetur, ſeueritate, quâ poſſumus, abſcindamus.* Nimirum quod multò antè Tertullianus dixerat: *ad officium hæreticos compelli, non illici dignum eſt. Duritia vincenda non ſuadenda.*

In ſcorp. initio

Capitis ſententiam in hæreticos quidem pro ſua lenitate Eccleſia nec tulit vnquam, nec ferendã à Principibus poſtulauit: latam tamen ab illis iuſtã cenſuit & probauit. Conſtantinus Donatiſtas capitis demnauit: diſplicuit eorum Epiſcopo Parmeniano tam graue ſupplicium. *Quin etiam*, ait Auguſtinus, *audet conqueri Parmenianus, quòd eos Conſtantinus ad campum, id eſt, ad ſupplicium duci iuſſit.* At verò quid ad hanc querelam reſpondet ſanctus Doctor? *Quid enim*, inquit, *non iſti iuſtè patiuntur, cùm ex altiſſimo Dei præſidentis, & ad cauendum ignem æternum flagellis talibus admonentis iudicio, patiantur & merito criminum, & ordine poteſtatis? priùs enim probent ſe non eſſe hæreticos vel ſchiſmaticos, tum demùm de indignis pœnis ſuis liuidam emittant vocem, tum demùm ſeſe audeant, cùm mali aliquid patiuntur, veritatis martyres dicere.* Et alibi quàm

L. 1. cont. Epiſt. Parmen. c. 7.

Digitized by Google

quàm breuiter & ſolidè querelam iſtàm confutat? *Videtis*, inquit, *qualia faciunt & qualia patiuntur? Occidunt animas, affliguntur in corpore: ſempiternas mortes faciunt, & temporales ſe perpeti conqueruntur.* *Tract. 11 in Ioan.*

Priſcillianum & perſecuta eſt Eccleſia, & Maximus Imperator enſe ſuſtulit. Hieronymi vox eſt: *Quid loquar de Priſcilliano, qui & ſeculi gladio, & totius orbis auctoritate damnatus eſt.* Et S. Leo non tantùm mitiorẽ Eccleſiæ, ſed etiam ſeueriorem Principis rigorem approbat. *Meritò Patres noſtri*, inquit, *ſub quorum temporibus hæreſis hæc* (Priſcilliani) *nefanda prorupit, per totum mundum inſtanter egêre, vt impius furor ab vniuerſa Eccleſia pelleretur, quando etiã Principes mundi ità hanc ſacrilegam amentiam deteſtati ſunt, vt auctorem eius, ac pleroſq; diſcipulos legum publicarũ enſe proſternerent. Videbant enim omnem curam honeſtatis auferri, omnem coniugiorum copulam ſolui, ſimulq́; diuinum ius humanumque ſubuerti, ſi huiuſmodi hominibus vſquam viuere cum tali profeſſione licuiſſet. Et profuit diu iſta diſtrictio Eccleſiaſticæ lenitati, quæ etſi ſacerdotali contenta iudicio cruentas refugit vltiones, ſeueris tamen Principum conſtitutionibus adiuuatur, dum ad ſpirituale nonnunquam recurrunt remedium, qui timent corporale ſupplicium.* *Ad Cteſiph. cont. Pelagianos.* *Ep. 93. ad Turibium.*

Marculum & Donatum hæreticos Donatiſtas cùm Macarius præfectus vltimo ſupplicio affeciſſet, factum eius à Donatiſtis reprehenſum acriter Moſis, Phinees & Heliæ exemplis S. Optatus defendit, ac demùm, *Videtis*, ait, *à Moſe, & Phinee, & Elia, & Macario ſimilia eſſe facta, quia ab omnibus vnius Dei præcepta ſunt vindicata?* *l. 3. cont. Parmen.*

Digitized by Google

Habes, Meiſnere, de antiquioribus ſeculis tria Chriſtiani Magiſtratus à Sanctis Patribus ob extremam in hæreticos vindictam laudati exempla. Mera ergo tua figmenta ſunt, quæ de veteris Eccleſiæ blandiſſima praxi fabularis. Nimirum vti Agar Saræ, ità hæreſis Eccleſiæ duriorem correctionem fugit, & auerſatur. Rectè Eccleſia pertinaces hæreticos ſeueriùs tractat: ſed iſti malè Eccleſiæ corrigenti reluctantur. Vera Eccleſia non tantùm perſecutionem iniuſtam patitur, ſed etiam iuſtam Saræ exemplo facit. *Nam ſi Eccleſia vera*, vt doctè argumentatur Auguſtinus, *ipſa eſt, quæ perſecutionem patitur, non quæ facit, quærant ab Apoſtolo, quam Eccleſiam ſignificabat Sara, quando perſecutionem faciebat ancillæ. Liberam quippe matrem noſtram, cœleſtem Hieruſalem, id eſt, veram Dei Eccleſiam, in illa muliere dicit fuiſſe ſignificatam, quæ affligebat ancillam. Si autem meliùs diſcutiamus, magis illa perſequebatur Saram ſuperbiendo, quàm illam Sara coercendo: illa enim Dominæ faciebat iniuriam, iſta imponebat ſuperbiæ diſciplinam.* Noli ergo de ſeueritate Eccleſiæ conqueri, Prædicans; plus hæreſis Eccleſiam ſuperbiendo, quàm Eccleſia hæreſin coërcendo perſequitur. Sequatur immorigera ancilla bonum Angeli monitum, & ad Dominam ſub manu illius humilianda reuertatur.

Ep. 50. ad Bonif.

Impe-

Digitized by Google

Imperitia Fabricii in Oſea contra Eccleſiam Catholicam producto, & Meiſneri in Pontificem calumniæ. §. V.

SEd audiamus deniq; alias inaniſſimas querulorum Prædicantium aduerſus tutiſſimum Eccleſiæ magiſterium querelas. Scire admodùm cupiunt, quis Catholicæ Eccleſiæ nomine bonus magiſter intelligatur. An Patres, an Concilia, an Pōtifex? Quoduis dicamus, calumnijs pugnant, aut turpem fugam meditantur. Ac Fabricius quidē primùm ad quorumcunq; magiſterium reijciendum viam ſibi muniens, totam Eccleſiam viſibilem errandi periculo ſubiectam eſſe contendit. *Magiſteriū,* inquit, *viſibilis Eccleſiæ non eſt norma & Canon veræ interpretationis.* Quid ità? *Quia illa Eccleſia poteſt deuiare à via veritatis, ſic, vt à filiis Deum patrem verè amantibus reprehendi, & in viam veritatis reuocari debeat. Oſe. 2. 1. Contendite cum matre veſtra, contendite ipſam non eſſe vxorem meam, vt amoueat ſcortationes & adulteria à conſpectu ſuo, & adulteria ſua è medio vberū ſuorum.* Sed quibus filiis, de qua matre loquitur Propheta? pijs filijs Iuda, de duarum tribuum Synagoga magnam partem idololatriæ ſcelere contaminata: Prædicans verò pro ea, qua in Scripturis intelligendis valet, perſpicacià, id ſibi ſuisque Symmiſtis de Eccleſia Catholica dictū à propheta eſſe commētatur. Dignū Prædicante commentū, vt quæ de Synagoga, imò particula illiꝰ dicta ſunt, ad Catholicā

Chriſti

Chriſti Eccleſiam accomodet. O miſeros, qui aduerſùs bonam totius Eccleſiæ Chriſtianæ fidem nihil, niſi Iudaicæ perfidiæ è ſcripturis teſtimonia proferre poſſunt. Nullum certè Catholicæ Eccleſiæ periculum erroris imminet, ab illo Prophetico dicto, quod ſolum tantus ſcripturæ magiſter promere potuit, vt Eccleſiam in erroris ſuſpicionem adduceret. Poſſent contrà non pauca clariſſima ſacrarum litterarum, pro Catholicæ Eccleſiæ ſumma in rebus fidei & illæſa integritate teſtimonia produci: quia tamen hîc non de vniuerſæ Eccleſiæ ſecuriſſima fide, ſed de magiſterij, quod non penès totum fidelium cœtum eſt, inconcuſſa auctoritate cum Prædicantibus diſceptatur, hanc nunc contra illorum criminationes tueamur, ſed breuiter: nam & de Romano Pontifice, & de Concilijs, & de Patribus in ſingularibus infrà fundamentis propria diſputandi occaſio dabitur. Vnanimis Patrum conſenſus, & Generalis Concilij ſententia de aliquo ſcripturæ ſenſu ad fidei dogma, aut bonos mores pertinente, aut de ipſo fidei dogmate, apud omnes Catholicos indubitatam omninò, hoc eſt, illam habet auctoritatem, vt nec omnes Patres, nec totius Eccleſiæ Epiſcopi cum ſummo Pontifice, in plenario Concilio de re fidei conſentientes, vllo modo errare poſſe cenſeantur. De ſolius porrò ſummi Pontificis in controuerſijs fidei definiendis auctorita-

ctoritate non omnium eadem eſt penitus ſententia. Magnam eſſe omnes Catholici fatentur; maior meliorq; pars Doctorum, & olim, & hodie prorſus indubitatam, & ab omni erroris periculo alienam eſſe affirmat; pauci aliqui alij tam certam eſſe negant. Habetis Prædicantes ſententiam noſtram de Eccleſiæ magiſterio: Catholicum dogma eſt, Patrū omnium conſenſum & Concilij maioris decretum omnis erroris periculo carere: talem quoq; ſolius ſummi Pontificis auctoritatem eſſe certior plurium ſententia eſt, in quam ſi nolunt Prædicantes concedere, eo ſolo nomine illos hæreticos minimè compellabimus. Sed illis, nec ſummi Pontificis, nec generalis concilij, nec omnium Doctorum ſatis tutum probatumq́; magiſterium eſt. Non loquor de noſtræ ætatis Pontificibus, Doctoribus, Synodis, etſi iure poſſem, ne calumnientur iſti, Aduerſarios ſibi iudices dari, ſed de iis, qui multis retrò, imò primis ſeculis ante nos & iſtos vixerunt. De antiqua Eccleſia ſecundum hoc fundamētum loquitur: qui cū illius ſummis Paſtoribus, Patribus, Conciliis conſentit, verè Catholicus cœtus; qui diſſentit, meritò hæreticus habetur. Sed quibus tum calumniis, tum effugiis triplex illud antiquæ Eccleſiæ magiſterium declinant Prædicantes? De Conciliis tacet Meiſnerus: Fabricius exclamat non eſſe ſecurum medium cognoſcendi veritatem: *Quia*, in-

Digitized by Google

quit, *Concilia etiam vniuerſalia errarunt. At hæc materia tractanda in refutatione fundamenti ſexti.* Intereà nos quoque dictum hoc pro calumnia habebimus.

Th. 37. De ſummo Pontifice hæc eſt Meiſneri aduerſùs nos querela. *Summ Pontificem vnicè intelligunt, quando ſe magiſterium Eccleſiæ in Scripturis interpretandis ſequi prætendunt. Quidquid enim ille decernit, & prout ipſe verbum Domini exponit, id illis Sacroſanctum eſt, & tenaciſſimè credunt.* Aperta calumnia: nos enim non vnicè Pontificem, ſed cũ illo, vel maximè Conciliorũ & Patrum conſenſum, quem in ſuis decretis ferendis ante oculos Pontificem habere diligenter oportet, intelligimus. Nemo Catholicus dicit ſummi Pontificis qualemcunque ſententiam, quam etiam aduerſùs apertas ſcripturas, conſtantem Eccleſiæ traditionem, Conciliorum & Patrum vnanimem ſenſum ferat, recipiendam eſſe. Sed meliùs de ſummo Paſtore ominamur,

Ep. 55. ad Cornel. cùm Cypriano teſte *ad Romanos perfidia habere non poſſit*

Ep. 190. ad Innoc. *acceſſum,* & Bernardi iudicio *ibi non poſſit fides ſentire defectum, quia nulli alteri ſedi dictum eſt: Ego pro te rogaui, vt non deficiat fides tua.* Pontificis ergo, tanquam ſummi Sacerdotis, vocem, cùm de ſcripturæ ſenſu, aut dogmate aliquo grauis controuerſia in Eccleſia fuit, omnis antiquitas ſemper eſt venerata. Cur non illam ſequamur? *Hoc certè,* inquit Meiſnerus, *nihil aliud eſt, quàm iuxta priuatum ſenſum interpretari, & fidem ſuam à priuato vnius hominis iudicio, vel potiùs præiudicio ſuſpen-*

Digitized by Google

ſpendere. Ergóne Deus quoque hominum fidem olim à priuato vnius hominis iudicio ſuſpendit, cùm in legis ſanctæ controuerſijs ſummum Sacerdotem eos audire, eiúſque ſententiæ parere ſeueriſſimè edixit? Publici iudicis non eſt priuatum iudicium: Summus Eccleſiæ Epiſcopus poteſtatem à Deo accepit, lites in Eccleſia obortas diiudicandi: non homo ſpectandus, ſed munus illi à Deo commendatum, quo dum fungitur, non hominis priuati, ſed ſupremi in terris iudicis partes agit. Parent membra capiti, & vnum cum illo ſentiunt; quod ſummus Pontifex ex officio publicè docuit, ſemper Eccleſia credidit, & Pontificis ſententia, non vnius hominis, ſed totius Eccleſiæ ſententia habita eſt. Ad Antonianum Cyprianus ſcribit, ſe eius literas ad Cornelium Romanum Epiſcopum miſiſſe, *vt omni ſollicitudine depoſita iam ſciret, Antonianum ſecum, hoc eſt, cum Eccleſia Catholica communicare.* Ep. 52. Ergo iam antiquitùs tanta Romani Pontificis fuit auctoritas, vt eius ſententia non priuata, ſed totius Eccleſiæ, & qui cum Pontifice, cum tota Eccleſia communicare cenſeretur. Tantum non tribuit ſummo Pontifici Meiſnerus, ſed eum, tanquam ad errandum cæterorum more admodùm procliuem, audiendum negat. *Neque enim*, inquit, *attendit vel Scripturam, quam putat eſſe ambiguam, vel Concilia, quibus ſe ſuperio-*

orem iactitat, vel Patres, quos negligi poſſe, ſi ipſis commodum videatur, contendunt diſt. 19. can: ſi Romanorum. Tres in vna ſententia calumniç. Attendit Pontifex & Scripturã, & Concilia, & Patres, nec niſi ijs diligentiſſimè conſultis, controuerſiam fidei definit. Quid, Meiſnere, per ambiguam, qualem à Pontifice vis haberi ſcripturam, intelligis? An vis eum ſcripturam pro dubia & incerta habere, nec ei certam fidem adhibere? putida calumnia eſt. An ſcripturam ſubinde difficilem & obſcuram ab illo iudicari indicas? quid criminis eſt, quod de Pauli Epiſtolis Petrus cenſuit, Petri ſucceſſorem de ſcripturis ſentire? An verò ideò, quia difficilem putat ſcripturam Pontifex, illam non attendit? hæc calumnioſa conſequentia eſt. Quibus deinde Concilijs ſuperiorem ſe iactitat Pontifex? An ijs, quæ illum præceſſerunt? conuitium eſt. Imò illa reuerenter ſuſcipit, atq; contra eorum in fide decreta, ſibi nec quicquam licere confitetur. Concilijs, quæ ſub ipſo ſiue vniuerſim, ſiue partim in Eccleſia congregantur, ſe ſuperiorem non arroganter iactitat, ſed modeſtè ex diuino munere profitetur. Et quæ vnquam legitima Concilia, Pontificem ſuum præſidem & caput non agnouerunt? Quos deniq; Patres Pontifex negligit, aut negligi poſſe, cùm libuerit, contendit? An ab Eccleſia ſemel receptos & approbatos? An in rebus fidei conſentientes? An ſcripta illorum pro legi-

legitimis ſemel habita? Meræ contumeliæ. Vti veræ ſcripturæ à ſpurijs ſolo Eccleſiæ iudicio internoſcuntur; ità qui Patres, quæ eorum legitima ſcripta ſint, ex Eccleſiæ teſtimonio diſcimus. Patres omnes Eccleſiam, eiuſq; ſummum Antiſtitem ſummè venerati ſunt, & ſe ſcriptaq; ſua illius iudicio modeſtiſſimè ſubmiſerunt. Quorum ergo Patrum ſcripta pro germanis habita & approbata initio ſunt ab Apoſtolica ſede, &, quæ illi adhæret, Catholicâ Eccleſiâ, illa hodie quoq; à Pontifice & Catholicis probatiſſima habentur. Defertur illis etiam hodie à Pontifice eadem, quæ olim ab anteceſſoribus, reuerentia. Nam veluti Canon à Meiſnero nominatus loquitur. *Romanorum Pontificum decreto opuſcula tractatorum approbantur vel reprobantur itá, vt quod verè ſedes Apoſtolica probauit, hodie teneatur acceptum, & quod illa repulit, inefficax habeatur.* Meriſſimum ergo Meiſneri conuitium eſt, eoſdem Patres à Pontificibus hodie probari, cras improbari: nam quod olim probatum, hodie tenetur acceptum, quod olim reiectum, nec hodie recipitur. Patrum fides illæſa ſemper apud nos manet, hoc eſt, quod Patres omnes, vel plures perpetua ſuccedentium annorum ſerie, in fidei dogmatibus tenuerunt & docuerunt, noſtra adhuc tenet & docet, ſeduloque conſeruat Eccleſia. Quod vnus, aut pauci, aut non à maioribus acceptum tradiderunt, tantæ auctoritatis

d. 10. cã. ſi Romanorum.

Digitized by Google

tis nunquam fuit, vt indubitatè reciperetur. Hæc fides Patrum eſt minimè fallax, cùm, vt ait Auguſtinus, *quod inuenerunt in Eccleſia, tenuerunt: quod didicerunt, docuerunt: quod à Patribus acceperunt, hoc filijs tradiderunt.* Quid ergo hîc Meiſnerus Duræo impudentiæ notam impingit, quòd ſcripſerit: *Patres non cenſentur Patres, cùm ſuum aliquid, quod ab Eccleſia non acceperunt, vel ſcribunt, vel docent.* Dicat etiam Auguſtinum erubeſcere debuiſſe, cùm illa de diu propagata, non nuper inuenta Patrum doctrina ſcriberet. Imò quis impudentior Prædicantibus, à quibus Patres non cenſentur Patres, cùm id, quod ab Eccleſia acceperunt, ſcribunt, aut docent? Non enim tantùm Pontificis ſententiam, ſed & omnium Patrum conſenſum à certa veræ interpretationis norma excludunt. *Nemo*, edicit Tridentina Synodus antiquitatis exemplo, *ſuæ prudentiæ innixus, in rebus fidei & morum ad ædificationem doctrinæ Chriſtianæ pertinentium, ſacram ſcripturam contra vnanimem conſenſum Patrum interpretari audeat.* Audent Prædicantes, ſi illorum cerebello Patres vniuerſi verum ſcripturæ ſenſum attigiſſe non videantur. Nolunt omnibus in vnum aliquem ſcripturæ ſenſum coniurantibus Patribus credere, ſi ipſis alius arrideat. Ideò vel maximè Meiſnerus & Fabricius Patrum Magiſterium fugiunt, ne pertinaci ſuo ſenſu deiecti ad veritatem compellantur. Audiamus delira effugia.

Lib. 2. contra Iulian. Pelag.

In Defen. Campiani cont. VVittak. rat. 5.

Seſſ. 4. decreto de edit. & vſu ſac. libr.

Præ-

Digitized by Google

Prædicantium delira effugia ad Patrum conſenſum declinandum: Fabricij etiam in eundem finem in Patribus impoſtura. §. *VI.*

P*Atres*, ait Meiſnerus, *Canon & norma veræ interpretationis conſtitui nec poſſunt, nec debent.* Quamobrem? *Si enim, cùm adhuc nulli Patres eſſent, Chriſtiani Scripturas Apoſtolicas rectè intelligebant, ſenſum ex ipſa lectione & litera capientes, cur quæſo nunc adeò ſit obſcura, vt nemo illam de rebus fidei loquentem abſque Patrum commentarijs intelligere queat?* Cùm Apoſtoli interris degerent, ipſos ſcripturæ conditores, vt viuos interpretes, de ſcripturæ ſenſu conſulere potuere Chriſtiani: poſt Apoſtolos nulla ætas Patribus caruit. Nunquam ſine Doctoribus ſcripturas intelligere didicerunt fideles. Meiſnerianum figmentum eſt, Chriſtianos ſuopte Marte ſenſum ex lectione & litera ſine Magiſtris cepiſſe. Et ſi vſqueadeò vſquequaque in rebus fidei clara eſt ſcriptura, vt à quouis fidelium, nullo præeunte Doctore, intelligi facillimè queat, cui bono Doctores? quid magno ſumptu aluntur Prædicantes? quid tantas librorum moles Lutherus, Philippus, Bucerus, Brentius, alij, ſcripturæ ſacræ vero ſenſui enucleando congeſſerunt? Tales ſunt ſagittæ Prædicantium, vt intrent in corda ipſorum. Sed pergat Meiſnerus contra Patres excipere *Annon idem de Patri-*

tribus, quod de Scriptura reponi poſſet, nimirum illos exponi iuxtà priuatum ſenſum? ſatis certè teſtantur hoc Pontificij pro libitu corrigentes, caſtrantes & varia commenta excogitantes, vt Patres in ſuas partes pertrahant. Pro argumento calumniam iam ſuprà in primo fundamento protritam reponit Prædicans. Non poteſt de Patrum vnanimi cõſenſu reponi, quod de ſcriptura dicitur: clarior eſt ille, quā vt priuato ſenſu turbari poſſit. Sint Patres aliqui, ſint aliqua Patrũ dicta obſcuriora, vt variè accipi poſſint, nec immeritò Cõmentariis illuſtrentur; non de iſtis ſermo eſt, cùm certiſſimum tutiſſimũque Patrum magiſterium proponimus. Clarus Patrum conſenſus in aliquo ſcripturæ ſenſu, aut fidei dogmate aſſerendo prædicatur, quem nec vos negare poteſtis, ſed ſequi non vultis. Dicite tantùm, nemini fas eſſe Scripturam contra vnanimem Patrum conſenſum interpretari, & hac veſtra profeſſione contenti erimus. Sed faciliùs ex pumice aquam, quàm hanc ex Prædicantibus profeſſionem eliciemus: vident enim hac profeſſione Confeſſionem ſuam in extremum diſcrimen adduci.

Vltimum ergo Meiſneri effugium ſpectemus. *Adde*, ait, *quòd Patres omnes de omnibus non ſcripſerint, nec omnium ſcripta habeantur, & quæ habentur, ſæpe ſint ſuppoſititia ac adulterata, quòd rariſſimè conſentiant, ſæpiſſimè loquantur perplexè dubieq́ꝫ, vt profectò nullus ſcripturæ ſenſus ſit futurus, ſi ex Patrum conſenſu dependeat.* Inaniſſimum effugium: quid enim

enim hæc omnia ad apertum de aliquo ſcripturæ ſenſu Patrum conſenſum? Non ſuppoſititijs Patrũ ſcriptis, non dubijs & perplexis dictis, non vnius aut paucorum ſententiâ vos vrgemus. Vnanimem Patrum conſenſum, cùm præſtò eſt, ſequimini: alias ſcripturæ ſententias, quarum nec ex Patrum traditione, nec Eccleſiæ definitione certus ſenſus habetur, liberum eſto vobis quouis modo, qui tamen nulli fidei veritati ex ſcripturarum auctoritate & Patrum traditione receptæ repugnet, interpretari. Videte quàm leniter, quàm apertè abſq; fuco vobiſcum agamus. Sed libet Meiſnero calumnias calumnia, vt exitus initio reſpondeat, concludere. *Merus igitur fucus eſt, quando de ſcriptura iuxta Patres exponenda rhetoricantur aduerſarij. Eo enim fine faciunt, vt ab ipſa nos abducant, & ſe in vaſto Patrum caſtratorum Oceano occultare queant.* Non à ſcriptura, ſed à veſtris delirijs ad ſapientes Patrum commentarios vos abductos cupimus: nec Patres caſtramus, ſed veſtra manu crudeliter ſectis integritatem reddimus. Sunt huius crudelitatis complura exempla in Heilbrunneriano Codice nuper in lucem protracta, & Fabriciani cultri quàm ſæua acies eſt? Merus igitur fucus eſt, cùm de ſcriptura iuxtà Patres exponenda adeò tergiuerſatur Meiſnerus: eo enim fine facit, vt nos à Patribus abducat, & veteri hæreticorum more, in vaſto ſcripturæ à Luthero caſtratæ Oceano, peſtilens hæreſeos virus occultare queat.

Digitized by Google

Sed iam quibus argumentis Fabricius magiſterium Patrum impugnet, breuiter diſcutiamus. 1. *In exponenda ſcriptura*, inquit, *infinita propè varietate laborant.* Quid hoc contra Patrum in certo aliquo ſenſu concordiam? ſint varij in quibuſdam Scripturæ locis explicandis; cùm in eandem alicuius loci explicationem conſentiunt, neceſſariò ſequendi proponuntur. 2. *Sæpè aberrant à vero.* Hic aut ille, eſto; an omnes in vnam ſententiam conuenientes erroris ideò damnare audeat vnus Prædicans? *At Papiſtæ*, obijcit Fabricius, *ſolummodóne tunc ſequuntur Patres, dū aliquid ſimul pleno conſenſu docent? quandoquidem omnia Papiſtarum ſcripta teſtantur, quòd interdum nullius, interdum vnius & alterius opinionem ſequuntur, etiamſi alij & meliores Patres ab eo diſſentiant.* Cùm ſalua fide variæ inter Patres ſententiæ ferūtur, liberum eſt hunc aut illum, plures aut pauciores ſequi; cùm in re fidei omnes idem dicunt, ab illorum conſenſu recedere minimè licet. Oſtende nos, Fabrici, omnibus Patribus idem ſentientibus reluctari, quod tu tuiq; liberè ſoletis. Aliàs in his vel illis, cùm non omnium eadem mens eſt, ſequēdis, noſtram libertatem nec vobis inuidemus. 3. *Obſcuriores ſunt Scripturâ, à qua lucem ſuis ſcriptis mutuantur, vt à ſole clariſſimo.* Quando obſcuriores ſunt? an cùm Scripturæ loca difficilia declarant? quis hoc niſi inſanus Patrum calumniator dicat? cùm dogmata, de quibus controuerſia in Eccleſià fuit, ſcripturarum teſtimo-

teſtimoniis apertiſſimis confirmãt, ſententiam antè minùs notam & claram, ſcripturæ auctoritatibus notiorem clarioremq́; efficiunt. Ità Athanaſius, cùm ſententiã de diuinitate & incarnatione Chriſti creditu difficiliorem & obſcuriorem Machario prolixiùs expoſuiſſet, eum ad ſacras literas, quæ diuinæ & humanæ Chriſti naturæ luculentiſſima teſtimonia perhibent, in fine Tractatus ablegat. *Tu autem ex his occaſione ſumpta, ſi diuinas literas legeris, eisq́; diligenter applicaueris animum, diſces ex eis planiùs atq; perfectiùs eorum, quæ diximus, veritatem. Illæ enim à Theologis ac Dei Spiritu plenis hominibus conſcriptæ ſunt.* Cùm hæc verba recitaſſet Fabricius, hanc collectionem ſubiũgit. *Proinde ſcripturæ ſunt clariores, quàm Commentaria Patrum.* Vaniſſime diſputator, non mittit Athanaſius Macharium à ſuis, aut Patrum in ſcripturam Commentarijs, ſed à Tractatu de incarnatione Chriſti ex Patrum ſententia conſcripto ad ſacras literas, quarum teſtimonijs certior, quàm Patrum diſputationibus de incarnatione Domini redderetur. *Nos*, addit Athanaſi⁹ verbis iam iã recitatis, *quæ ab ipſarum peritis Doctoribus, qui Chriſti martyres fuêre, didicimus, ea tuæ induſtriæ ac dilectioni gratè communicauimus.* Certiores ergo ſemper ſunt ſcripturę Patrum dictis; quædam clariores ſimplici Patrum aſſertione, ad eam probandam adhibendæ: quędam obſcuriores lucidiori Patrũ expoſitione illuſtrãdę. 4. *Patres ipſimet fatẽtur ſe multa ignorare in ſcriptura.*

lib. 2. de Incarnatione in fine.

Auguſtinus: in ipſis ſcripturis multò plura neſcio, quàm ſcio. Non habentur hæc Auguſtini verba Epiſt. 109. quam ad marginem Fabricius notat, ſed Ep: 119. cap: 21. Quid verò inde colligis Prædicans? An ſcripturam, ſi ità vni alicui capiti videatur, contra Patrum conſenſum eſſe interpretandam? Colligere debuiſſes; ergo Patres Prædicãtibus fuerunt modeſtiores; ergo non tam facilis ſcriptura eſt, vt à quauis etiam aniculâ ſine negotio lecta intelligi poſſit. Contra Prædicantium ſuperbiam & vulgi temeritatem multùm: contra vnanimem Patrum conſenſum nihil modeſtiſſima hæc Auguſtini confeſſio pugnat.

Aug: Ep: 109.

5. *Patres ſæpe non admodùm accuratè ſacras literas tractarunt.* Veritatem putemus hoc conuitium. Quid tum? ergo concors omnium Patrum expoſitio alicuius loci ſcripturæ, accurata non erit? Digna tali fabro conſequentia, nec indigna hæc antecedentis de minùs accuratis quibuſdam patrum commentarijs probatio. *Auguſtinus de Purgatorio & oratione pro mortuis, quodammodo & alios, & ſe nimia amoris abundantia erraſſe fatetur, vt quando de amicis & de chariſſima matre Monica cogitat. Hieronymus ait, ſibi Commentarios quoſdam in ſacros libros excidiſſe, ſe eos fudiſſe potiùs, quàm ſcripſiſſe.* O impudentem calamum! in toto Hieronymi contra Heluidiũ libro, nec verbum eſt de commentarijs, quos fuderit, aut qui illi exciderint. Et vbi Auguſtinus in Enchiridio fatetur, ſe & alios quodammodo de purgatorio

Auguſt: in Euchirid. ad Laurent. Hieronymi. contra Helvidium.

gatorio & òratione pro mortuis ex amòris abundantià erràſſe? cur caput libri nullum ſignàſti Fabrici? non paſſa eſt fraudis conſcientia. Auguſtinus c. 109. ac ſequenti, de purgatorio & mortuorum ſuffragiis diſſerens, illud, & hæc defendit; nihil de ſuo aut aliorū errore, nihil de amicis, nihil de matre Monica meminit. Sed opponet fortaſſè Prædicans prima illa capitis 112. verba: *Fruſtra itaq; nonnulli, imò quamplurimi æternam damnatorum pœnam, & cruciatus ſine intermiſſione perpetuos humano miſerantur affectu, atq; ità futurum eſſe non credunt.* Nihil hæc Prædicantem iuuant ad fraudem tegendam. Diſputat ibi Auguſtinus aduerſùs illos, qui negabant damnatorum pœnas æternas futuras, ſed Dei miſericordià tandem finiendas contendebant. Horum errorem, cùm præcedenti capite poſt reſurrectionem, & impiorum ſupplicium, & iuſtorum præmium æternum fore aſſeruiſſet, firmis ex ſcriptura argumentis refutat. Sed quid hoc ad excuſandum Fabricij mendacium? Aliud eſt fateri ſe & alios erraſſe de purgatorio & oratione pro mortuis ex nimio amore, quod Auguſtino nequiter imponit Fabricius: aliud eſt, quoſdam ex humana miſeratione etiam inferni ſupplicium temporale fingentes, acriter refutare, quod facit cap. 112. Auguſtinus. Inſpiciat Lector nominata capita, & turpiſſimam Fabricij fraudem manibus tanget.

Digitized by Google

CAPVT. II.

FABRICII ALIÆ QVÆDAM IMposturæ circa Traditiones, Scripturam, eiusq; interpretationem perſtringuntur.

QVod omnibus hæreticis commune eſſe, ſecundi fundamenti initio dicitur, vt ſcripturam ſpreta Eccleſia iactent, hoc Fabricius gnauiter hic præſtat. Poſteaquam enim in Eccleſiæ auctoritatem calumnioſiſſimè declamauit, de ſola Scriptura conſulenda, de illius claritate, de modo illam rectè legendi, & intelligendi, multa, intermiſtis more ſuo non paucis in ſacras traditiones noſtramque Eccleſiam conuitiis, & Patrum corruptionibus, confuſiſſimè garrit. Nos errata Prædicantis ordine quodam ſtrictim perſequemur.

Mos eſt Prædicantium antiquus, vt ad errores ſuos probandos plurima conquirant ſcripturæ & nonnulla Patrum teſtimonia, quæ ſi rectè perpendantur, nō illorum erroribus, ſed veritati inter nos & illos minimè controuerſæ confirmandæ idonea reperiuntur. In promptu exemplum eſt. Fabricius demonſtrare conatur ſolam ſcripturam pro cognitione veritatis conſulendam eſſe, nec traditioni diuinæ non ſcriptæ, quippe quæ nulla ſit, nec Eccleſię, niſi

niſi Scripturas, quin niſi interpretationem ſcripturæ expreſsè in Scriptura ipſa extantem proferenti, fidem vllam adhibendam eſſe. Quibus verò argumentis ad hoc demonſtrandum utitur? Iis præſertim, quæ monſtrant ſcripturam certiſſimam, ſumma fide dignam, omni humana auctoritate ſuperiorem, diligenter voluendam eſſe, & ſi quæ alia ſunt eiuſmodi, quæ omnia de ſcriptura apud nos quoq; indubitata habentur. Talia ergo complura ſiue ex Scripturis, ſiue ex Patribus petita teſtimonia, quibus id, quod extra litem, non quod in lite eſt, Prædicans confirmat, non tangemus; id enim, quod ex iis ſequitur, vltrò fatemur. Si ſuum verò ex illis errorem inferre velit Prædicans, operæ pretium non eſt omnia enumerare, vt tot ridiculas conſequentias exſibilemus. Illa tantùm, quæ propria eſſe, & ad id, quod negamus, ſtabiliendum propiùs accedere videntur, nec tam aperto conſequentiæ vitio laborant, excutiemus.

Inſcitè & abſurdè ab abſurdo contra Traditiones argumentatur Fabricius. §. I.

PRo ſola Scriptura contra diuinas traditiones ex ratione ab abſurdo & Patrum auctoritate argumentatur Prædicans. Ratione ex Philoſopho ità pugnat. *Ariſtoteles. III. Politicorum ait, quòd iudicium ſit lex particularis, lex verò iudicium vniuer-*

vniuerſale. Iam quod eſt lex in Rep: ſeculari, id eſt ſcriptura ſacra in Eccleſia. Atqui lex in Repub: dirigit iudicium iudicis forenſis, tãquam norma, quam ille ſequi debet; ita ſcriptura ſacra dirigit Eccleſiæ iudicium, tanquam regula certiſſima. Vult Fabricius ſcripturam non ſolùm certam, ſed etiam vniuerſalem regulam eſſe iudicij Eccleſiæ, ſicut lex teſte Ariſtotele eſt iudicium vniuerſale, ſeu vniuerſalis norma politici tribunalis. Imperita comparatio & infirma collectio. Legis & verbi Dei iuſta collatio & firma collectio foret. Non ſolùm ex lege ſcripta, ſed etiam gentium more publicaq; conſuetudine, quæ pro lege eſt, iudicatur. Quid ergo à lege abſolutè ſumpta, quæ & ſcripto ſignatas, & conſuetudine firmatas leges complectitur, ad ſcripturam ſacram tranſilit Prædicans? ad verbum Dei ſiue ſcriptum ſcilicet, ſiue traditum, ſi rectè comparare & colligere voluiſſet, transferre argumentum debuiſſet. Quid verò abſurdi eſt, ſi & diuina lex non ſecùs ac humana partim ſcripto, partim traditione conſtet? *Docent Pontificij,* ait Prædicans, *in ſcripturis non omnia fidei myſteria contineri, ſed Chriſtum promiſiſſe Spiritum, qui paulatim deducturus erat Pontifices in omnem veritatem, ſuggerendo huic Papæ purgatorium, alteri Miſſam pro defunctis, alteri inuocationem ſanctorum. Hæc ſunt ſcilicet, quæ Apoſtoli ferre non poterant, quorum proinde doctrina reſeruata eſt Pontificibus. Itaq; in duobus ſtatuitur magiſterium Eccleſiæ: in ſcripturis interpretandis, & rebus fidei declarandis ſiue per ſcripturas,*

ſiue

ſiue per traditiones, quas pari auctoritate colendas, vt ſcripturas, cenſent Pontificij. Vnde fumus ille abyſſi d. 19. Inter canonicas ſcripturas Decretales Epiſtolæ connumerantur. At verò hoc non eſt ab abſurdo argumentari, ſed abſurdiſſimè ſimul ac imperitiſſimè calumniari. Inſcitia eſt, traditionum diuinarum nomine intelligere nouas Eccleſiæ leges, & Pontificum decreta; calumnia eſt, nos ꝑ diuinis traditionibus habere, quæ Apoſtolis nimis grauia & ignota, à poſterioribus Pontificibus paulatim Spiritus S. ductu reperta ſint; crimen falſi eſt, decretales Epiſtolas in diuinorum librorum numero à Pontifice cenſeri. Traditio diuina dicitur, quæ aut Chriſti ore Apoſtolis, aut Spiritu S. dictante ab Apoſtolis, tanquam Dei verbum, ſine ſcripto fidelibus promulgata continua ſucceſſione ad nos vſq; peruenit. Alia Apoſtolorum, Conciliorum, Pontificum ſtatuta, Canones, Decreta, ſancta laudabiliaq; habentur, pro Dei verbo non venditantur. Claram Tridentinæ Synodi ſententiam de diuinis traditionibus, Fabricianæ calumniæ opponamus. Ità ergo illa in Seſſ: 4. decernit. *Sacroſancta Oecumenica & Generalis Synodus in Spiritu S. legitimè congregata, præſidentibus in ea eiſdem tribus Apoſtolicæ ſedis legatis, hoc ſibi perpetuò ante oculos proponens, vt ſublatis erroribus, puritas ipſa Euangelij in Eccleſia conſeruetur, quod promiſſum antè per Prophetas, in ſcripturis ſanctis Dominus noſter Ieſus Chriſtus Dei filius, proprio ore primùm promulgauit, de-*

Diſt. 19. can. In Canonicis.

ſ *inde*

inde per ſuos Apoſtolos tanquam fontem omnis & ſalutaris Veritatis, & morum diſciplinæ, omni creaturæ prædicari iuſsit, perſpiciensq; hanc veritatem & diſciplinam contineri in libris ſcriptis, & ſine ſcripto traditionibus, quæ ipſius Chriſti ore ab Apoſtolis acceptæ, aut ab ipſis Apoſtolis Spiritu S dictante, quaſi per manus traditæ, ad nos vſq; peruenerunt, Orthodoxorum Patrum exempla ſecuta, omnes libros tam veteris, quàm noui Teſtamēti, cùm vtriusq; vnus ſit auctor, nec non traditiones ipſas tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, tanquam vel oretenus à Chriſto, vel à Spiritu S. dictatas & continua ſucceſsione in Eccleſia Catholica conſeruatas, pari pietatis affectu ac reuerentia ſuſcipit ac veneratur. Diſce Fabrici, quid de Traditionibus diuinis doceamus & calumniam, quam euomuiſti, reſorbe. Non docemus diuinas traditiones à Spiritu Sancto poſt multa ſecula, huic aut illi Pontifici primò ſuggeſtas eſſe, ſed ex Chriſti ore ab Apoſtolis acceptas, aut Spiritu Sancto dictante ab Apoſtolis, quaſi per manus continua ſucceſſione ad nos vſque delatas, pari cum Scripturis reuerentiâ ſuſcipimus ac veneramur. Magnum inter diuinas & Eccleſiaſticas traditiones diſcrimen eſſe nouimus, & tam parùm has illis, quàm ſcriptas Eccleſiæ aut Pontificum leges diuinis ſcripturis adnumeramus. Nec verò eſt, quod nobis inſultet Fabricius fumiuendus illo fumo abyſſi ex Diſt. 19. *Inter Canonicas Scripturas Decretales Epiſtolæ nuncupantur.* Verba enim iſta non ſunt Canonis ad marginem à Prædicante notati,

tati, ſed rubricæ ſeu tituli à Canonum collectore illi Canoni præfixi. Quare non Iuris Canonici, ſed Fabricij fumus iſte eſt, qui errorem aliquem Collectoris pro fumo Canonici Iuris vendit. Errauit verò Collector, quia Canonem ex S. Auguſtini lib. 2. de doctrina Chriſtiana cap. 8. mendoſe exſcribens, Auguſtinum de diuinis ſcripturis & de Eccleſijs Apoſtolicis loquentem, de iuris Canonici ſcriptis, & Epiſtolis decretalibus Apoſtolicæ ſedis accepit. Auguſtinus enim *diuinarum ſcripturarum ſolertiſſimum indagatorem* ad Canonicarum ſcripturarũ ſedulam lectionem cohortatus, hanc ei Canonicorum librorum dignoſcendorum regulam tradit. *In Canonicis autem ſcripturis Eccleſiarum Catholicarum quamplurium auctoritatem ſequatur, inter quas ſanè illæ ſunt, quæ Apoſtolicas ſedes habere, & accipere epiſtolas meruerunt.* Loqui verò Auguſtinũ de verè diuinis ſcripturis, patet ex ſacro Canone, quem eodẽ loco infrà ſigillatim de verè diuinis libris contexit. Ad diſcernẽdas ergo veras diuinas ſcripturas ab Apocryphis, ſequendã dicit Auguſtinus auctoritatẽ plurium Catholicarũ Eccleſiarum, quales cumprimis ſunt, quæ ab Apoſtolis gubernatæ, aut eorundem epiſtolis inſtructæ fuere, vt Hieroſolymitana, Antiochena, Alexãdrina, Romana, Epheſina, Corinthiaca, Coloſſenſis. &c. Hui⁹ loci verò vltima verba Cõpilator ità deſcripſit & Iuri Canonico inſeruit: *Inter quas ſanè illæ ſunt, quas*

lib. 2. de doctrina. Chriſt. c. 8.

Apoſtolica ſedes habere, & ab ea alij meruerunt accipere Epiſtolas. Hac vitioſa deſcriptione, & aliena vocis, *Canonicis* acceptione, contra apertum germanæ lectionis ſenſum pro Apoſtolicæ ſedis Epiſtolis inter Canonicas, hoc eſt, iuris Canonici ſcripturas numerandis, Auguſtini auctoritate vſus eſt. Neq; enim Collector vocem *Canonicis*, vt illum etiam calumniatur Prædicans, ad diuinas literas, ſed ad Iuris Canonici volumen ſignificandum adhibuit, qui eo loco Decretalibus Epiſtolis non diuinarum ſcripturarum, ſed Canonici iuris auctoritatem conciliare propoſitum habuit. Ergo nec Auguſtini, nec Catholicorum error, ſed Gratiani hæc qualis qualis deceptio, fortean ex mendoſo Codice Auguſtini, quod Bellarminus cenſet, nata, & craſſus Fabricianæ abyſſi fumus eſt.

l. 2. de concil. c. 12.

Fabricij in ſex Patribus contra Traditiones citandis multiplex fraus & corruptela. §. II.

SEd iam hominis fidem in Patrum teſtimonijs aduerſùs traditiones diuinas pro ſola ſcriptura proferendis, experiamur. Sparſim in ſua confuſa acie quatuor è Latinis, è Græcis duos Patres nullo noſtro, ſuo magno malo collocat. Primus Latinorum Tertullianus, cuius iſtas voces tanquam fulmina Prædicans vibrat. *Aufer hæreticis, quæ cum Ethnicis ſapiunt, vt de ſcripturis ſolis quæſtiones ſuas ſiſtant, & ſtare*

Lib. de Reſurr. carnis.

Digitized by Google

re non poterunt. Et, *Adoro ſcripturæ plenitudinem.* Verùm quid hæc aduerſùm ſacras traditiones, quæ contra Scripturarum inimiciſſimas hæreſes reſurrectionem carnis, & creationem rerum de nihilo pernegantes, dicta ſunt? Tam manifeſtè ſcilicet à Scripturis aſſeritur carnis reſurrectio, vt impudens ſit hæreticus, qui cum Ethnicis ex ſenſu argumentari audeat contra mortuorum reſurrectionem, cùm ſtare non poſſit, ſi ab humanis ſenſibus ad ſcripturas reuocetur. Et mundi ex nihilo fabricatio, quam Hermogenes impugnabat, pleniſſimè traditur in Scriptura, vt eius rectè in hac re plenitudo adoretur. Sic ergo Prædicans ex Tertulliano ratiocinatur: Reſurrectio carnis, & mundi creatio ex ſolis Scripturis Tertulliani iudicio pleniſſimè noſcuntur, ergo omnia, quæ creduntur, ſolis ſcripturis teſtata ſunt, ergo nihil credendum, quod ſcriptura nō apertè tradit, ergo nulla eſt traditionis auctoritas. Ipſe Tertullianus quàm clarè huiúſce ratiocinationis ſtoliditatem arguit, cùm alicubi complures Chriſtianę diſciplinæ ritus enumerans, ità demùm pro traditione concludit? *Harum & aliarum eiuſmodi diſciplinarum, ſi legem expoſtules ſcripturarum, nullam inuenies; traditio tibi prætendetur auctrix, conſuetudo confirmatrix & fides obſeruatrix.*

Lib. contra Hermog c. 22.

Lib. de Corona militis. c.4.

Alter eſt Ambroſius, cuius hæc verba recitat, *Fides inprimis Eccleſiæ quærenda, in qua ſi Chriſtus habitat, haud*

Amb in Luc. l.6. c.9.

Digitized by Google

haud dubiè legenda, & in ea ſic commentatur Fabricius. *His verbis ſignificat, antequam in aliquam Eccleſiam pedem inferamus, petendum, quid credat, & medium cognoſcendi, an benè credat, eſſe ſcripturam ſacram, in qua legi debet, quod Eccleſia credendum dicit.* O perfidum commentatorem, qui alienum & à ſe confictũ ſenſum peſſimâ fide Ambroſio imponit. Nihil hìc Ambroſi9 de ſacris ſcripturis, nihil de fide Eccleſiæ in libris legenda, ſed prudenter eligenda. Fraudulenta interpretatio eſt, vocem illam *legenda*, quâ vſitato ſenſu apertè electionem ſignificat Ambroſius, ad lectionem librariam transferre. Senſus Ambroſij eſt, fidem Eccleſiæ quærendam, & Eccleſiam, in qua Chriſti habitatio eſt, haud dubiè eligendam eſſe. Hanc mentem Ambroſij & fraudem Fabricij clariſſimè produnt, quæ antecedunt eo loco, & ſequuntur. Antè enim Ambroſius de illis Chriſti apud Matthæum verbis: *In quamcunq; Ciuitatem intraueritis, interrogate quis dignus ſit, & ibi manete, donec exeatis*, ſic diſſerit. *Nec otioſè ſecundùm Matthæum domus, quam ingrediuntur Apoſtoli, eligenda decernitur, vt mutandi hoſpitis neceſſitudiniſq; violandæ cauſa non ſuppetat. Sed hæc, vt ſecundùm literam de hoſpitij religione venerabilis eſt forma præcepti, ea etiam de myſterio ſententia cæleſtis arridet. Etenim cùm domus eligitur, hoſpes inquiritur. Videamus ne fortè Eccleſia præferenda deſignetur, & Chriſtus. Quæ enim dignior domus Apoſtolicæ prædicationis ingreſſu, quàm ſancta Eccleſia. Aut quis præferendus magis omnibus videtur eſſe, quàm Chriſtus?*

Digitized by Google

ſtus? Qui pedes ſuis lauare conſueuit hoſpitibus, & quoſcunque ſua receperit domo, pollutis non patiatur habitare veſtigiis, ſed maculoſos licet vitæ prioris, in reliquum tamẽ dignatur mutare proceſſus. Hic eſt igitur ſolus, quem nemo deſerere debet, nemo mutare. Cui bene dicitur: Domine ad quem ibimus: Verba vitæ æternæ habes, & nos credimus. Vides executorem cœleſtium præceptorum, qui, quoniam non mutauit hoſpitium, cœleſtis conſortium conſecrationis emeruit. Cùm ergo præceptum Domini de hoſpitio ab Apoſtolis eligendo ac tenendo, verbis iſtis Ambroſius myſticè ad hoſpitium Eccleſiæ cum hoſpite Chriſto eligendum, & Petri exemplo nunquam ab Apoſtolicis prædicatoribus mutandum retuliſſet, hanc ſubijcit concluſionem. *Fides igitur inprimis Eccleſiæ quærenda mandatur, in qua ſi Chriſtus habitator ſit, haud dubiè ſit legenda. Sin verò populus perfidus, aut præceptor hæreticus deformet habitaculum, vitanda hæreticorum communio, fugienda Synagoga cenſetur.* Ac paulò pòſt: *Si quæ eſt Eccleſia, quæ fidem reſpuat, nec Apoſtolicæ prædicationis fundamenta poſſideat, ne quam labem perfidiæ poſſit aſpergere, deſerenda eſt.* Quis, obſecro, & ex capitis ſcopo, & ex toties iteratis de Eccleſia ſancta Chriſti eligenda, præferenda, non mutanda; hæreticorum verò Synagoga vitanda, fugienda, deſerenda, locutionibus non facilè conijciat, quo ſenſu Ambroſius dixerit, Eccleſiam, in qua Chriſtus habitator ſit, haud dubiè eſſe legendam, quantùmque fucum Fabricius, ſuum de librorum ſacro-

cro-

Digitized by Google

crorum lectione commentum allinens, fecerit. At eligenda eſt Eccleſia, quæ Chriſtum habitatorẽ & Apoſtolicæ prædicationis fundamenta poſſideat. Quid tum? ergo nihil credendum, niſi quod ſcriptum eſt. Nulla conſecutio. Quaſi quicquid fecit, aut dixit Chriſtus, quicquid docuerunt Apoſtoli, in chartas venerit, & non multa nobis ij tantùm ore tradita reliquerint. Non ſcriptam tantùm, ſed traditam quoq; Apoſtolorum prædicationem magni fecit Ambroſius. Teſtantur id libri illius, vnus de ijs, qui myſterijs initiantur, & primus
Serm. 25 34. 36. 38. de ſacramentis, ac ſermones aliquot de ſacro Quadrageſimæ ieiunio, ad quorum lucem tenebricoſus iſte Fabricij fucus totus euaneſcet. Videbit, qui leget, Prædicantem hunc tenebrionum more lucem fugere, & tenebras ſectari.

Pergamus ad tertium Patrem S. Hieronymum, è cuius pharetra tria tela, tanquam ſacris Traditionibus exitialia Prædicans educit, ac primum quidem
L. 1. in Mich. c. 1. iſtud ex Commentario illius in Michæam. *Eccleſia Chriſti, quæ habitat plenè, & in toto orbe ſpiritus vnitate coniuncta eſt, & habet vrbes Legis, Prophetarum, Euangelij, & Apoſtolorum, nec eſt egreſſa de finibus ſuis, id eſt, de ſcripturis ſacris.* Huic telo, vt perniciſſimè volet, alas de ſuis conuitijs facit Fabricius. *At*, inquit, *quàm procul ruptis ſacris repagulis excurrit impudica meretrix Romana è finibus ſcripturarum, ad impuras & ſteriles Traditiones non ſcriptas.* Sileo

ad

Digitized by Google

ad hæc contumelioſa furentis præconis probra, quibus ſolis vincit. Fraudem & inſcitiam, qua Hieronymi dictum tractat, tacere non poſſum. Quid enim eſt, egredi de ſcripturarum finibus? An ſacras traditiones venerari? at in illis ſtandū, & tenendas illas eſſe, ipſæ adeò ſcripturæ præcipiunt. Docere ea, quæ ſcripturis ſacris repugnant, aut proprio tantū ſenſu nituntur, eſt tranſilire terminos in ſcriptura fixos. Quantò veriùs in Nouatores, qui multa ſcripturis contraria, nouis ſcripturæ ſenſibus omni antiquitati ignotis defendunt, locū hunc poſſem retorquere. Sed iam etiam malam fidem Fabricij, qui ſententiam Hieronymi non integram, ſed mutilam propoſuit, notemus. Omiſit media, & vltima, ne viſibili Eccleſiæ per totum orbem perpetuò diuina protectione diffuſæ, de illæſa fidei integritate teſtimonium perhiberet. *Eccleſia Chriſti*, inquit S. Hieronymus, *habitat benè, & in toto orbe Eccleſias poſſidens, Spiritus vnitate coniuncta eſt, & habet vrbes legis, Prophetarum, Euangelij & Apoſtolorum: non eſt egreſſa de finibus ſuis, id eſt, de ſcripturis ſanctis, ſed cœptam retinet poſſeſſionem, quià habitat in Sennan, quod interpretatus eſt, vt ſuprà diximus, Symmachus, abundantiam, habet enim Patrem, & filium, & Spiritum S, cum quibus omnes ſpirituales gratiæ copiæq; virtutum ſunt*. En quanta Eccleſiæ Chriſtianæ encomia, vnum illud de ſcripturarum ſedulâ cuſtodiâ proferens Fabricius, ſuppreſſit! Quòd Eccleſias toto orbe poſſideat,

CAPVT. II.

FABRICII ALIÆ QVÆDAM IMposturæ circa Traditiones, Scripturam, eiusq; interpretationem perſtringuntur.

QVod omnibus hæreticis commune eſſe, ſecundi fundamenti initio dicitur, vt ſcripturam ſpreta Eccleſia iactent, hoc Fabricius gnauiter hic præſtat. Poſteaquam enim in Eccleſiæ auctoritatem calumnioſiſſimè declamauit, de ſola Scriptura conſulenda, de illius claritate, de modo illam rectè legendi, & intelligendi, multa, intermiſtis more ſuo non paucis in ſacras traditiones noſtramque Eccleſiam conuitiis, & Patrum corruptionibus, confuſiſſimè garrit. Nos errata Prædicantis ordine quodam ſtrictim perſequemur.

Mos eſt Prædicantium antiquus, vt ad errores ſuos probandos plurima conquirant ſcripturæ & nonnulla Patrum teſtimonia, quæ ſi rectè perpendantur, nō illorum erroribus, ſed veritati inter nos & illos minimè controuerſæ confirmandæ idonea reperiuntur. In promptu exemplum eſt. Fabricius demonſtrare conatur ſolam ſcripturam pro cognitione veritatis conſulendam eſſe, nec traditioni diuinæ non ſcriptæ, quippe quæ nulla ſit, nec Eccleſię, niſi

niſi Scripturas, quin niſi interpretationem ſcripturæ expreſsè in Scriptura ipſa extantem proferenti, fidem vllam adhibendam eſſe. Quibus verò argumentis ad hoc demonſtrandum utitur? Iis præſertim, quæ monſtrant ſcripturam certiſſimam, ſumma fide dignam, omni humana auctoritate ſuperiorem, diligenter voluendam eſſe, & ſi quæ alia ſunt eiuſmodi, quæ omnia de ſcriptura apud nos quoq; indubitata habentur. Talia ergo complura ſiue ex Scripturis, ſiue ex Patribus petita teſtimonia, quibus id, quod extra litem, non quod in lite eſt, Prædicans confirmat, non tangemus; id enim, quod ex iis ſequitur, vltrò fatemur. Si ſuum verò ex illis errorem inferre velit Prædicans, operæ pretium non eſt omnia enumerare, vt tot ridiculas conſequentias exſibilemus. Illa tantùm, quæ propria eſſe, & ad id, quod negamus, ſtabiliendum propiùs accedere videntur, nec tam aperto conſequentiæ vitio laborant, excutiemus.

Inſcitè & abſurdè ab abſurdo contra Traditiones argumentatur Fabricius. §. I.

PRo ſola Scriptura contra diuinas traditiones ex ratione ab abſurdo & Patrum auctoritate argumentatur Prædicans. Ratione ex Philoſopho ità pugnat. *Ariſtoteles. III. Politicorum ait, quòd iudicium ſit lex particularis, lex verò iudicium vniuer-*

vniuerſale. Iam quod eſt lex in Rep: ſeculari, id eſt ſcriptura ſacra in Eccleſia. Atqui lex in Repub: dirigit iudicium iudicis forenſis, tāquam norma, quam ille ſequi debet; ita ſcriptura ſacra dirigit Eccleſiæ iudicium, tanquam regula certiſſima. Vult Fabricius ſcripturam non ſolùm certam, ſed etiam vniuerſalem regulam eſſe iudicij Eccleſiæ, ſicut lex teſte Ariſtotele eſt iudicium vniuerſale, ſeu vniuerſalis norma politici tribunalis. Imperita comparatio & infirma collectio. Legis & verbi Dei iuſta collatio & firma collectio foret. Non ſolùm ex lege ſcripta, ſed etiam gentium more publicaq; conſuetudine, quæ pro lege eſt, iudicatur. Quid ergo à lege abſolutè ſumpta, quæ & ſcripto ſignatas, & conſuetudine firmatas leges complectitur, ad ſcripturam ſacram tranſilit Prædicans? ad verbum Dei ſiue ſcriptum ſcilicet, ſiue traditum, ſi rectè comparare & colligere voluiſſet, transferre argumentum debuiſſet. Quid verò abſurdi eſt, ſi & diuina lex non ſecùs ac humana partim ſcripto, partim traditione conſtet? *Docent Pontificij*, ait Prædicans, *in ſcripturis non omnia fidei myſteria contineri, ſed Chriſtum promiſiſſe Spiritum, qui paulatim deducturus erat Pontifices in omnem veritatem, ſuggerendo huic Papæ purgatorium, alteri Miſſam pro defunctis, alteri inuocationem ſanctorum. Hæc ſunt ſcilicet, quæ Apoſtoli ferre non poterant, quorum proinde doctrina reſeruata eſt Pontificibus. Itaq; in duobus ſtatuitur magiſterium Eccleſiæ: in ſcripturis interpretandis, & rebus fidei declarandis ſiue per ſcripturas,*

ſiue

ſiue per traditiones, quas pari auctoritate colendas, vt ſcripturas, cenſent Pontificij. Vnde fumus ille abyſſi d. 19. Inter canonicas ſcripturas Decretales Epiſtolæ connumerantur. At verò hoc non eſt ab abſurdo argumentari, ſed abſurdiſſimè ſimul ac imperitiſſimè calumniari. Inſcitia eſt, traditionum diuinarum nomine intelligere nouas Eccleſiæ leges, & Pontificum decreta; calumnia eſt, nos ꝓ diuinis traditionibus habere, quæ Apoſtolis nimis grauia & ignota, à poſterioribus Pontificibus paulatim Spiritus S. ductu reperta ſint; crimen falſi eſt, decretales Epiſtolas in diuinorum librorum numero à Pontifice cenſeri. Traditio diuina dicitur, quæ aut Chriſti ore Apoſtolis, aut Spiritu S. dictante ab Apoſtolis, tanquam Dei verbum, ſine ſcripto fidelibus promulgata continua ſucceſſione ad nos vſq; peruenit. Alia Apoſtolorum, Conciliorum, Pontificum ſtatuta, Canones, Decreta, ſancta laudabiliaq; habentur, pro Dei verbo non venditantur. Claram Tridentinæ Synodi ſententiam de diuinis traditionibus, Fabricianæ calumniæ opponamus. Ità ergo illa in Seſſ: 4. decernit. *Sacroſancta Oecumenica & Generalis Synodus in Spiritu S. legitimè congregata, præſidentibus in ea eiſdem tribus Apoſtolicæ ſedis legatis, hoc ſibi perpetuò ante oculos proponens, vt ſublatis erroribus, puritas ipſa Euangelij in Eccleſia conſeruetur, quod promiſſum antè per Prophetas, in ſcripturis ſanctis Dominus noſter Ieſus Chriſtus Dei filius, proprio ore primùm promulgauit, de-*

Diſt. 19. can. In Canonicis.

Digitized by Google

inde per ſuos Apoſtolos tanquam fontem omnis & ſalutaris Veritatis, & morum diſciplinæ, omni creaturæ prædicari iuſsit, perſpicienſq; hanc veritatem & diſciplinam contineri in libris ſcriptis, & ſine ſcripto traditionibus, quæ ipſius Chriſti ore ab Apoſtolis acceptæ, aut ab ipſis Apoſtolis Spiritu S dictante, quaſi per manus traditæ, ad nos vſq; peruenerunt, Orthodoxorum Patrum exempla ſecuta, omnes libros tam veteris, quàm noui Teſtamẽti, cùm vtriuſq; vnus ſit auctor, nec non traditiones ipſas tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, tanquam vel oretenus à Chriſto, vel à Spiritu S. dictatas & continua ſucceſsione in Eccleſia Catholica conſeruatas, pari pietatis affectu ac reuerentia ſuſcipit ac veneratur. Diſce Fabrici, quid de Traditionibus diuinis doceamus & calumniam, quam euomuiſti, reſorbe. Non docemus diuinas traditiones à Spiritu Sancto poſt multa ſecula, huic aut illi Pontifici primò ſuggeſtas eſſe, ſed ex Chriſti ore ab Apoſtolis acceptas, aut Spiritu Sancto dictante ab Apoſtolis, quaſi per manus continua ſucceſſione ad nos vſque delatas, pari cum Scripturis reuerentiâ ſuſcipimus ac veneramur. Magnum inter diuinas & Eccleſiaſticas traditiones diſcrimen eſſe nouimus, & tam parùm has illis, quàm ſcriptas Eccleſiæ aut Pontificum leges diuinis ſcripturis adnumeramus. Nec verò eſt, quod nobis inſultet Fabricius fumiuendus illo fumio abyſſi ex Diſt. 19. *Inter Canonicas Scripturas Decretales Epiſtolæ nuncupantur.* Verba enim iſta non ſunt Canonis ad marginem à Prædicante notati,

tati, ſed rubricæ ſeu tituli à Canonum collectore illi Canoni præfixi. Quare non Iuris Canonici, ſed Fabricij fumus iſte eſt, qui errorem aliquem Collectoris pro fumo Canonici Iuris vendit. Errauit verò Collector, quia Canonem ex S. Auguſtini lib. 2. de doctrina Chriſtiana cap. 8. mendoſè exſcribens, Auguſtinum de diuinis ſcripturis & de Eccleſijs Apoſtolicis loquentem, de iuris Canonici ſcriptis, & Epiſtolis decretalibus Apoſtolicæ ſedis accepit. Auguſtinus enim *diuinarum ſcripturarum ſolertiſsimum indagatorem* ad Canonicarum ſcripturarũ ſedulam lectionem cohortatus, hanc ei Canonicorum librorum dignoſcendorum regulam tradit. *In Canonicis autem ſcripturis Eccleſiarum Catholicarum quamplurium auctoritatem ſequatur, inter quas ſanè illæ ſunt, quæ Apoſtolicas ſedes habere, & accipere epiſtolas meruerunt.* Loqui verò Auguſtinũ de verè diuinis ſcripturis, patet ex ſacro Canone, quem eodẽ loco infrà ſigillatim de verè diuinis libris contexit. Ad diſcernẽdas ergo veras diuinas ſcripturas ab Apocryphis, ſequendã dicit Auguſtinus auctoritatẽ plurium Catholicarũ Eccleſiarum, quales cumprimis ſunt, quæ ab Apoſtolis gubernatæ, aut eorundem epiſtolis inſtructæ fuere, vt Hieroſolymitana, Antiochena, Alexãdrina, Romana, Epheſina, Corinthiaca, Coloſſenſis. &c. Hui⁹ loci verò vltima verba Cõpilator ità deſcripſit & Iuri Canonico inſeruit: *Inter quas ſanè illæ ſunt, quas*

lib. 2. de doctrina. Chriſt. c. 8.

Apoſtolica ſedes habere, & ab ea alij meruerunt accipere Epiſtolas. Hac vitioſa deſcriptione, & aliena vocis, *Canonicis* acceptione, contra apertum germanæ lectionis ſenſum pro Apoſtolicæ ſedis Epiſtolis inter Canonicas, hoc eſt, iuris Canonici ſcripturas numerandis, Auguſtini auctoritate vſus eſt. Neq; enim Collector vocem *Canonicis*, vt illum etiam calumniatur Prædicans, ad diuinas literas, ſed ad Iuris Canonici volumen ſignificandum adhibuit, qui eo loco Decretalibus Epiſtolis non diuinarum ſcripturarum, ſed Canonici iuris auctoritatem conciliare propoſitum habuit. Ergo nec Auguſtini, nec Catholicorum error, ſed Gratiani hæc qualis qualis deceptio, fortean ex mendoſo Codice Auguſtini, quod Bellarminus cenſet, nata, & craſſus Fabricianæ abyſſi fumus eſt.

l. 2. de concil. c. 12.

Fabricij in ſex Patribus contra Traditiones citandis multiplex fraus & corruptela. §. *II.*

SEd iam hominis fidem in Patrum teſtimonijs aduerſùs traditiones diuinas pro ſola ſcriptura proferendis, experiamur. Sparſim in ſua confuſa acie quatuor è Latinis, è Græcis duos Patres nullo noſtro, ſuo magno malo collocat. Primus Latinorum Tertullianus, cuius iſtas voces tanquam fulmina Prædicans vibrat. *Aufer hæreticis, quæ cum Ethnicis ſapiunt, vt de ſcripturis ſolis quæſtiones ſuas ſiſtant, & ſtare*

Lib. de Reſurr. carnis.

re non poterunt. Et, *Adoro ſcripturæ plenitudinem.* Verùm quid hæc aduerſùm ſacras traditiones, quæ contra Scripturarum inimiciſſimas hæreſes reſurrectionem carnis, & creationem rerum de nihilo pernegantes, dicta ſunt? Tam manifeſtè ſcilicet à Scripturis aſſeritur carnis reſurrectio, vt impudens ſit hæreticus, qui cum Ethnicis ex ſenſu argumentari audeat contra mortuorum reſurrectionem, cùm ſtare non poſſit, ſi ab humanis ſenſibus ad ſcripturas reuocetur. Et mundi ex nihilo fabricatio, quam Hermogenes impugnabat, pleniſſimè traditur in Scriptura, vt eius rectè in hac re plenitudo adoretur. Sic ergo Prædicans ex Tertulliano ratiocinatur: Reſurrectio carnis, & mundi creatio ex ſolis Scripturis Tertulliani iudicio pleniſſimè noſcuntur, ergo omnia, quæ creduntur, ſolis ſcripturis teſtata ſunt, ergo nihil credendum, quod ſcriptura nõ apertè tradit, ergo nulla eſt traditionis auctoritas. Ipſe Tertullianus quàm clarè huiúſce ratiocinationis ſtoliditatem arguit, cùm alicubi complures Chriſtianę diſciplinæ ritus enumerans, ità demùm pro traditione concludit? *Harum & aliarum eiuſmodi diſciplinarum, ſi legem expoſtules ſcripturarum, nullam inuenies; traditio tibi prætendetur auctrix, conſuetudo confirmatrix & fides obſeruatrix.*

Lib. contra Hermog. c. 22.

Lib. de Corona militis. c. 4.

Alter eſt Ambroſius, cuius hæc verba recitat, *Fides inprimis Eccleſiæ quærenda, in qua ſi Chriſtus habitat,* haud

Amb. in Luc. l. 6. c. 9.

Digitized by Google

ſtus? Qui pedes ſuis lauare conſueuit hoſpitibus, & quoſcunque ſua receperit domo, pollutis non patiatur habitare veſtigiis, ſed maculoſos licet vitæ prioris, in reliquum tamē dignatur mutare proceſſus. Hic eſt igitur ſolus, quem nemo deſerere debet, nemo mutare. Cui benè dicitur: Domine ad quem ibimus: Verba vitæ æternæ habes, & nos credimus. Vides executorem cœleſtium præceptorum, qui, quoniam non mutauit hoſpitium, cœleſtis conſortium conſecrationis emeruit. Cùm ergo præceptum Domini de hoſpitio ab Apoſtolis eligendo ac tenendo, verbis iſtis Ambroſius myſticè ad hoſpitium Eccleſiæ cum hoſpite Chriſto eligendum, & Petri exemplo nunquam ab Apoſtolicis prædicatoribus mutandum retuliſſet, hanc ſubijcit concluſionem. *Fides igitur inprimis Eccleſiæ quærenda mandatur, in qua ſi Chriſtus habitator ſit, haud dubiè ſit legenda. Sin verò populus perfidus, aut præceptor hæreticus deformet habitaculum, vitanda hæreticorum communio, fugienda Synagoga cenſetur.* Ac paulò pòſt: *Si quæ eſt Eccleſia, quæ fidem reſpuat, nec Apoſtolicæ prædicationis fundamenta poſſideat, ne quam labem perfidiæ poſſit aſpergere, deſerenda eſt.* Quis, obſecro, & ex capitis ſcopo, & ex toties iteratis de Eccleſia ſancta Chriſti eligenda, præferenda, non mutanda; hæreticorum verò Synagoga vitanda, fugienda, deſerenda, locutionibus non facilè conijciat, quo ſenſu Ambroſius dixerit, Eccleſiam, in qua Chriſtus habitator ſit, haud dubiè eſſe legendam, quantúmque fucum Fabricius, ſuum de librorum ſacro-

ad hæc contumelioſa furentis præconis probra, quibus ſolis vincit. Fraudem & inſcitiam, qua Hieronymi dictum tractat, tacere non poſſum. Quid enim eſt, egredi de ſcripturarum finibus? An ſacras traditiones venerari? at in illis ſtandũ, & tenendas illas eſſe, ipſæ adeò ſcripturæ præcipiunt. Docere ea, quæ ſcripturis ſacris repugnant, aut proprio tantũ ſenſu nituntur, eſt tranſilire terminos in ſcriptura fixos. Quantò veriùs in Nouatores, qui multa ſcripturis contraria, nouis ſcripturæ ſenſibus omni antiquitati ignotis defendunt, locũ hunc poſſem retorquere. Sed iam etiam malam fidem Fabricij, qui ſententiam Hieronymi non integram, ſed mutilam propoſuit, notemus. Omiſit media, & vltima, ne viſibili Eccleſiæ per totum orbem perpetuò diuina protectione diffuſæ, de illæſa fidei integritate teſtimonium perhiberet. *Eccleſia Chriſti*, inquit S. Hieronymus, *habitat benè, & in toto orbe Eccleſias poſſidens, Spiritus vnitate coniuncta eſt, & habet vrbes legis, Prophetarum, Euangelij & Apoſtolorum: non eſt egreſſa de finibus ſuis, id eſt, de ſcripturis ſanctis, ſed cœptam retinet poſſeſſionem, quià habitat in Sennan, quod interpretatus eſt, vt ſuprà diximus, Symmachus, abundantiam, habet enim Patrem, & filium, & Spiritum S, cum quibus omnes ſpirituales gratiæ copiæq; virtutum ſunt.* En quanta Eccleſiæ Chriſtianæ encomia, vnum illud de ſcripturarum ſedulâ cuſtodiâ proferens Fabricius, ſuppreſſit! Quòd Eccleſias toto orbe poſſideat,

Digitized by Google

quòd cœptã poſſeſſionem tam ſcripturarum, quã Eccleſiarum retineat, quòd ſub perpetuo ſacræ Triadis præſidio abundantiam omnium ſpiritualium gratiarum, copiamq; virtutum habeat Eccleſia Chriſti, tacuit Prædicans. Quid ità? quia ſpectabilẽ Eccleſiam Chriſti ſua poſſeſſione eiectam, Spiritus S. ope deſtitutam, omnibus ſpiritualibus gratiis exutam, de toto orbe multis ſeculis periiſſe clamant Prædicantes; atat reclamat Hieronymus, Chriſti Eccleſiam in toto orbe non occultari, ſed Eccleſias cum Scripturis poſſidere, & cœptam retinere poſſeſſionẽ, quia habet Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, atque cum illis omnes ſpirituales gratias, virtutumque copias. Talis certè nec Lutherana, nec Caluiniſtica eſt vnius ſeculi & terræ ſecta. Talis eſt Romana Eccleſia à primis initiis per tot ſecula. Maluit ergo Prædicans ſine rubore Hieronymum mutilare, quàm ſuæ Synagogæ dedecus, noſtræque Eccleſiæ decus cum rubore propalare.

In Aggæum c. 1. Alterum ex Hieronymo Prædicantis telum eſt hæc in Aggæum ſententia *Quæ abſque auctoritate & teſtimonijs Scripturarum quaſi Apoſtolica traditione confingunt, percutit gladius Dei.* Iterum errat & decipit Fabricius. Non damnantur ab Hieronymo Apoſtolicæ traditiones, ſed Hæreticorum nouella commenta Apoſtolicæ traditionis colore fucata. Montani, Tatia-

tianiq; de perpetua carnium abſtinentia, de tribus per annum Quadrageſimis, de ſecundis nuptiis nō ineundis præcepta ab ipſis primò reperta, ſed pro Apoſtolicis traditionibus vēditata, illic apertè perſequitur Hieronymus. Sed Fabricius, vt errorem ſuum probabiliùs Hieronymi auctoritate ſuaderet, nihil veritus eſt pro more ſuo duo verba ſuo propoſito contraria omittere, & dictum Hieronymi corruptè recitare. *Quæ*, inquit Hieronymus, *quaſi traditione Apoſtolica ſponte reperiunt atque confingunt.* Hæc verba, *ſponte reperiunt*, Fabricius ſponte ſua ſubticuit, ne palam fieret, non ea, quæ tradiderunt Apoſtoli & ab ijs continua ſucceſſione publica fide acceperunt alij, ſed quæ aliqui poſteri multò pòſt pro ſuæ mentis arbitrio, nulla publica auctoritate ſponte repererunt, ac pro traditionibus Apoſtolicis haberi contenderunt, à Sancto Doctore perſtringi. Nam quantum is verè Apoſtolicis traditionibus detulerit, vel ex vna illius ad Marcellā contra Montanum Epiſtola liquidiſsimum eſt. *Nos*, inquit, *Vnam Quadrageſimam ſecundùm traditionem Apoſtolorum toto anno, tempore nobis congruo ieiunamus. Illi* (Montaniſtæ ſcilicet) *tres in anno faciunt Quadrageſimas, quaſi tres paſsi ſint ſaluatores. Non quòd & per annum excepta Pentecoſte ieiunare non liceat, ſed quòd aliud ſit neceſsitate, aliud voluntate munus offerre.* Apertè igitur Hieronymus, qui in Aggæum tres Montani Quadrageſimas Apoſtolici

præcepti colore à Montano fidelibus obtruſas, & ſimilia alia figmenta repulit, hîc tribus Montani repudiatis, vnam Quadrageſimam ex Apoſtolica traditione ſeruandam eſſe pronunciauit. Ergo & huius teli iactus, imperito ac fraudulento Prædicanti malè ceſſit.

Nihilo meliùs tertium telũ mittit. *Omninò, quod loquimur*, refert ex Hieronymo Fabricius, *affirmare debemus ex ſcripturis ſanctis.* Non refert fideliter; *Omne quod loquimur*, non, *Omninò quod loquimur*, Codex Hieronymi habet. Sed Fabricius, vt fortiùs ac potentiùs feriret, voculam, *omne*, quam in duabus illis vocibus, *quod loquimur*, ſibi ſaluam futuram viderat, in vocem, *omninò*, doloſè transformauit, quaſi quicquid loquimur, non tantùm debeamus, ſed omninò debeamus affirmare de ſcripturis ſanctis. Verùm relinquamus doloſam hanc Metamorphoſin, & quantum vulnus ſacris Traditionibus hæc ſententia incorrupta faciat, videamus. S. Hieronymus eo loco illud ex pſalmis, *Lætentur inſulæ multæ*, interpretans ait. *Non vna inſula Iudæa, ſed inſulæ multæ: hoc eſt, totus mundus. Dicat mihi aliquis; Da mihi exemplum de ſcripturis, vbi Iudæa ſola inſula dicta ſit. Omne, quod loquimur, debemus affirmare de ſcripturis ſanctis: In ore enim duorum, aut trium teſtium ſtabit omne verbum. Non habet tantam auctoritatem ſermo dicentis, quantam Domini præceptum. Legimus in Propheta Ezechiel: Et tu, inquit, fili hominis loquere ad habitatores inſulæ huius*, hoc

In pſ. 89.

In pſ. 98

hoc eſt, Iudææ. Quoniam ergo Vna Inſula dimiſſa eſt, nunc dicitur: Lætentur Inſulæ multæ. Hic eſt integer S. Hieronymi locus. Dic ergo Fabrici; quid, ſi primùm ego negē, verba illa à te prolata, Hieronymi eſſe in ſua perſona loquentis? quid ſi affirmem illius eſſe, quem exempla de ſcripturis, quòd Iudæa inſula dicta ſit, à ſe diſtinctè poſtulantem inducit, vt ſint quædam quaſi iuſtæ petitionis probatio? & Hieronymi propria reſponſio à Prophetæ Ezechielis teſtimonio, *Legimus in Propheta* &c. incipiat? Si, inquam, hoc dicā, quo tu me vel verbulo, penitùs exarmatus, ex contextu ipſo aliter ſentire compelles? Verùm ſint hæc non alterius obiicientis, ſed Hieronymi reſpondentis verba. An inde traditionum Apoſtolicarum auctoritatem deprimes? quaſi verò Hieronymus Prædicantium inſtar ſui oblitus ſibi contradixerit, & quas in Epiſtolis, ad Marcellam, ad Lucinium & alibi recepit ac approbauit, hìc excluſerit & improbarit. Non de communibus Eccleſiæ dogmatibus, ſed de Doctorum in ſcripturam commentationibus (ſi in ſua perſona loquitur) agit Hieronymus; & Doctoris Chriſtiani officium eſſe dicit, vt ſuas ſcripturæ explicationes primo loco de ipſis ſcripturis confirmet, & ſcripturas ex ſcripturis illuſtret. An verò iſtud Eccleſiaſticæ intelligentiæ Traditioni quidquam præiudicat? minimè verò: ſcriptura de ſcripturis explicanda eſt, ſed cùm ali-

ter olim Arius, aliter Donatus, hodieq; aliter Lutherus, aliter Caluinus, aliter vniuerſa Eccleſia ſcripturam è ſcriptura declaret, non cuiuis ſuam interpretationem tanquam ſcripturis conſonam aduerſùs vniuerſalis Eccleſiæ explicationem iactanti credendum eſt, nec talis fides hîc ab Hieronymo imperatur. Eccleſiæ Catholicæ communis interpretatio, priuatæ cuiuſq; alterius præponenda eſt.

Quartus & poſtremus è Latinis producitur à Fabricio Auguſtinus, qui tantus fuit Traditionum Apoſtolicarum & Eccleſiaſticæ auctoritatis laudator & defenſor, vt mirari ſatis non poſſim impudentiam hominis, qui eius teſtimonijs pro ſola ſcriptura contra Traditiones auſus ſit vti. Quibus verò? Primum iſtud eſt. *Omnes inſipientiſſimi hæretici, qui ſe Chriſtianos vocari volunt, audacias figmentorum ſuorum hac occaſione Euangelicæ ſententiæ colorare conantur, vbi Dominus ait: Adhuc multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modò.* Abrumpit hîc Auguſtini ſententiam Fabricius, quia quæ ſequuntur, apertè oſtendunt, illum non Catholicæ Eccleſiæ traditiones, ſed quorundā hæreticorū impuras doctrinas, quas ſecretiſſimè ſpargebant, reprehendere. Addit. n.; *quaſi hæc ipſa ſint, quæ tunc diſcipuli portare non poterant & ea docuerit Spiritus S., quæ palàm docere, & prædicare, quantalibet feratur audacia, Spiritus erubeſcit immundus.* An verò traditiones ſacræ tales ſunt, vt eas palàm docere etiā Spiritus immundus erube-

Tract. 97 in Ioan.

erubeſcat? Imò publicè in Eccleſia docentur & prædicantur. Non in illas conuenit, quod dixit Auguſtinus de audaciis figmentorum, & malitioſè ex media ſententia expunxit Fabricius, ſcilicet, *quas maximè exhorret ſenſus humanus.* Nec obſcenæ, nec occultæ ſunt Catholicæ traditiones, quales illæ fuère, quas perſtrinxit Auguſtinus. Occultis panibus & aquis furtiuis comparat ea, *quæ palàm in Eccleſia dici crediq́ prohibentur. Ipſa quippe occultatione,* inquit, *condiunt quodammodò nefarij Doctores ſua venena curioſis, vt ideò ſe exiſtimēt aliquid diſcere magnum, quia merentur habere ſecretum, & ſuauiùs hauriunt inſipientiam, quam putant ſcientiam, cuius prohibitam quodammodò furantur audientiam.* Nulla talis eſt occultatio ſacrarum traditionum, quæ apertè docentur & diſcuntur. Et quid ad illas turpitudo illa, quam vitari iubet Auguſtinus? *Seductores,* ait, *caueatis impuros, & obſcenæ turpitudinis ſectas, de quibus ait Apoſtolus: Quæ autem occultè fiunt ab iſtis, turpe eſt & dicere, ne, cùm horrendas immunditias docere cœperint, quas humanæ aures, qualeſcunq́ ſint, portare non poſſunt, dicant ipſa eſſe, quæ Dominus ait; Adhuc multa habeo vobis dicere, ſed nō poteſtis portare modò, & per Spūm S. aſſerant fieri, vt poßint illa immunda & nefaria portari.* Hæc & ſimilia Auguſtini verba eo loco diſſimulauit Fabricius, ne quis huius conſequentiæ vanitatē exprobraret. Auguſtinus verba illa Chriſti, *Multa habeo dicere, quæ non poteſtis portare modò,* docet peſſimè indigniſſimeq́ue trahi ad horrendas immunditias,

ad

Digitized by Google

ad audacias figmentorum, quas exhorret ſenſus humanus, & nullæ aures portare poſſunt, & palàm docere vel Spiritus immundus erubeſcit; Ergo etiam ad ſanctiſſimas & publicâ notitiâ vulgatiſſimas traditiones malè eadem Chriſti verba referri ſentit. Quid inanius? Tale eſt argumentum Fabricij, ſi laruâ detractâ inſpiciatur.

lib. 2. de bapt. contra Don. c. 6. Alterum ex Auguſtino teſtimonium hoc profert Fabricius. *Non afferamus alias ſtateras doloſas, vbi appendamus, quod volumus, & quomodo volumus, pro arbitrio noſtro dicentes, hoc graue, hoc leue eſt: ſed afferamus diuinam ſtateram de ſcripturis S.; in illa, quid ſit grauius, appendamus: imò non appendamus, ſed à Domino appenſa recognoſcamus.* Certè ſententiam iſtam à Fabricio in ſtatera doloſa appenſam recognoſcimus. Primùm, vt omnes alias præter ſcripturam ſtateras, doloſas ab Auguſtino cenſeri perſuaderet, auſus eſt voculam *alias*, quæ in Auguſtino non reperitur, de ſuo inferre. Deinde, quod Auguſtinus, aduerſùs arbitrarium Donatiſtarum iudicium in vna cauſſa diuinis ſcripturis apertè contrarium, ſcripſit: Prædicans contra Traditiones Apoſtolicas, contra Eccleſiæ auctoritatem, pro ſolâ ſcripturâ in omnibus omninò cauſſis, de quibus etiam illa nihil expreſſè tradit, conſulendâ rapit. Donatiſtæ Catholicos per calumniam, quòd ſacros Codices exurendos tradidiſſent: Catholici Donatiſtas verò, quod ſchiſma feciſſent, accuſa-

accuſabant. Donatiſtæ traditionem maius ſchiſmate ſcelus eſſe vociferabantur. Auguſtinus exclamat contrà; *An grauiora ſunt crimina traditorum, quàm ſchiſmaticorum. Non afferamus ſtateras doloſas, vbi appendamus pro arbitrio noſtro, dicentes hoc graue, hoc leue, ſed afferamus diuinam ſtateram de ſcripturis ſanctis, in illa, quid ſit grauius, appendamus. Tempore illo, quo Dominus priora delicta recentibus poenarum delictis cauenda monſtrauit, & idolum fabricatum atq; adoratum eſt, & Propheticus liber ira contemptoris regis incenſus, & ſchiſma tentatum: & idololatria gladio punita eſt; exuſtio libri bellica cæde & peregrina captiuitate; ſchiſma hiatu terræ, ſepultis auctoribus viuis, cæteris cœleſti igne conſumptis; quis iam dubitauerit hoc eſſe ſceleratiùs commiſſum, quod eſt grauiùs vindicatum?* Iam argumentetur Prædicans, & dicat. In quæſtione de grauitate traditionis ſacrorũ Codicum & ſchiſmatis diiudicandâ, plus credendum eſt apertis ſcripturæ teſtimonijs, quàm contrario Donatiſtarum iudicio; ergo in omnibus fidei controuerſijs, nulla alia præter ſcripturam eſt norma veritatis. Prædicantica, hoc eſt, mala collectio, quæ ex ipſo Auguſtino nullo negotio refutari queat. Nónne Auguſtinus in controuerſia de baptiſmo Hæreticorum à ſcripturis, quæ de illo expreſsè nihil tradunt, ad Traditionem Apoſtolicam & vniuerſæ Eccleſiæ auctoritatem, tanquam probatiſſimam ſtateram, prouocauit? Recitaui ſuprà alibi clariſſimum locum ex lib. de vnitate Eccleſiæ

Exod: 32. Heremi: 36. Num. 16.

Digitized by Google

c. 22. quem hic non repeto, Addo pauculas alias breuiores, non obſcuriores illius ſententias. *Quamuis huius rei,* inquit Auguſtinus, (nimirum hæreticos non eſſe rebaptizandos) *certè de ſcripturis Canonicis non proferatur exemplum, earundem tamen ſcripturarum etiam in hac re à nobis tenetur veritas, cùm hoc facimus, quod vniuerſæ iam placuit Eccleſiæ, quam ipſarum ſcripturarum commendat auctoritas, vt quoniam S. ſcriptura fallere non poteſt, quiſquis falli metuit huius obſcuritate quæſtionis, eandem Eccleſiam de illa conſulat, quam ſine vlla ambiguitate ſancta ſcriptura demonſtrat.* Et de Baptiſmo contra Donatiſtas: *Hanc conſuetudinem credo ex Apoſtolica Traditione venientem, ſicut multa non inueniuntur in litteris eorum, neq; in Concilijs poſterorum, & tamen, quia cuſtodiuntur per vniuerſam Eccleſiam, non niſi ab ipſis tradita & commendata creduntur.* Atq; iterum: *Apoſtoli nihil quidem exinde præceperunt, ſed conſuetudo illa ab eorum traditione exordium ſumpſiſſe credenda eſt, ſicut ſunt multa, quæ vniuerſa tenet Eccleſia, & ob hoc ab Apoſtolis præcepta benè creduntur, quanquam ſcripta non reperiantur.* Deniq; de paruulorum baptiſmo differens ait: *Quod vniuerſa tenet Eccleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, nō niſi auctoritate Apoſtolica traditum, rectiſſimè creditur.* Hæc & alia eiuſmodi complura Auguſtini pro Traditionum Apoſtolicarum, & Eccleſiæ Catholicæ auctoritate, teſtimonia tam dilucida ſunt, vt extremæ vel imperitiæ, vel impudentiæ eſſe oportuerit Fabricium, cùm quaſdam alias ſententiolas illius contra Traditiones & Eccle-

l. 1. cont. Creſcon. c. 33.

lib. 2. c. 7.

l. 5. c. 23.

l. 4. c. 24.

ſiam

ſiam violentè fraudulenterq;, vti demonſtrauimus, contorſit. Sed iam qualia cauſæ ſuæ ſubſidia à Græcis Patribus petat audiamus.

Primum è Græcis Doctoribus nominat S. Baſilium, cuius duo recitat teſtimonia. Vnũ eſt: *Quòd, quidquid vel dicimus vel facimus, id teſtimonio diuinarum literarũ confirmari debet, ad confirmationem fidei bonorum & confuſionem malorum.* Regulam hanc confirmat Baſilius exemplo Chriſti in ſolitudine ſacris ſententijs dæmonẽ propellentis, & Petri, diſcipulos poſt acceptã Spiritus S. gratiam variis linguis loquẽtes, ab ebrietatis ſuſpicione Ioelis teſtimonio vindicantis. An verò hæc quidq̃ aduerſũs diuinas traditiones pugnãt? quaſi nullũ ſacrarum literarũ ſuppetat teſtimoniũ, quo illæ cõmendẽtur. *Scripturarũ à nobis tenetur veritas*, dixit paulò antè Auguſtinus, *cùm facimus, quod placet vniuerſæ Eccleſiæ, quã Scripturæ commendat auctoritas.* Ità etiã, cùm ſtamus & tenemus traditiones ab Apoſtolis, nõ tantùm per Epiſtolam, ſed etiam per ſermonem acceptas, ſcripto Apoſtoli Pauli præcepto paremus. Et tantum abeſt, vt ſacras traditiones hac Regula Baſilius voluerit abrogare, vt alibi illas expreſſiſſimè fuſiſſiméq; numerârit ac cõmendârit. *Dogmata*, inquit, *quæ in Eccleſia prædicantur, quædam habemus è doctrina ſcripto prodita, quædam rurſus ex Apoſtolorũ traditione in myſterio, id eſt, in occulto tradita recepimus: quorũ vtraq; parem vim habent ad pietatẽ.* Et poſt pauca longũ traditionũ texit Catalogum

In Moral. lib. Reg. 26.

2. Theſ. 2.

l. de Spir. S. c. 27.

gum ac demùm dicit; *Deficiet me dies, ſi Eccleſiæ myſteria citrà ſcriptum tradita pergam recenſere.* Fucum ergo fecit Fabricius, cùm ex regula S. Baſilij Traditiones ab Apoſtolis ſine ſcripto Eccleſiæ relictas & hucuſq; conſeruatas impugnauit. Magnus Traditionũ Patronus, non hoſtis eſt Baſilius. Sed alterum ex eodem teſtimonium recitat Prædicans. *Stemus arbitratu*

Epiſt. 80. *inſpiratæ à Deo ſcripturæ, & apud quos inueniantur dogmata diuinis oraculis conſona, illis omnino adiudicetur veritatis ſententia: non enim æquum eſt, vt quæ apud ipſos obtinuit conſuetudo, pro lege ac Canone habeatur certæ doctrinæ.* Nulla huius Prædicantis fides eſt, ità hanc Baſilij ſententiam ſurſum deorſum inuertit; poſteriora prioribus præponit, media omittit, voces mutat, addit, demit. Tempore Baſilij controuerſia erat, an dicendæ eſſent tres in Deo hypoſtaſes: defendebat hunc loquendi modum cum alijs multis Baſilius; alij quidam tanquam nouum improbabant. *Nouandi ſtudium nobis*

Epiſt. 80 ad Euſtath. *obijciunt*, inquit Baſilius, *accuſationem contra nos tenentes ex eo, quòd tres confitemur hypoſtaſes.* Ac paucis interiectis. *Verùm culpandi gratia hoc dicunt, quòd ſit contra ipſorum conſuetudinem, & ſcriptura non adſtipuletur. Quid ergo ad hoc dicimus?* Reſpondet verò Baſilius ſic, non vti Fabricius confuſè & mutilè recitauit. *Non putamus æquum eſſe, vt quæ apud ipſos obtinuit loquendi conſuetudo, pro lege ac canone habeatur rectæ doctrinæ. Si enim ad probandam doctrinam rectam valet conſuetudo, licet & nobis omninò hac in*

re

re illos imitari. Stemus itaq; arbitratu inſpiratæ à Deo ſcripturæ, & apud quos inueniãtur dogmata diuinis oraculis conſona, illis omninò veritatis adiudicetur ſententia. Iam Prædicantis fidem excutiamus. Baſilius hypoſtaſeon, quas Latini perſonas dicunt, ternarium aduerſùs eos, qui illũ negabant, confirmaturus, ad ſcripturam ſacram tanquam claram huius controuerſiæ arbitram prouocat; Prædicans ſuppreſſo hoc certo argumento, Baſilij verba tanquam generalia profert, vt nulla, niſi ſcripto prodita dogmata eſſe amplectenda perſuadeat. Baſilius partiariæ quorundam loquendi conſuetudini ſuam aliorumq́; contrariam obtendens, nullam totius Eccleſiæ conſuetudinem impugnat; Prædicans & vocem *loquendi* expungit, & conſuetudinis varietatem, verbis iſtis, *licet & nobis hac in re illos imitari,* omiſſis, diſſimulat, vt verba Baſilij ad Traditiones & conſuetudines totius Eccleſiæ non ſcriptas labefactandas accommodet. Sed quantus harum defenſor Baſilius, & Baſilij corruptor hìc Fabricius fuerit, hæc vna Baſilij ſententia, vbi de ſacris Traditionibus loco paulò ſupra notato agit, liquidò monſtrat. *Si conſuetudines, quæ ſcripto proditæ non ſunt, tanquam haud multum habentes momenti conamur reijcere, imprudentes & ea damnabimus, quæ in Euangelio neceſſaria ad ſalutem habentur, imò potiùs ipſam fidei prædicationem ad nudum nomen contrahemus.*

Alter à Fabricio è Græcia vocatus Patronus

propterea nō eos, qui magis proſunt, ſed qui magis oblectant, vt audire poſſint, quærũt. Oro igitur, vt omnibus illis præcluſis auribus, ad amuſsim Canonem ſacræ ſcripturæ ſequamur. Et quando audis, dilecte, quòd plantauit Deus hortũ in Edem ſecundùm orientem, hoc quod dicit, plantauit, vt decet, de Deo intelligas, nempè quòd præcepit. At quod reliquum eſt crede, quòd & Paradiſus factus ſit, & in illo loco, vbi ſcriptura ſignificauit. Cæterùm non credere his, quæ in diuina ſcriptura continentur, ſed alia quædam ex propria ſentẽtia inferre, opinor plurimũ periculi ſecum aduehere his, qui talia audent. Hæc S. Chryſoſtomus: quę ideò prolixiùs recitare volui, vt multiplicem Fabricij fraudem clariùs exponerem. Chryſoſtomus iis, qui de Paradiſi plãtatione & loco, aduerſa ſcripturis loquuntur, qui quæ ſcripta ſunt, non ſicut ſcripta ſunt, ſed alia ratiõne intelligenda, & quæ de terra dicuntur, de cœlo accipienda eſſe contendunt; qui non credunt iis, quæ in ſcriptura continentur, ſed alia quædam ex propria ſententia inferunt; iis, inquam, aures præcludi, & Canonem ſacræ ſcripturæ de illa materia ſimpliciſſimè clariſſiméque loquentis ad amuſſim teneri poſtulat. Inſignis ergo Fabricij fraus inprimis eſt, quòd præcedentibus & ſequentibus omiſſis, breui Chryſoſtomi excerpto dicto, ſolã ſcripturam ſactris Traditionibus reiectis ſequendã eſſe conetur demonſtrare; quod vt faciliùs faciat, quæ altera fraus eſt, verba illa *omnibus illis præcluſis auribus*, etiam à breui, quam allegauit, ſententiola elimi-

nat,

nat; nam aliàs quæ foret conſequentia dicere? Chryſoſtomus ait, ijs, qui ſcripturæ repugnantia dicunt, aures occludendas, ſcripturæq; aperiendas eſſe; ergo dicit, diuinis atq; Apoſtolicis traditionibus obſerandas, ſolique ſcripturæ reſerandas eſſe. Quin tertiam quoq; fraudem addidit, cùm Chryſoſtomi verbis de Canone ſcripturæ ſequendo prolatis, iſta, tanquam rationem Chryſoſtomi, ob quã ſola ſcriptura ſit attendenda, ſubiecit, *ſacra enim ſcriptura ſeipſam exponit, neminem errare ſinit:* cùm tamen hæc verba, nec cum particula cauſali, nec hoc loco; ſed ante integram aliam periodum ſuprà, nec denique ita mutilè, vt à Fabricio recitantur, in S. Chryſoſtomo legantur, vt ex toto loco à me integrè prolato cuiq; inſpicienti liquebit. Non ait vniuerſim, *ſcriptura ſeipſam exponit*, ſed, *ſcriptura ſacra, cùm nos tale quiddam docere vult, ſeipſam exponit.* Volebant enim quidam ſcripturam de terra Edem, in qua plantatus fuit Paradiſus, loquentem, non in obuio ac proprio, ſed in altiori quodam & improprio atq; Allegorico ſenſu de cœlo intelligendam eſſe: opponit ergo illis Chryſoſtomus morem ſcripturæ ſacræ, quæ ſi alicubi obſcurè atq; per Allegoriam quiddam loquitur, alibi perſpicuè proprijſq; verbis ſolet explicare, ac dicit; *ſcriptura ſacra, cùm nos tale quiddam docere vult*, quale iſti de terra Edem ſecundùm Orientem, per quam cœlum intelligatur, fingunt, *ſeipſam exponit*

Digitized by Google

nit, quod tamen de terra Edem aliter, quàm propriè intelligenda, nuſquam tradit. Non ergo illis verbis Chryſoſtomus rationem reddit, vt Fabricius fingit, cur ſcripturæ Canon ſequendus, ſed cur ijs, qui pro claro proprióq; ſenſu, obſcurum atq; metaphoricum nullibi à ſcriptura declaratum obtrudunt (quod etiam Caluiniſtæ in Chriſti verbis, *Hoc eſt corpus meum*, faciunt) non credendum ſit. Sed quid multis fraudes Fabricij in Baſilium & Chryſoſtomum commiſſas perſequimur, cùm tam dilucidum vterq; ſacris Traditionibus teſtimonium dederit, vt illo vno Fabriciani doli omnes effugentur. Ità enim ex hoc Pauli dicto: *State & tenete traditiones* &c. colligit Baſilius. *Arbitror Apoſtolicum eſſe, etiam non ſcriptis traditionibus inhærere.* Et Chryſoſtomus: *Hinc patet, quòd non omnia per Epiſtolam tradiderint, ſed multa etiam ſine literis. Eadem verò fide digna ſunt tam illa, quàm iſta. Itaq; traditionem quoq; Eccleſiæ, fide dignam putamus. Traditio eſt, nihil quæras amplius.* Sed hæc ſatis ſint de Fabriciana Patrum pro ſolis ſcripturis aduerſùs ſacras Traditiones corruptela.

Lib. de Spir. S. c. 29. In 2. Theſſ. 2. hom. 4.

Fabricius malus Dialecticus me calumniatur: Auguſtinum & Bellarminum corrumpit. §. *III.*

VErùm enimverò quid mirer, ſi in mea quoque dicta inuolet, eaq; ſiniſtrè interpretetur, qui S S. Patribus neſcit parcere? Dixeram

Digitized by Google

ego: *Quærimus veritatem in ſcripturis, ſed Duce Eccleſia.* Ex hoc dicto Fabricius colligit, ſolas Scripturas traditionibus diuinis excluſis, vel me iudice, eſſe conſulendas. Audiamus acutum interpretem: *Quærimus,* inquit Ieſuita, *veritatem in ſcripturis, proculdubio omnem veritatem intelligit. Indefinita enim ſtat pro vniuerſali apud Philoſophos. At quàm putum & fœtidum mendacium! Omnibus enim conſtat plurimarum doctrinarum farraginem vos extra ſcripturam ſacram quærere. Ibi enim ſolùm veritatis deliciæ.* Proculdubio Fabricius nihil intelligit, & nec bonus Dialecticus, nec bonus vir eſt. Nā propoſitio hęc: *Quæro,* aut, *quærimus veritatem in ſcripturis,* non indefinita, ſed ſingularis eſt: neque enim propoſitioni quantitatem termini obliqui prædicato adiecti, ſed ſubiectum aliquo, vel nullo ſigno prænotatum largitur. Neq; etiā indefinita vniuerſali, ſed particulari vniuerſim ac vi formæ æquipollet ſecundùm Dialecticos. Nec qui dicit, *quæro veritatem in ſcripturis,* omnē proculdubio veritatem intelligit: niſi fortè Prædicanti is, qui hominem in foro, lupum in ſilua quærit, omnē hominem, & lupum quæritare proculdubio videatur. Nec deniq; ſolùm extrà ſcripturā veritatis deliciæ à nobis quæruntur, quod putū & fœtidū, vt mitiùs illo loquar, figmentum eſt. Imperitū verò ille conuicium mihi facit de puto & fœtido mēdacio, quaſi ego dicto illo innuerim, nos omnem veritatem in ſcripturis quærere, nullamq; traditionibus nō ſcri-
ptis

Digitized by Google

ptis fidem adhibere. Senſus dicti mei eſt, nos veritatem, quam Scripturæ tradunt, ex illis, ſed non niſi magiſtra Eccleſia, ne ab hæreticis circũueniamur, diſcere. Traditionibus diuinis nihil detraho. Fruſtrà ergo mihi Bellarminum, qui multa de Sacramẽtis ex traditione Chriſti haberi docet, tanquam Aduerſarium, opponit, cuius doctrinæ omninò conſentio. Sed neq; Bellarminum Prædicans ſine falſimoniâ, ità totus ex dolis conſutus eſt, potuit producere. *Fatetur*, inquit de Bellarmino Fabricius, *in Scripturis nil reperiri de Sacramentis, præterquam de duobus aut tribus ad ſummum, licet, inquit, credendum ſit omnia Sacramenta, quoad eſſentiam à Chriſto inſtituta eſſe. Puduit ipſos iſtius doctrinæ: ideò verba iſta prætermiſſa ſunt in editione Sartoriana.* Imò pudeat te, Fabrici, Pſeudologiæ tuæ, Prima editio Bellarmini Sartoriana fuit: quomodo ergo verba iam antè edita in illa prætermiſſa ſunt? Verba Bellarmini loco à te citato in variorum locorum pluribus editionibus, eadem hodie, quæ primò, conſtanter hæc leguntur. *Traditiones diuinæ dicuntur, quæ acceptæ ſunt ab ipſo Chriſto Apoſtolos docente, & nuſq; in diuinis literis inueniuntur: talia ſunt ea, quæ ad materiã & formã ſacramentorũ pertinẽt; pauca enim habemus de his in diuinis literis, & tamen certũ eſt, ſacramentorum eſſentiam non potuiſſe, niſi à Chriſto inſtitui.* Sed falſæ huic in Bellarminũ calumniæ vt probabilis accuſationis colorẽ faciat, ac meritò verba illa ab auctore, vel alijs deleta eſſe ſuadeat, Auguſti-

lib. 4. de verbo Dei non ſcripto, c. 2.

Digitized by Google

num, veluti Bellarmino hac in re contrarium, alia inſigni impoſtura producit. *Aliter docuit Auguſtinus*, ait Prædicans. Audiamus. *Eſt autem mater Eccleſia, & vbera eius duo teſtamenta ſcripturarum diuinarum, hinc ſugatur lac omnium Sacramentorum pro æterna ſalute.* Imò aliter ſcripſit Auguſtinus, quàm Fabricius recitat, Auguſtini & ſtilo, & ſenſu corruptor. *Hinc ſugatur*, inquit Auguſtinus, *lac omnium Sacramentorum temporaliter pro æterna ſalute geſtorum: vt nutritus atq; roboratus perueniat ad manducandum cibum, quod eſt, In principio erat verbum & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Lac noſtrum Chriſtus humilis eſt: cibus noſter, idem ipſe Chriſtus æqualis Patri.* Non loquitur Auguſtinus de Sacramentis humanæ ſaluti datis, quæ inuiſibilis gratiæ ſigna ſunt viſibilia, ſed de myſterijs vitæ Chriſti, ſeu ijs, quæ Chriſtus ab ortu ſuo ad extremum diem vſq; pro noſtra ſalute in terris geſſit. *Lac*, inquit, *Sacramentorum pro noſtra ſalute in terris geſtorum, & lac noſtrum Chriſtus humilis eſt*, hoc eſt, quæcunque geſſit Chriſtus humilians ſemetipſum factus obediens vſq; ad mortem crucis. Sed Fabricius & vocem *geſtorum* maximè connexam reſcidit, & ſequentia prætermiſit, vt Auguſtinum de Sacramentis in eo ſenſu, quo de illis Bellarminus loquitur, agentem, Bellarmino contradicere demonſtraret. Verùm alia Sacramenta ſunt Baptiſmus, Confirmatio, Euchariſtia &c. de quibus Bellarminus; alia ſunt humilis Chriſti Natiuitas, paſſio,

Aug. tractat. 31. in Epiſt. Ioan.

Digitized by Google

Paſſio, Crucifixio, Mors, quibus tanquam lacte de ſcripturis vult Chriſtianos nutriri Auguſtinus, vt ad cibum ſolidum de Chriſti diuinitate capiendum creſcant.

Vt claras & faciles ſcripturas eſſe oſtendat Fabricius, indignè ſcripturas, & Bellarminum tractat. §. IV.

SVpereſt nunc, vt quaſdam Prædicantis calumnioſas nænias de claritate ſcripturæ atq; modo illam interpretandi, quod initio capitis propoſuimus, breuiter refutemus. Fruſtrà ſibi Aduerſarios de luce ſcripturæ, quam ſub modio cerebri ſui ponunt, blandiri ſcripſi. Indignabundus Fabricius exclamat. *Ridet nos Ieſuita, blandimentumq; vocat lucem ſcripturæ ſacræ.* Non lucem ſcripturæ, ſed veſtras vaniſſimas ſuperbiſſimaſq; de verbo Domini, malè ſcilicet intellecto, gloriationes, blandimentum vocaui. Queritur Fabricius de iniuria, quòd affirmē illos ponere lucem ſub modio: *quandoquidem,* inquit, *cum Irenæo non ex parabolis, ſed ex manifeſtis ſcripturæ locis argumenta ducimus, & ad obſcuriores locutiones illuſtrandas de clarioribus ſumimus exempla, vt ait Auguſtinus.* Ampliſſima verba, ſed mera verba. Poſſem innumeris exemplis vanitatem hanc Thraſonicam deprimere, ſed vnū hic ſufficiat attingere. Cùm de Catholica Eccleſia diſputamus, eamq; apud nos clariſſimis ſcripturæ locis duce Auguſtino eſſe demonſtramus, lucifugæ

Digitized by Google

c. 22. quem hîc non repeto, Addo pauculas alias breuiores, non obſcuriores illius ſententias. *Quamuis huius rei*, inquit Auguſtinus, (nimirum hæreticos non eſſe rebaptizandos) *certè de ſcripturis Canonicis non proferatur exemplum, earundem tamen ſcripturarum etiam in hac re à nobis tenetur veritas, cùm hoc facimus, quod vniuerſæ iam placuit Eccleſiæ, quam ipſarum ſcripturarum commendat auctoritas, vt quoniam S. ſcriptura fallere non poteſt, quiſquis falli metuit huius obſcuritate quæſtionis, eandem Eccleſiam de illa conſulat, quam ſine vlla ambiguitate ſancta ſcriptura demonſtrat.* Et de Baptiſmo contra Donatiſtas: *Hanc conſuetudinem credo ex Apoſtolica Traditione venientem, ſicut multa non inueniuntur in litteris eorum, neq; in Concilijs poſterorum, & tamen, quia cuſtodiuntur per vniuerſam Eccleſiam, non niſi ab ipſis tradita & commendata creduntur.* Atq; iterum: *Apoſtoli nihil quidem exinde præceperunt, ſed conſuetudo illa ab eorum traditione exordium ſumpſiſſe credenda eſt, ſicut ſunt multa, quæ vniuerſa tenet Eccleſia, & ob hoc ab Apoſtolis præcepta benè creduntur, quanquam ſcripta non reperiantur.* Deniq; de paruulorum baptiſmo differens ait: *Quod vniuerſa tenet Eccleſia, nec Concilijs inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, nõ niſi auctoritate Apoſtolica traditum, rectiſſimè creditur.* Hæc & alia eiuſmodi complura Auguſtini pro Traditionum Apoſtolicarum, & Eccleſiæ Catholicæ auctoritate, teſtimonia tam dilucida ſunt, vt extremæ vel imperitiæ, vel impudentiæ eſſe oportuerit Fabricium, cùm quaſdam alias ſententiolas illius contra Traditiones & Eccleſiam

l. 1. cont. Creſcon. c. 33.

lib. 2. c. 7.

l. 5. c. 23.

l. 4. c. 24.

Digitized by Google

ſiam violentè fraudulenterq;, vti demonſtrauimus, contorſit. Sed iam qualia cauſæ ſuæ ſubſidia à Græcis Patribus petat audiamus.

Primum è Græcis Doctoribus nominat S. Baſilium, cuius duo recitat teſtimonia. Vnũ eſt: *Quòd, quidquid vel dicimus vel facimus, id teſtimonio diuinarum literarũ confirmari debet, ad confirmationem fidei bonorum & confuſionem malorum.* Regulam hanc confirmat Baſilius exemplo Chriſti in ſolitudine ſacris ſententijs dæmonẽ propellentis, & Petri, diſcipulos poſt acceptã Spiritus S. gratiam variis linguis loquẽtes, ab ebrietatis ſuſpicione Ioelis teſtimonio vindicantis. An verò hæc quidq̃ aduerſũs diuinas traditiones pugnãt? quaſi nullũ ſacrarum literarũ ſuppetat teſtimoniũ, quo illæ cõmendẽtur. *Scripturarũ à nobis tenetur veritas*, dixit paulò antè Auguſtinus, *cùm facimus, quod placet vniuerſæ Eccleſiæ, quã ſcripturæ commendat auctoritas.* Ità etiã, cùm ſtamus & tenemus traditiones ab Apoſtolis, nõ tantùm per Epiſtolam, ſed etiam per ſermonem acceptas, ſcripto Apoſtoli Pauli præcepto paremus. Et tantum abeſt, vt ſacras traditiones hac Regula Baſilius voluerit abrogare, vt alibi illas expreſſiſſimè fuſiſſiméq; numerârit ac cõmendârit. *Dogmata*, inquit, *quæ in Eccleſia prædicantur, quædam habemus è doctrina ſcripto prodita, quædam rurſus ex Apoſtolorũ traditione in myſterio, id eſt, in occulto tradita recepimus: quorũ vtraq; parem vim habent ad pietatẽ.* Et poſt pauca longũ traditionũ texit Catalogum

In Moral. lib. Reg. 26.

2. Theſ. 2

l. de Spir. S. c. 27.

gum ac demùm dicit; *Deficiet me dies, ſi Eccleſiæ myſteria citrà ſcriptum tradita pergam recenſere.* Fucum ergo fecit Fabricius, cùm ex regula S. Baſilij Traditiones ab Apoſtolis ſine ſcripto Eccleſiæ relictas & hucuſq; conſeruatas impugnauit. Magnus Traditionũ Patronus, non hoſtis eſt Baſilius. Sed alterum ex eodem teſtimonium recitat Prædicans. *Stemus arbitratu inſpiratæ à Deo ſcripturæ, & apud quos inueniantur dogmata diuinis oraculis conſona, illis omnino adiudicetur veritatis ſententia: non enim æquum eſt, vt quæ apud ipſos obtinuit conſuetudo, pro lege ac Canone habeatur certæ doctrinæ.* Nulla huius Prædicantis fides eſt, ità hanc Baſilij ſententiam ſurſum deorſum inuertit; poſteriora prioribus præponit, media omittit, voces mutat, addit, demit. Tempore Baſilij controuerſia erat, an dicendæ eſſent tres in Deo hypoſtaſes: defendebat hunc loquendi modum cum alijs multis Baſilius; alij quidam tanquam nouum improbabant. *Nouandi ſtudium nobis obijciunt*, inquit Baſilius, *accuſationem contra nos tenentes ex eo, quòd tres confitemur hypoſtaſes.* Ac paucis interiectis. *Verùm culpandi gratia hoc dicunt, quòd ſit contra ipſorum conſuetudinem, & ſcriptura non adſtipuletur. Quid ergo ad hoc dicimus?* Reſpondet verò Baſilius ſic, non vti Fabricius confuſè & mutilè recitauit. *Non putamus æquum eſſe, vt quæ apud ipſos obtinuit loquendi conſuetudo, pro lege ac canone habeatur rectæ doctrinæ. Si enim ad probandam doctrinam rectam valet conſuetudo, licet & nobis omninò hac in*

Epiſt. 80.

Epiſt. 80 ad Euſtath.

re

re illos imitari. Stemus itaq; arbitratu inſpiratæ à Deo ſcripturæ, & apud quos inueniãtur dogmata diuinis oraculis conſona, illis omninò veritatis adiudicetur ſententia. Iam Prædicantis fidem excutiamus. Baſilius hypoſtaſeon, quas Latini perſonas dicunt, ternarium aduerſùs eos, qui illũ negabant, confirmaturus, ad ſcripturam ſacram tanquam claram huius controuerſiæ arbitram prouocat; Prædicans ſuppreſſo hoc certo argumento, Baſilij verba tanquam generalia profert, vt nulla, niſi ſcripto prodita dogmata eſſe amplectenda perſuadeat. Baſilius partiariæ quorundam loquendi conſuetudini ſuam aliorumq; contrariam obtendens, nullam totius Eccleſiæ conſuetudinem impugnat; Prædicans & vocem *loquendi* expungit, & conſuetudinis varietatem, verbis iſtis, *licet & nobis hac in re illos imitari,* omiſſis, diſſimulat, vt verba Baſilij ad Traditiones & conſuetudines totius Eccleſiæ non ſcriptas labefactandas accommodet. Sed quantus harum defenſor Baſilius, & Baſilij corruptor hic Fabricius fuerit, hæc vna Baſilij ſententia, vbi de ſacris Traditionibus loco paulò ſupra notato agit, liquidò monſtrat. *Si conſuetudines, quæ ſcripto proditæ non ſunt, tanquam haud multum habentes momenti conamur reijcere, imprudentes & ea damnabimus, quæ in Euangelio neceſſaria ad ſalutem habentur, imò potiùs ipſam fidei prædicationem ad nudum nomen contrahemus.*

Alter à Fabricio è Græcia vocatus Patronus

 eſt

propterea nō eos, qui magis proſunt, ſed qui magis oblectant, vt audi re poſſint, quærũt. Oro igitur, vt omnibus illis præcluſis auribus, ad amuſſim Canonem ſacræ ſcripturæ ſequamur. Et quando audis, dilecte, quòd plantauit Deus hortũ in Edem ſecundùm orientem, hoc quod dicit, plantauit, vt decet, de Deo intelligas, nempè quòd præcepit. At quod reliquum eſt crede, quòd & Paradiſus factus ſit, & in illo loco, vbi ſcriptura ſignificauit. Cæterùm non credere his, quæ in diuina ſcriptura continentur, ſed alia quædam ex propria ſentẽtia inferre, opinor plurimũ periculi ſecum aduehere his, qui talia audent. Hæc S. Chryſoſtomus: quę ideò prolixiùs recitare volui, vt multiplicem Fabricij fraudem clariùs exponerem. Chryſoſtomus iis, qui de Paradiſi plãtatione & loco, aduerſa ſcripturis loquuntur, qui quæ ſcripta ſunt, non ſicut ſcripta ſunt, ſed alia ratiõne intelligenda, & quæ de terra dicuntur, de cœlo accipienda eſſe contendunt; qui non credunt iis, quæ in ſcriptura continentur, ſed alia quædam ex propria ſententia inferunt; iis, inquam, aures præcludi, & Canonem ſacræ ſcripturæ de illa materia ſimpliciſſimè clariſſiméque loquentis ad amuſſim teneri poſtulat. Inſignis ergo Fabricij fraus inprimis eſt, quòd præcedentibus & ſequentibus omiſſis, breui Chryſoſtomi excerpto dicto, ſolã ſcripturam ſacris Traditionibus reiectis ſequendã eſſe conetur demonſtrare; quod vt faciliùs faciat, quæ altera fraus eſt, verba illa *omnibus illis præcluſis auribus*, etiam à breui, quam allegauit, ſententiola elimi-

nat; nam aliàs quæ foret conſequentia dicere? Chryſoſtomus ait, ijs, qui ſcripturæ repugnantia dicunt, aures occludendas, ſcripturæq; aperiendas eſſe; ergo dicit, diuinis atq; Apoſtolicis traditionibus obſerandas, ſolique ſcripturæ reſerandas eſſe. Quin tertiam quoq; fraudem addidit, cùm Chryſoſtomi verbis de Canone ſcripturæ ſequendo prolatis, iſta, tanquam rationem Chryſoſtomi, ob quã ſola ſcriptura ſit attendenda, ſubiecit, *ſacra enim ſcriptura ſeipſam exponit, neminem errare ſinit:* cùm tamen hæc verba, nec cum particula cauſali, nec hoc loco, ſed ante integram aliam periodum ſuprà, nec denique ita mutilè, vt à Fabricio recitantur, in S. Chryſoſtomo legantur, vt ex toto loco à me integrè prolato cuiq; inſpicienti liquebit. Non ait vniuerſim, *ſcriptura ſeipſam exponit*, ſed, *ſcriptura ſacra, cùm nos tale quiddam docere vult, ſeipſam exponit.* Volebant enim quidam ſcripturam de terra Edem, in qua plantatus fuit Paradiſus, loquentem, non in obuio ac proprio, ſed in altiori quodam & improprio atq; Allegorico ſenſu de cœlo intelligendam eſſe: opponit ergo illis Chryſoſtomus morem ſcripturæ ſacræ, quæ ſi alicubi obſcurè atq; per Allegoriam quiddam loquitur, alibi perſpicuè proprijſq; verbis ſolet explicare, ac dicit; *ſcriptura ſacra, cùm nos tale quiddam docere vult*, quale iſti de terra Edem ſecundùm Orientem, per quam cœlum intelligatur, fingunt, *ſeipſam expo-*

nit

Digitized by Google

nit, quod tamen de terra Edem aliter, quàm propriè intelligenda, nuſquam tradit. Non ergo illis verbis Chryſoſtomus rationem reddit, vt Fabricius fingit, cur ſcripturæ Canon ſequendus, ſed cur ijs, qui pro claro proprióq; ſenſu, obſcurum atq; metaphoricum nullibi à ſcriptura declaratum obtrudunt (quod etiam Caluiniſtæ in Chriſti verbis, *Hoc eſt corpus meum,* faciunt) non credendum ſit. Sed quid multis fraudes Fabricij in Baſilium & Chryſoſtomum commiſſas perſequimur, cùm tam dilucidum vterq; ſacris Traditionibus teſtimonium dederit, vt illo vno Fabriciani doli omnes effugentur. Ità enim ex hoc Pauli dicto: *State & tenete traditiones* &c. colligit Baſilius. *Arbitror Apoſtolicum eſſe, etiàm non ſcriptis traditionibus inhærere.* Et Chryſoſtomus: *Hinc patet, quòd non omnia per Epiſtolam tradiderint, ſed multa etiam ſine literis. Eadem verò fide digna ſunt tam illa, quàm iſta. Itaq; traditionem quoq; Eccleſiæ, fide dignam putamus. Traditio eſt, nihil quæras amplius.* Sed hæc ſatis ſint de Fabriciana Patrum pro ſolis ſcripturis aduerſùs ſacras Traditiones corruptela.

Lib. de Spir. S. c. 29.
In 2. Theſſ. 2. hom. 4.

Fabricius malus Dialecticus me calumniatur: Auguſtinum & Bellarminum corrumpit. §. *III.*

VErùm enimverò quid mirer, ſi in mea quoque dicta inuolet, eaq; ſiniſtrè interpretetur, qui S S. Patribus neſcit parcere? Dixeram

ego: *Quærimus veritatem in ſcripturis, ſed Duce Eccleſia.* Ex hoc dicto Fabricius colligit, ſolas Scripturas traditionibus diuinis excluſis, vel me iudice, eſſe conſulendas. Audiamus acutum interpretem: *Quærimus,* inquit Ieſuita, *veritatem in ſcripturis, proculdubio omnem veritatem intelligit. Indefinita enim ſtat pro vniuerſali apud Philoſophos. At quàm putum & fœtidum mendacium! Omnibus enim conſtat plurimarum doctrinarum farraginem vos extra ſcripturam ſacram quærere. Ibi enim ſolùm veritatis deliciæ.* Proculdubio Fabricius nihil intelligit, & nec bonus Dialecticus, nec bonus vir eſt. Nã propoſitio hęc: *Quæro,* aut, *quærimus veritatem in ſcripturis,* non indefinita, ſed ſingularis eſt: neque enim propoſitioni quantitatem termini obliqui prædicato adiecti, ſed ſubiectum aliquo, vel nullo ſigno prænotatum largitur. Neq; etiã indefinita vniuerſali, ſed particulari vniuerſim ac vi formæ æquipollet ſecundùm Dialecticos. Nec qui dicit, *quæro veritatem in ſcripturis,* omnẽ proculdubio veritatem intelligit: niſi fortè Prædicanti is, qui hominem in foro, lupum in ſilua quærit, omnẽ hominem, & lupum quæritare proculdubio videatur. Nec deniq; ſolùm extrà ſcripturã veritatis deliciæ à nobis quæruntur, quod putũ & fœtidũ, vt mitiùs illo loquar, figmentum eſt. Imperitũ verò ille conuicium mihi facit de puto & fœtido mẽdacio, quaſi ego dicto illo innuerim, nos omnem veritatem in ſcripturis quærere, nullamq; traditionibus nõ ſcri-
ptis

ptis fidem adhibere. Senſus dicti mei eſt, nos veritatem, quam Scripturæ tradunt, ex illis, ſed non niſi magiſtra Eccleſia, ne ab hæreticis circũueniamur, diſcere. Traditionibus diuinis nihil detraho. Fruſtrà ergo mihi Bellarminum, qui multa de Sacramẽtis ex traditione Chriſti haberi docet, tanquam Aduerſarium, opponit, cuius doctrinæ omninò conſentio. Sed neq; Bellarminum Prædicans ſine falſimoniâ, ità totus ex dolis conſutus eſt, potuit producere. *Fatetur*, inquit de Bellarmino Fabricius, *in Scripturis nil reperiri de Sacramentis, præterquam de duobus aut tribus ad ſummum, licet, inquit, credendum ſit omnia Sacramenta, quoad eſſentiam à Chriſto inſtituta eſſe. Puduit ipſos iſtius doctrinæ: ideò verba iſta prætermiſſa ſunt in editione Sartoriana.* Imò pudeat te, Fabrici, Pſeudologiæ tuæ, Prima editio Bellarmini Sartoriana fuit: quomodo ergo verba iam antè edita in illa prætermiſſa ſunt? Verba Bellarmini loco à te citato in variorum locorum pluribus editionibus, eadem hodie, quæ primò, conſtanter hæc leguntur. *Traditiones diuinæ dicuntur, quæ acceptæ ſunt ab ipſo Chriſto Apoſtolos docente, & nuſquã in diuinis literis inueniuntur: talia ſunt ea, quæ ad materiã & formã ſacramentorũ pertinẽt, pauca enim habemus de his in diuinis literis, & tamen certũ eſt, ſacramentorum eſſentiam non potuiſſe, niſi à Chriſto inſtitui.* Sed falſæ huic in Bellarminũ calumniẹ vt probabilis accuſationis colorẽ faciat, ac meritò verba illa ab auctore, vel alijs deleta eſſe ſuadeat, Auguſti- lib. 4. de verbo Dei non ſcripto. c. 2.

 num

Paſſio, Crucifixio, Mors, quibus tanquam lacte de ſcripturis vult Chriſtianos nutriri Auguſtinus, vt ad cibum ſolidum de Chriſti diuinitate capiendum creſcant.

Vt claras & faciles ſcripturas eſſe oſtendat Fabricius, indignè ſcripturas, & Bellarminum tractat. §. IV.

SVpereſt nunc, vt quaſdam Prædicantis calumnioſas nænias de claritate ſcripturæ atq; modo illam interpretandi, quod initio capitis propoſuimus, breuiter refutemus. Fruſtrà ſibi Aduerſarios de luce ſcripturæ, quam ſub modio cerebri ſui ponunt, blandiri ſcripſi. Indignabundus Fabricius exclamat. *Ridet nos Ieſuita, blandimentumq; vocat lucem ſcripturæ ſacræ.* Non lucem ſcripturæ, ſed veſtras vaniſſimas ſuperbiſſimaſq; de verbo Domini, malè ſcilicet intellecto, gloriationes, blandimentum vocaui. Queritur Fabricius de iniuria, quòd affirmē illos ponere lucem ſub modio: *quandoquidem,* inquit, *cum Irenæo non ex parabolis, ſed ex manifeſtis ſcripturæ locis argumenta ducimus, & ad obſcuriores locutiones illuſtrandas de clarioribus ſumimus exempla, vt ait Auguſtinus.* Ampliſſima verba, ſed mera verba. Poſſem innumeris exemplis vanitatem hanc Thraſonicam deprimere, ſed vnū hic ſufficiat attingere. Cùm de Catholica Eccleſia diſputamus, eamq; apud nos clariſſimis ſcripturæ locis duce Auguſtino eſſe demonſtramus, lucifugæ

Reſpondebit. *Hæc illa cauſa eſt, cur orare, ſcrutari & meditari debeamus; quod ſi fiat, verũ à falſo facilè diſcernemus.* At verò quid multa oratione, ſollicita ſcrutatione, longa meditatione opus eſt, ſi ſcriptura tam perſpicuè loquitur, vt quiuis eius mentem intelligat; ſi verba, vt ſonant, capienda; ſi, quando legimus, ſenſus ipſe illicò ex verbis profluit? Quis enim, vt literas ad ſe datas clariſſimas intelligat multa ſe prece, inquiſitione, meditatione fatigat? Sunt illa igitur ob difficultatem ſcripturæ perneceſſaria, ad quæ niſi antiquorum Patrum, veteriſq; Eccleſiæ, & quæ cum illa conſentit, magiſterium accedat, quis non videt inter tot hæreſes, parùm cætera profutura? Non exaudit Deus orantem pro ſenſu Scripturæ, qui Doctores ab ipſo datos, & Eccleſiam toties commendatam audire recuſat.

Verùm redeamus ad Fabricium, qui ne quidquam in ſcripturis difficile aut obſcurum admittere cogatur, Petri ſententiam ità interpretatur. *Fatemur,* inquit, *cum Petro Apoſtolo quædam difficilia intellectu contineri in iſs, de quibus Paulus in ſuis Epiſtolis, ſed negamus Petrum dicere, in Paulinis Epiſtolis quædam eſſe obſcura.* Sed vnde probat Fabricius Petrum de rebus, non de Epiſtolis Pauli loqui? *Ex ipſis verbis,* ait, *eſt manifeſtum, non enim dicit ἐν αἷς, ſed οἷς, quod palàm refertur ad τούτων, quod proximè præcedit. Occaſio erroris nata eſt ex vulgari editione, quæ vertit (in quib⁹) quod eſt ambiguũ; Beza multò meli⁹ vertit (inter quæ)* Beza tuus Fabri-

Fabrici, contra te eſt: is enim monet, etſi quædam Græca exemplaria habeant ἐν οἷς, pleraq; tamen habere ἐν αἷς, idq;, ait, *omninò rectum puto.* Verſio illa (*inter quæ*) ſcioli Eraſmi eſt, qui, cùm omnes Græci Codices paulò antè habeant πάσαις ἐπιστολαῖς, ipſe reddidit *in omnibus ferè epiſtolis,* voculámq; *ferè* de ſuo addidit. Et profectò per ea, quæ dicit Petrus ab indoctis & inconſtantibus eſſe deprauata, intelligi quædam in Epiſtolis Pauli, ex ſequentibus manifeſtum euadit, *ſicut & cæteras ſcripturas.* Docet ergo Petrus ità à quibuſdam quoad ſenſum deprauari Epiſtolas Pauli, ſicut cæteras ſcripturas: ait enim, *in quibus ſunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & inſtabiles deprauant, ſicut & cæteras ſcripturas.* Niſi per difficilia quaſdam Paulinarum Epiſtolarum ſententias intellexiſſet Petrus, vtiq; non ſubiunxiſſet, *ſicut & cæteras ſcripturas.* Vox, *cæteras*, apertè oſtendit, Petrũ antè de quibuſdam Scripturis locutũ eſſe. Itaq; nec Beza, nec græcus textus, nec ipſe Petri contextus quidquam Fabricium iuuant, vt negare poſſit, & in Pauli literis, & in cæteris ſcripturis, quædam intellectu difficilia reperiri, quæ indocti & inſtabiles ſoleant deprauare.

Sed quidquid Petrus dicat de Scripturarum deprauatione, non poteſt ſibi perſuadere Fabricius, etſi cum ſuis Symmiſtis id perpetuò faciat, Scripturas facilè deprauari, aut ad errores ſtabiliendos detor-

Digitized by Google

torqueri poſſe. Quare gladio clypeoq́; ex Salomonis & Pauli armario petitis armatus, omnis, imò ſuæ in ſcripturas violentiæ ſuſpicionem penitùs de medio tollere nititur. *Videndũ*, inquit, *an ita in diuerſas partes rapi poßit ſcriptura diuina. Ad Hebræos dicitur ſermo viuus, efficax, penetrabilior omni gladio ancipiti & pertingens vſq; ad diuiſionem animæ & Spiritus.* Hebr. 4. v. 12. *Ad Rom. Euangelium dicitur virtus, ſeu potentia Dei ad ſalutem omni credenti.* Rom. 1. v. 16 *Ad Epheſios vocatur gladius Spiritus.* Ephes. 6. v. 17. *In Prouerbijs Salomonis, Clypeus ſperantibus in ſe.* Prou. 30. v. 5. *His ſatis innuitur ſcripturam ſacram non facilè poſſe detorqueri ad errorem ſtabiliendum.* Imò ſatis, inquam ego, his innuitur, quantus ſcripturæ deprauator ſit Fabricius, qui illam etiam, cùm oſtendere vult torqueri non poſſe, tam apertè torquet. In nullo horum locorum agitur de ſcriptura. Paulus ad Hebræos manifeſtè de æterno Dei verbo, ſeu filio Dei, cui nullam creaturam ait inuiſibilem, ſed omnia nuda & aperta eſſe oculis eius; Ad Romanos de prædicatione Euangelij, rebuſq; per Euangelium annunciatis; ad Epheſios de verbo Dei abſolutè, non de ſcripto tantùm, vti & Salomon de omni ſermone Dei loquitur. *Omnis ſermo Dei ignitus clypeus eſt ſperantibus in ſe*, ait in Prouerbijs Salomon. Quid ergo rapit Prædicans hæc ad ſcripturã, quæ vel non de ſcriptura, vel non de ſola, vel deniq; non de ſola litera, ſed ſpiritu quoq; ſcripturæ, hoc eſt, vero illius ſenſu, quem ſola Eccleſia integrè

Digitized by Google

ſeruat, & fideliter docet, loquuntur? Scimus ſcripturam in vero ſenſu intellectam torqueri non poſſe, ſed literam à vero ad falſum ſenſum trahi & rapi quotidie videmus; & prætereà quàm futilis hæc etiam eſt illatio? Scriptura eſt gladius, eſt clypeus: ergo non poteſt in diuerſa rapi, aut aliò facilè detorqueri. Quaſi verò gladius flecti, curuari, frangi, abijci; clypeus in varias partes, & quoquouerſùm, etiam quò non oportet, facilè verti non poſſit.

Sed facilitatem claritatemq́; ſummam ſcripturarum alio argumento Fabricius ſuadet. *Ieſuita noſter*, inquit, *perpendat ſeriò, Patres antiquos probare ſententias ſuas ex ſcripturis ſacris, nemo autem probat obſcurum per obſcurius.* Ad hoc Argumentum à Luthero emendicatũ pridem egregiè reſpondit Bellarminus, merũ ſophiſma eſſe. *Cùm enim*, inquit, *Philoſophi dicunt, minus notum ex magis noto probandum eſſe, non loquuntur de notitia verborum, quæ in perſpicuitate ſententiæ conſiſtit, quemadmodum dicimus notiorẽ eſſe, id eſt, faciliorem & clariorem ſententiam propriam, quàm figuratam, ſed de notitia veritatis rei, quæ in eo poſita eſt, vt quis intelligat id, quod dicitur, eſſe verum. Exemplo ſint, motus & vita. Nam ſi verba reſpicias, æquè facilè intelligitur hæc ſententia: Homo viuit: atq; iſta, Homo mouetur. Et tamen, quod attinet ad notitiam veritatis rei, notius eſt hominem moueri, quàm viuere. Ità igitur Patres ſententias ſuas ſcripturis confirmant, quia notius eſt verum eſſe, quod in ſcripturis habetur, quàm quod habetur in Patribus: & tamen iidem Patres commentarijs ſuis ſcripturas*

lib. 3. de verb Dei c. 2.

Digitized by Google

ras illuſtrant, quia verba Scripturæ ſunt obſcuriora, quã verba Patrum. Hoc reſponſum Bellarmini verbatim ideò refero, vt omnes videant Fabriciũ prȩter impudentes calumnias, quibus illud lacerat, nihil, quod reponat, habere. Hoc enim illius de hoc reſponſo iudicium eſt. *Reſpondet Bellarminus, ſcripturas reuera quoad veritatem clariores, non verò quoad verba; quàm delirans reſponſum?* Fabricij ſcilicet: delirorum enim eſt reſponſa, quorum vim ſentiunt, & ratione repellere non poſſunt, calumnijs excipere. Sed pergat delirare Prædicans. *Quid enim illud? Scripturæ ſunt clariores, quoad veritatem, niſi hoc, ſunt veriores, de quo non controuertitur.* Nónne delirium hoc eſt, mirari ab eo, qui diſtinguit, id concedi Aduerſario, de quo non eſt controuerſia? Omnis, qui Aduerſarij propoſitionem diſtinguit, in parte, quam affirmat, cum Aduerſario conuenit; de parte, quam negat, tota controuerſia eſt. Verùm vltimam Prædicantis de ipſa Bellarmini diſtinctione cenſuram audiamus. *Qualis etiam hæc eſt diſtinctio? nam ſi veritas Scripturæ clarior eſt, quomodo poſſunt verba eſſe obſcuriora: nam ex verbis veritas oritur.* Qualis eſt hæc conſequentia? Veritas ſcripturæ quoad rem ipſam eſt clara: ergo verba non poſſunt eſſe obſcura. Qualis eſt hæc conſequentiæ probatio? Veritas ex verbis oritur: ergo, cùm res eſt clara, verba non poſſunt eſſe obſcura. Mera deliria Alogi Prædicantis. Nónne prima principia

per ſe nota ſunt, & quoad rem, nec probatione, nec explicatione vlla indigent, verba tamen & termini, quibus proponuntur, ſæpenumerò explicari debent? Nihil enim eſt, quod aſſenſum primi principij retardet, quàm terminorum ignoratio: vt primum principium proinde dicatur, cui, ſi termini intelligantur, illicò aſſenſus præbeatur. Vaniſſimum ergo eſt dicere: Veritates ſcripturæ quoad rem ſunt notiſſimæ, ergo ſcriptura, quoad verba, nulla explicatione indiget. Et illo quoq; huius vanæ conſequentiæ fulcro quid infirmius? *Veritas ex verbis oritur.* Falſum eſt: nec rei, nec verborum veritas ex verbis naſcitur. Verba veritatem rei ſignificant, non pariunt; ſuam à rebus accipiunt. *Eſt enim,* vt ait Philoſophus, *oratio vera vel falſa ex eo, quòd res eſt, aut non eſt.* Nec dum Logicæ principia callet hic Prædicans, & ambire auſus eſt apud nos, antequam à nobis fugeret, Theologiæ lauream? Sed & hæc, vel maligna, vel imperita illius impoſtura eſt, cùm ait Bellarminum reſpondere, quòd ſcripturæ ſint clariores quoad veritatem, non autem quoad verba. Bellarminus non voce *clariores*, ſed *notiores* vſus eſt; licet enim ſcripturæ veritates ob dicentis ſummam auctoritatem certiſſimæ notiſſimæq; ſint, quia tamen creduntur, non videntur, claræ non ſunt, cùm fides ſit argumentum non apparentium. Tota ergo hac Bellarminiani reſponſi cenſura Fabricius

In Præd. c. de ſubſtantia.

non

non ſcripturam claram oſtendit, ſed ſuam imperitiam & inſipientiam minimè obſcuram prodidit. Taceo Patres ad confirmandas ſuas ſententias ferè ſcripturis iam antè explicatis, aut tam claris, quæ expoſitione vix egeant, vti, quod paſſim videre eſt in Auguſtino, cùm de Catholica Eccleſia contra Donatiſtas diſputat. Minimè verò hinc, quod Fabricius infert, conſequitur, vniuerſas ſcripturas cùm fidei myſteria tractant, æquè faciles ac claras eſſe. An verò omnimodam ſcripturæ claritatem meliùs ipſius ſcripturæ auctoritate, quàm Patrum conſuetudine confirmat, cùm hoc teſtimonium ex Deuteronomio pro trita ſcripturarum via profert? *Mandatum quod præcipio tibi hodie, non occultum eſt à te, neq; longinquum, non eſt in cœlis, vt dicas, quis aſcendet nobis in cœlum, qui ſumens illud nobis enuntiet? Neq; eſt vltra mare, vt dicas, quis tranſibit nobis trans mare, ſed propinquum eſt tibi hoc verbum in ore tuo, & in animo tuo ad faciendum illud.* Sed quid locus iſte ad totius ſcripturæ à quocunq;, etiam ſine Eccleſiæ manuductione, facillimè intelligendæ perſpicuitatē probandā? Loquitur Moſes, vel de lege nomine Dei à ſe Iudæis promulgata & explicata, vel de mandato pœnitentiæ & fidei in Chriſtum, legis tranſgreſſoribus ad reparandam cum Deo amicitiam, pœnamq; maledictionis effugiendam propoſito, quo ſenſu verbis illis Moſis Apoſtolus in Epiſtola ad Romanos vtitur. Quæ ergo conſequen-

Deut. 30. 11.

Rom. 10. 6 & ſeqq.

Digitized by Google

tia eſt iſta? Lex Iudaica à Moſe populo primùm nuntiata & explicata, ac ſeptimo quoque anno à Sacerdotibus coràm omni Iſraele repetita, intellectu & obſeruatu, accedente Diuinę gratię auxilio, facilis fuit: ergo totam ſcripturam de maximis myſterijs differentem quiſq; ſola lectione, ſine Doctorum explanatione, intelligere poteſt. Aut hæc: Facile eſt cuiuis peccatori per ſeriam pœnitentiam & fidem in Chriſtum redire cum Deo in gratiam: ergo Scripturæ ſenſus ſine vllo magiſtro apertus & obuius eſt. Rectiùs firmiuſq; hoc ſcripturæ dicto facilis mandatorum Domini obſeruatio contra Prædicantes à nobis, quàm à Fabricio ſumma ſcripturæ claritas aduerſùm nos demonſtratur.

Malignæ fraudes & technæ Fabricij de vero ſenſu ſcripturæ ab Eccleſia diſcendo: craſſæ quoq; in nos calumniæ. §. V.

VErùm iam ad extremum audiamus Prædicantem leges de Scripturæ vero ſenſu reperiendo dictantem, & cauſas, cur nos in lectione Scripturæ parùm proficiamus, imò infandas calumnias recitantem. Ait ad verum Scripturæ ſenſum indagandum, *plurimùm à ſanctis Patribus commēdari comparationes vnius loci cum aliis parallelis & ſimilibus, obſcurioris cum claris, & apertis de eadem re agentibus, collimationē ad ſcopum auctoris ſic, vt ſequentia cum præcedentibus iungamus,* exa-

examen interpretationis cum Analogia fidei. Et nos hæc media præclara perutiliaq́; ad ſcripturas intelligendas eſſe cenſemus. At verò cuius collationē, collimationem, examen, cùm à tam multis hæc ſectis iactentur, tutò ſine vllo erroris periculo ſequemur? Vnius, aut paucorum priuatorum collatio intuta; omnium Eccleſiæ Doctorum & Paſtorum, non eorū modò, qui hodie, (ne partem pro iudice videamur obtrudere Aduerſariis,) ſed qui omnibus retrò ſeculis ad Apoſtolicum vſq; vixerunt, tuta probatáque eſt. Quare non eſt, vt Prædicans petulanti cachinno nobis exprobret. *Quàm ridiculum illud pactum, quo reus ſe legi ſubmittit hac conditione, dummodò Iudex promittat ſe recepturum legis expoſitiones ab Aduocato rei partes ſuſtinētc. Ità Pontificius quærere veritatem in Scripturis non aſpernatur, dummodò Iudex patiatur expoſitionem legis ferri ab Eccleſia Romana.* Nō aduocati, ſed iudicis officium ab antiquo tenet Eccleſia Romana; nec æquior eſt veſtra exceptio, quā ſi quis Imperatorem ab eo condemnatus partem facere, alioque prouocare vellet. Damus tamen hoc pertinaciæ veſtræ, & quia hodiernam Romanam Eccleſiam contemnitis, ad antiquæ Romanæ Eccleſiæ, quando vel veſtro iudicio ſana in fide fuit, & inſuper aliarum, quæ toto in orbe cum illa conſpirarunt, tribunal vos vocamus: ſi vobiſcum illæ ſentiant, viciſtis; ſi nobiſcum, palmam nobis cedite. An hoc ridiculum? imò vel ma-

Digitized by Google

maximè illud, quod vos facitis, qui vos ſcripturæ ſubmittitis, ea tamen lege, vt Iudex veſtram vnicã Reorum expoſitionem, etſi omnibus antegreſſis ſæculis inauditam, tanquam genuinam admittere recipiat. Quis riſum teneat? Et quanquam ſubinde, ne nimium ridiculi fiant verſuti Caluiniſtæ, ſoleant, vti Fabricius, dicere, Eccleſiæ ductum in ſcripturæ interpretatione eſſe ſequendum: ſi tamen ad viuum dicta eorum reſecentur, Eccleſiæ nomine ſolam ſectam ſuam, aut Prophetas, Apoſtolos, ac Euangeliſtas in ſcriptura loquentes, aut antiquam Eccleſiam, ſiquidem in ſcriptura interpretanda ipſis conſentiat, intelligere comperiuntur. *Fatemur ingenuè*, inquit Fabricius, *cum Vincentio Lyrinenſi citato à Ieſuita, etiam cum Auguſtino dicente*, Regulam fidei de ſcripturarum locis planioribus & Eccleſiæ auctoritate percipi, *id eſt, veram fidem ex planioribus ſcripturæ locis petendam non quomodocunq; intellectis, ſed præeunte voce, ductu, & magiſterio veræ & Orthodoxæ Eccleſiæ atq; Vniuerſalis.* Rem magnam præſtas Fabrici, ſi poſt tot fraudes tandem bonus & ingenuus es. Quid per veram, Orthodoxam & Vniuerſalem Eccleſiam intelligis? Si vnius ſeculi & terræ ſectam, decipis; ſi temporum locorúmq; ſpatijs per quindecim, aut certè per primas quatuor ætates & vniuerſum orbem dilatatam, quæ cum tua conteſſeret, ingenuum te dico & prædico. Et quidem ſpem bonam nobis das, cùm

cùm infrà ais: *Munus Eccleſiæ eſt, ex clarioribus ſcripturæ locis obſcuriora illuſtrare, tum adferre vnanimem Patrum ſuper interpretatione conſenſum.* An verò hic Patrum vel Eccleſiæ totius de aliquo ſcripturæ ſenſu conſenſus, ità tibi certus eſt, vt omni erroris periculo carere, tutòq; ſequendum iudices? Hoc quidem tua illa indicant verba ſuperiora, *fidem petendam eſſe ex planis ſcripturæ locis, non quomodocunq;, ſed præeunte Eccleſiæ vniuerſalis ductu & magiſterio intellectis.* Sed vulpinus aſtus hîc tectus, infrà ſe tãdem prodit in iſtis: *Admittimus lubenter veritatem quærendam in ſcripturis Duce Eccleſia: At videndum, ne Hecuba pro Helena, Lia pro Rachele ſupponatur. Periculum non eſt, ſi Auguſtini vtaris conſilio* Ne in Eccleſia errares: ne quis tibi dicat, Chriſtus eſt, qui non eſt Chriſtus, aut Eccleſia eſt, quæ non eſt Eccleſia: audi vocem Paſtoris tui, noli ſequi vocem alienorum, & furem non timebis, ſi fueris vocem Paſtoris ſecutus *At quare Magiſterium Eccleſiæ iungendum lectioni? An quia in interpretandis ſcripturis Eccleſia errare non poteſt? nequaquam, ſed, inquit Origenes,* quia faciliùs inuenitur, quod quæritur in ſcripturis, ſi ex pluribus locis de re eâdem ſcripta leguntur. *At quoties in Scholis Theologorum Louanij, Duaci, Tholoſæ, Pariſijs audiui, eximios Rabinos Magiſtros ad ſuas interpretationes probandas non alio vti argumento, quàm ab auctoritate Eccleſiæ.* Hucuſq; Fabricicius. Quàm bonum horum verborum auſpicium? *admittimus lubenter Ducem Eccleſiam.* Quàm cautè illud

In pſ. 96.

Hom. 24. Num.

de vera Eccleſia circumſpiciendum eſſe, *ne Hecuba pro Helena, vel Lia pro Rachele ſupponatur*; quàm hoc quoque prudenter & verè, periculum abeſſe, ſi ex conſilio Auguſtini illam Eccleſiam audiamus, quã Chriſtus ipſe in Scriptura manifeſtis verbis monſtrat & commendat. Verùm hæc omnia meros Fabriciani ſtyli fucos, non ſeriam animi ſententiam eſſe, quis non ex poſterioribus & vltimis verbis liquidò perſpicit? cùm Eccleſiam in ſcripturis interpretandis errare non poſſe pernegat, & argumentum ab auctoritate Eccleſiæ ad interpretationes probandas petitum, tanquam infirmum ridet. Si errare poteſt Eccleſia, quomodo periculum nullũ eſt audire illius de Scripturæ ſenſu ſententiam? Si Eccleſiæ auctoritas ad probandam ſcripturæ interpretationem inualida, & inſuper periculoſa eſt, quis non videt, quo animo Prædicans dixerit? *plana ſcripturæ loca non quomodocunq;, ſed præeunte voce vniuerſalis Eccleſiæ intelligenda; interpretationi Vnanimem Patrum conſenſum addendum; veritatem in ſcripturis quærendam Duce Eccleſia, & periculum nullum eſſe, ſi hanc ab ipſo Chriſto commendatam audiamus.* Nihil ſimulatum durabile. Hæc extrema ſeriaq; Fabricii ſententia eſt, Eccleſiam in ſcripturis intelligendis nequaquam ab errandi periculo exemptam eſſe, eiuſq; auctoritatem ad confirmandas ſcripturæ interpretationes, parùm ponderis habere. Quis verò tam plumbeus ſit, vt non intelligat

intelligat, hæc eò à Prædicante dici, vt, quod vltimum omnium deſperatarum ſectarum diuerticulum eſt, totius Eccleſiæ conſenſum, cùm libet, ſub erroris prætextu reijcere, ſuumq́; de Scripturæ ſenſu iudicium illi liberè præponere poſſit. Fruſtrà igitur ſumus, ſi ſperemus, quidquid amplis in ſpeciem verbis Prædicantes interdum polliceantur, eos Patrum, aut antiquæ Eccleſiæ circa Scripturæ explicationem communi ſententiæ nobiſcum acquieturos.

Sed quas cauſas deniq; Lynceus Fabricius noſtræ in veræ Scripturę ſenſu attingendo, tarditatis & cœcitatis profert? Auditũ ſermonis alieni à verbo Dei, carnis ſapientiam & prudentiam, impietatem, odiũ & faſtidium veritatis, linguarum ignorantiã. Hęc de nobis affirmat, ſed nullo argumento confirmat, niſi quòd ſecundam cauſam impudentiſſimis calumnijs fulcit. *Non eunt*, inquit, *inficias Pontificij, ſe temporalis commodi & gloriæ gratia, falſas ac nouas opiniones ſequi. Inde Confeſſionis auricularis perſuaſio, qua principũ conſilia aſtuti filijs tenebrarũ detegunt. Inde Miſſæ ſacrificiũ, cuius ne iota quidẽ in lege. Tandẽ totus Traditionũ humanarũ fumus, ex fœtido ſuperbiæ & auaritiæ abyſſo euolat.* O effrontẽ calumniatorẽ? Quis noſtrũ fatetur nos falſas opiniones, quæſtus faſtuſq́; cauſſâ ſequi? nominare debuiſti confitentes, ſi calumniæ ſuſpicionem effugere voluiſti. Quis infandum illud violatæ ſecretæ con-

Digitized by Google

feſſionis ſacrilegium à te confictum cogitauit, aut patrauit? Silentium Confeſſionis nobis ſacroſanctum eſt, nec violatores, niſi Caluiniſtas, timet. Notum eſt, quinam hominem inſecratum, ſacra veſte amictum ſubmittere auſint ad eliciendum ſacræ confeſſionis nomine à reo, quæ velint. Sacrificium Miſſæ, diuini cultus, non humanæ gloriæ ſymbolum eſt. Illius quidem nullum Iota in Caluiniana lege, ſed in Propheticis, Euangelicis, & Apoſtolicis ſcriptis, ſanctorumque Patrum commentariis, plurima lucidiſſimaq; teſtimonia leguntur. Non deniq; diuinæ & Apoſtolicæ traditiones ſatis ſuprà defenſæ, ex ſuperbiæ & auaritiæ, ſed Fabricianæ iſtæ calumniæ ex fœtida (neq; enim cum Solœciſta Fabricio libet, *fœtido*, dicere) maledicentiæ abyſſo euolant. Veriùs nos Calumniatori huic talionem ſine calumnia reddere poſſumus. Impietatem illius, atque inhoneſtam carnis licentiam Louanium & Bruxellæ norunt; veritatis odium tam frequentes & craſſæ Patrum corruptelæ teſtantur; linguarum ignorantiam, vt cæteros, qui præiuerunt & ſequentur, taceam, vel recentiſſimus iſte Solœciſmus (*ex fœtido abyſſo*) apertè prodit.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT. III.

RESPONSA FABRICII AD AVctoritates ex Vincentio Lirinenſi, Tertulliano, Auguſtino allatas examinantur.

AD Eccleſiæ in docenda veritate auctoritatē, & hæreticorum in corrumpendo Scripturæ ſenſu fallaciam demonſtrandam, quædam trium antiquorum Patrum teſtimonia in ſecundi Fundamenti tractatione produxi. Meiſnerus breuitatis, quam Theſes requirant, prætextu, illorum pondus excutit. *Dicta*, inquit, *ex Tertulliano & Auguſtino, vt & cætera Patrum teſtimonia paſſim allegata, hic ſingulatim examinare non fert modus* θέσεων, *ideoq́ illa vel plenæ refutationi, vel ipſi collationi reſeruata volumus.* Fabricius verò, neſcio an vt Meiſnerum hac laboris moleſtia liberet, pleno reſponſo ſententiarum illarum pondus eleuare molitur, ſed miſerè opprimitur. Monſtremus obtritum Prædicantem, & à Lirinenſi ordiamur.

Fabricius dolosè falſoq́ duo Vincentii loca eludit: vnum S. Matthæi mutilat. §. I.

DVos Vincentij locos attigi. Primus eſt, quo docet *in fide munienda, legis diuinæ auctoritati, Eccleſiæ Catholicæ traditionem, ſeu Eccleſiaſticæ intelligen-* Aduerſ. hæreſ. c. 1 & 2.

tiæ auctoritatem, propter multos varij erroris anfractus, iungendam eſſe, vt Propheticæ & Apoſtolicæ interpretationis linea ſecundùm Eccleſiaſtici & Catholici ſenſus normam dirigatur. Quid ad iſta Prædicans? Vt Eccleſiæ iudicium declinet, & ſuũ ſibi ſenſum de ſacris verbis extortum ſaluum ſeruet, ab Eccleſia ad vnicam ſcripturam fugit, nullamq́; Eccleſiæ interpretationem legitimam, niſi quæ clarè in ſacris litteris ſcripta, indeq́; deprompta ſit, à Vincentio Lirinenſi indicari tradit. *Vnde pendeat,* inquit, *auctoritas Eccleſiaſticæ intelligentiæ, oſtendit Vincentius ſecundo capite, dum vocat perfectum ſcripturarum Canonem, ſibiq́; ad omnia ſatis ſuperq́; ſufficere, proindè ad ſui interpretationem. Tum demùm igitur Eccleſiaſtica intelligentia ſortitur auctoritatem ſuam, dum ex ipſomet Canone interpretationes ſuas deſumit, quas interpretationes magni facimus, & neceſſarias eſſe propter varios errorum anfractus dicimus.* Multiplex eſt in his Prædicantis verbis dolus & falſitas. Apertè inprimis à verbis & mente Vincentij alienum eſt, quod illi Fabricius tribuit, interpretationem ab Eccleſia ex ipſo ſcripturarum Canone deſumi debere, ità vt cuiuis legenti verba ſacra, è quibus interpretatio hauſta eſt, verus ſenſus ex ipſis illis verbis clariſſimè liqueat. Vincentius enim ait. *Qui vult hæreticorum fraudes deprehendere, laqueoſq́; vitare,*
C. 11 *duplici modo munire fidem debet: primò diuinæ legis auctoritate, deinde Eccleſiæ Catholicæ traditione.* Duplex ergo fidei munimentum clarè diſtinguit: Sacrum Canonem, & Ec-

Digitized by Google

& Eccleſiæ Traditionem. At ſi tradita ab Eccleſia Scripturæ interpretatio in ipſis Scripturis ſanctis apertè legi alicubi debet, non ſecundum, ſed cum primo ſacrarum litterarum firmamento idem penitùs ac vnum eſt, Eccleſiæ traditio. Non eſt idem, quod iungitur alteri, *perfecto Scripturarum Canoni*, adiūgit Vincentius *Eccleſiaſticæ intelligentiæ auctoritatem.* At Scriptura perfecta eſt, ſibique ad omnia ſatis ſuperque, proinde ad ſui quoque interpretationem ſufficit, inquit Prædicans. Etiam ad hanc ſibi, ſed non legenti ſufficit. Scriptura littera ſenſuque conſtat, vtrumque à Deo habet : ad literæ à Deo dictatæ ſenſusque, quo dictata eſt, diuiniſsimam veritatem ſibi ſufficit. Neque enim Eccleſia Scripturæ litteram diuinam & ſenſum verum facit, ſed monſtrat. Scripturæ littera diuina, ſenſuſq; litteræ verus eſt, antequam vel de illa, vel de iſto Eccleſia teſtetur: ſed quæ ſacræ litteræ, quis geminus illarum ſenſus ſit, nemo ſine Eccleſiæ teſtimonio certò tutoq; nouit. Ad hanc tutam notitiam præſtò ſit neceſſe eſt Eccleſiæ auctoritas. Huic obſcurum ſcripturæ locum, ſiue alijs eiuſdem clarioribus ſententijs illuſtranti, ſiue nuſquam in ſcripturis declaratum ſuis verbis explicanti, ſecurè fiditur. Omnem interpretationē ſcripturæ ex ipſa ſcriptura, quòd quidquid alicubi obſcurè, alibi clarè dicatur, depromendā eſſe, Fabricij figmentū; nō

Vin-

Vincentii documentum eſt. Hæreticæ fraudis ſacrum ſenſum adulterantis antidotum præſcribit Vincentius, non interpretationem ex ipſa ſcriptura deſumptam, quam omnes quoq; hæretici iactitant, ſed totius Catholicę Eccleſię ſenſum. Interpretationis ex Canone ſacro promendæ, nec verbulo meminit; *Scripturam pro ipſa ſua altitudine non vno ſenſu ab omnibus accipi, vt penè tot inde ſententiæ, quot homines ſunt, erui poſſe videantur, ideoq; Propheticæ & Apoſtolicæ interpretationis lineam, ſecundùm Eccleſiaſtici & Catholici ſenſus normam*
c. 2. *dirigi debere*, aſſerit. Audis, Prædicans, ex ſcripturæ altitudine diuerſitatem ſenſuum oriri, eumque vnum inter omnes pro vero habendum eſſe, quem Catholica tradit Eccleſia? Si ſcriptura ſemper ab altitudine ſua ſe alicubi demittit, & altè dicta, in plano oſtendit, quomodo tot ſententiæ, quot homines ſunt, inde erui poſſe videntur? Si ſcriptura vnica interpretationis norma eſt, cur interpretationis lineam ſecundùm Catholici ſenſus normam dirigit Vincentius? Ergo huius iudicio Interpretatio, quæ cum Eccleſiaſtico & Catholico ſenſu conuenit, recta; quæ cum iſto pugnat, praua cenſenda eſt. Sed libuit Fabricio, cancellis, de quibus nec ſomniauit quidem Vincentius, interpretationem doloſè concludere, vt ſenſui Eccleſiæ illudere, & Caluiniano poſſet adulari. Si enim dicatur huic Prædicanti, aliter totam Eccleſiam ali-

qua

qua ſcripturæ verba, quàm Caluinum, interpretatam eſſe, excipiet ille, non eſſe deſumptam ex ſcriptura interpretationem Eccleſiæ, *tum enim demùm Eccleſiaſticam intelligentiam ſortiri auctoritatem, dum ex ipſomet Canone interpretationes deſumit:* Caluini intelligentiam ſcripturâ niti, ideoq; verè Eccleſiaſticā eſſe; tales interpretationes à ſe ſuiſq; magni fieri. Quis non videt verſutum Prædicantem hoc agere, vt Caluiniana interpretatio ꝓ Eccleſiaſtica habeatur, & Eccleſiaſtica nihili pendatur? Nam, quòd glorioſè expoſtulat, *partes ſuas egerit Ieſuita, ſi oſtenderit nos recedere ab interpretatione Eccleſiæ vniuerſalis, id eſt, eâ, quæ per omnes ætates tradita fuit*, id vel impudentiſſimè, vel falſiſſimè facit. Quid enim actum agam? nónne luculentis omnium ætatum teſtimonijs, veram Corporis Chriſti præſentiam in Euchariſtia ipſis Chriſti verbis ſignificatā accuratè confirmauit Bellarminus? annon ipſi quoq; Lutherani Caluiniſtis in hoc infenſiſſimi prolixè idem demonſtrarunt? vt impudens prorſus ſit hæc Fabricij poſtulatio, imò & maligna; nam ſi ego eadem Prædicanti regeram, tum peſſimus fraudator, ne ab vniuerſali omnium ætatum Eccleſia alienus videatur, ad aliquas obſcuriores Patrum ſententiolas, aut ad Berengarianorū partes, aut deniq; ad primam Apoſtolorum ætatē, eorúmq; litteras, in quibus Caluiniana interpretatio clariſſimè, ſcilicet, continetur, confugiet, dicét-

que ſe non ab interpretatione per omnes ætates tradita, cùm primæ conſentiat, recedere. Hic eſt perpetuus Prædicantium aſtus, cùm Eccleſiam ex Scripturis docentem, & Scripturas de Scripturis interpretantem reuerenter audire promittunt, vt nihil ſcilicet, niſi quod ipſi ex Scripturis fingunt, audire cogantur. Quod verò hîc Fabricius pollicetur, ſe in fine oſtenſurum *interpretationes Papicolas* (ità enim loquitur bonus iſte Grammaticus) *nouas eſſe & recentes, vtpote quæ nec ex Canone Scripturæ petitæ, quin imò diametraliter ei opponūtur*, ſi pollicita fecerit, calumniæ ſuſpicionem à ſe amolietur.

Sed quid ad alterum à me prolatum Vincentij locum, quo is ouillas pelles, quibus lupi hæretici ſecundùm illud Christi: *Attendite à falſis Prophetis &c.* ſe fraudulenter obtegunt, ſcripturarū eloquia eſſe aſſerit? Prædicans ictus, & hunc locum Vincentii, & aliu m Hieronymi, aliter laneum luporum amictum interpretantis, & ipſam demùm Chriſti ſententiam in nos imperitè, falſò atq; calumnioſè retorquet. *Verba*, inquit, *Vincentij Lirinenſis, quæ citat Ieſuita, nullis aptiùs conueniunt, quàm gregi Pontificiorum Veniat enim aliquis Confeſſionis auricularis declamator, quibus ille ſe velleribus obuoluet, ne videatur hoc duro iugo ſæuire plus quàm lupina ferocia? Scripturæ prorſus eloquio. Cùm tamen Maldonatus Ieſuita teſtetur, omnes decretorum interpretes, interq; Scholaſticos Scotum affirmare, nullum præceptum diuinum de confeſſione auricula-*

Aduerſ. hæreſ. c. 36.

auriculari extare, eaq́; ſit communior opinio, non eſſe, niſi traditionem Eccleſiæ. At quo loco ſcripturæ eam Confeſſionem auricularem munire tentant? Ex Epiſtola Iacobi: Confitemini alterutrum peccata veſtra. Verè dixit Vincentius: ex fructibus eorum cognoſcetis eos, id eſt, cùm cœperint Scripturæ ſacræ voces non proferre tantùm, ſed etiam exponere, tunc amaritudo, tunc virus exhalabitur, tunc profanæ nouitates aperientur. Explicet enim Pontificius verba ſuprà allegata, ſtatim intelligemus, nil de confeſſione auriculari, ſed de reconciliatione mutua, ſi quid ſit offenſæ, Apoſtolũ loqui. Alterutrũ enim dicit peccata confitenda. Ex hoc plura colligat Lector. Etiam impoſturam Fabricianam in Vincentij verbis contra nos retorquendis. Nec enim ex Iacobi Apoſtoli, ſed è Chriſti ſeruatoris verbis, quibus ille rediuiuus poteſtatem verè remittendi, retinendiq́; peccata diſcipulis tribuit, ſacræ Confeſſionis præceptum certò colligimus. Ex S. Iacobi ſententiâ probabile: ex Chriſti verbis certum promimus Argumentum. Non expreſsè verbis Chriſti imperatur, ſed ex poteſtate diſcipulis, tanquã iudicibus, communi Patrũ iudicio iis verbis conceſſà, apertè conſequitur peccatorum Confeſſio. Nec verò eſt, quod nobis, etiã S. Iacobi dictum, tanquã veriſimile argumentum ſacræ exomologeſeos, proferentibus, Prædicans amaritudinem, virus, profanamque nouitatem exprobret. Non enim nos, ſed Origenẽ, Chryſoſtomum, Auguſtinũ, Bedam, Bernardum, Hugonem de S. Victore, Thomã de Aqui- *Orig. hõ. 2. in Leu. Chryſ. l. 3 de Sacer. Aug. hõ.*

 no,

12. inter no, eo ſenſu illa verba interpretantes conuitio hoc
eo S. Bern. l. lacerat. Nihil autem huic ſenſui vox, *Alterutrum*, re-
medit. c. pugnat; indicatur enim non omnes omnibus, ſed
8. Beda hominem homini, atque illum, qui peccatis liga-
in Epiſt. Iacob. & tus eſt, ei, qui ſoluendi poteſtatem habet, peccata
ibid. S. Thom. aperire debere: nã & Petrus, cùm ait, *Hoſpitales inuicē*,
Hug. l. 2. non omnes ab omnibus, ſed eos, qui carēt hoſpitio,
ſacr. p. 14 c. 1. ab ijs, qui domos habent, ſuſcipiendos eſſe iubet.
1. Pet. 4. 10. Sed Fabricius, vt lanigeros lupos Domini hortatu fugiendos, nos eſſe perſuadeat, Hieronymi interpretationem in ſubſidium advocat. Sed quænam illa? *ſpecialiter*, inquit Hieronymus, *de hæreticis intelligendum eſt, qui videntur continentia, caſtitate, ieiunio, quaſi quadam pietatis veſte ſe circumdare, intrinſecùs verò habentes venenatum animum, ſimpliciorum fratrum corda decipiunt.* Quid ex Hieronymi Commentario elicit Fabricius? *Qui ſunt iſti*, ait, *niſi qui cucullo continentiam, caſtitatem & ieiunium oſtentant extrinſecùs; intus verò feruent libidine.* Qui ſunt, aio egò, iſti, niſi Lutherus ex cucullato Monacho ſacrilegus maritus; Fabricius ex tirone Capucino, infauſtus filiæ Caluiniani præconis procus? Nimirum mali bonos ſui ſimiles eſſe ſomniant. Et verò ſint aliqui in ſacris familijs, quales Lutherus & tu, antequam profugi hæreticiq; fieretis, fuiſtis. An ideó hæretici ſunt? non de malis in Catholica Eccleſia Monachis, ſed de ſimulatè bonis extra Eccleſiam hæreticis, qui hæreſeos venenum quadam

In cap. 7. Matth.

ſancti-

Digitized by Google

ſanctitatis ſpecie occultāt, Hieronymus loquitur. Tales vos non ſine iniuria dixero, qui cum mala fide, nec ſpeciem pietatis habetis. Abſoluimus vos hac hypocriſi: non caſtitatis aut ieiunij, ſed ſacrorum eloquiorum lanâ veſtram hæreſin tegitis. Vobis non tantùm, vti Hieronymo, ficta caſtitas, fallaxq; ieiunium, ſed hæc ipſa pura quoq; ac ſincera, quæ Hieronymo adeò placuêre, diſplicent. *Nullum ſcio*, inquit Lutherus, *cui æquè infeſtus ſim, ac Hieronymo: nam tantùm ſcribit de ieiunio, delectu ciborum, de Virginitate.* *In Colloq. 1. cap. de Scholaſt. Theol.* Sed deniq; ipſis Chriſti verbis nos tanquam falſos Prophetas deſignari, indubitatum vult Fabricius. *At ne reſtet*, inquit, *dubitandi locus. Ait Chriſtus eos eſſe, qui dicunt, Domine, Domine, & ſe iactant eijcere dæmonia, quibus reſpondet, nunquam noui vos. Annon inter Pontificios quotidie audiuntur hæ gerræ?* Impudens Prædicans, & verba ſacra mutilat, & ſenſui vim infert. Vbi ait Chriſtus falſos Prophetas eſſe, qui dicunt, Domine, Domine, & ſe iactant eijcere Dæmonia? *Non omnis*, ait Dominus, *qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, ſed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis eſt, ipſe intrabit in regnum cœlorum. Multi dicent mihi in illa die, Domine, Domine, nónne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis, quia nunquam noui vos. Diſcedite à me, qui operamini iniquitatem*, *Matth. 7. 21. 22. 23.* De ijs, qui verè prophetauerunt & dæmonia eiecerunt, ſed integram fidem, do-

Digitized by Google

numq́;miraculorum malis moribus polluerunt: de rectè credentibus, ſed malè viuentibus loquitur Dominus, ac eorum exemplo probat, falſis Prophetis, qui & prauæ doctrinæ, & malorum operum noxios fructus ferunt, multò minùs in illo die decretorio parcẽdum eſſe. *Sicut ſuprà,* commentatur in eũ locum Hieronymus, *dixerat eos, qui haberent veſtẽ vitæ bonæ, non recipiendos propter dogmatum nequitiam; ità nunc è contrario aſſerit, ne his quidem accommodandam fidem, qui cùm polleant integritate fidei, turpiter viuunt: & doctrinæ integritatem malis operibus deſtruunt. Vtrumq́; enim Dei ſeruis neceſſarium eſt, vt & opus ſermone, & ſermo opere comprobetur.* Non ergo de hæreticorum, ſed credentium malâ vitâ Chriſtus illa verba protulit. At protulerit de falſis Prophetis, qua fronte audet Prædicans dicere à Chriſto falſos Prophetas appellatos eſſe, qui dicunt, *Domine,* aut iactant ſe eijcere Dæmonia? Ergóne etiam Apoſtoli falſi Prophetæ erant, cùm dicerent, Domine, & gloriarentur ſibi dæmonia ſubijci? Ergo & Caluiniſtæ falſi Prophetæ, quibus illa, *Chriſtus Dominus, Dominus noſter,* perpetim in ore ſunt? Eos, qui dicũt, Domine, ſed non faciunt Patris cœleſtis voluntatem; qui de virtutibus in nomine Chriſti factis ſe altè circumſpiciunt, ſed iniquitatem operantur, à ſe æternùm ablegandos eſſe pronuntiat Chriſtus. Non diuini nominis inuocatio, & miraculorum perpetratio, cuius ſolius mutilè meminit Prædicans, ſed diuinorum

In cap. 7. Matth.

norum præceptorum contemptus, & iniqua operatio vitio vertitur. Sed ſatis de inanibus & calumnioſis Prædicantis ad Vincentij ſententiam reſponſis. Ad Tertullianum pergamus.

Apertiſſimæ Fabricii in pluribus Tertulliani locis fallaciæ, & craſſiſſimæ in Catholicos Calumniæ. §. II.

ALiquot antiquiſſimi Tertulliani vſus ſum teſtimoniis, quibus in libro præſcriptionum aduerſùs hæreſes per aliquot capita, cum hæreticis diſceptationem de ſcripturis non ineundam, ſed eos vel maximè antiquitatis præſcriptione opprimendos eſſe monſtrat. Quid ad hæc nouus Prædicans? Tertulliano iniuriam, mihi & Catholicis contumeliam multiplicem impudenter irrogat. *Citat Ieſuita Tertullianum*, inquit Fabricius, *& ex eo vult probare Scripturam non eſſe ſecurum medium ad cognoſcendā veritatem, vtpote, quia inquit Tertullianus, hæretici citant ſcripturas.* Hæreticos fraudulentos Scripturæ tractatores non audiendos, neq; cum ijs de ſcriptura congrediendum eſſe, probo Tertulliani auctoritate, non quod de Scripturæ periculo maledicus præco mihi imponit. Te tuique ſimiles, Fabrici, non ſacras litteras, hoc telo petere animus fuit. Me Scripturæ conuitium facere voluiſſe, tuum conuitium eſt, cui & alterum addis, cùm infrà ais. *Quis non videt Ieſuitam apertè fallere? ſiquidem Tertullianus* *lib. de Præſcri. &c. 15. vſq. ad c. 20.*

aduer-

aduerſùs Hermogenem ad ſolas Scripturas prouocat, inquit enim; Scriptum eſſe doceat Hermogenis officina: ſi non eſt ſcriptum, timeat væ. &c. Et de Reſurrectione carnis. Hæretici cogantur quæſtiones ſuas de ſolis ſcripturis ſiſtere, & ſtare non poterunt. Non me fraudatorem, ſed te Calumniatorem apertum oſtendis. Tam clara ſunt Tertulliani verba, vt nullam ſibi nebulam offundi patiantur. *Hunc potiſſimùm gradum obſtruimus, non admittendos eos* (hæreticos) *ad vl-*
C.15. *lam de ſcripturis diſputationem: ſi hæ ſunt vires eorum, anné eas habere poſſint, diſpici debet, cui competat poſſeſſio ſcripturarum, ne is admittatur ad eas, cui nullo modo competit.* Addit ſe hoc non
C.16. & ſeqq. *conſilio diffidentiæ* conſtituere, ſed quòd ità facere mãdarit Apoſtolus, & concertatio de ſcripturis cum hæretico non modò inutilis, ſed & damnoſa ſit.
C.19. Vnde demùm clarè concludit: *Non ad ſcripturas prouocandum eſt, nec in his conſtituendum certamen.* Et poſt multa capita eandem concluſionem repetit. *Conſtat ratio propoſiti noſtri definientis, non eſſe admittendos hæreticos ad ineundam de ſcripturis prouocationem, quos ſine ſcripturis proba-*
C.37. *mus ad ſcripturas non pertinere.* Quid potuit dici apertius? quid tam manifeſtis verbis fallerem? tua impudentia eſt, Prædicans, mihi fallaciam obijcere, & Tertulliano tenebras inducere. At Hermogenem, & carnis reſurrectionem negantes, & alios hæreticos, paſſim ſcripturis confutans, ad ſcripturas prouocat Tertullianus. Quid tum? ergo libro de præſcriptionibus non ſenſit, non dixit, cum hæreticis

non

Digitized by Google

non diſputandum de ſcripturis, nec ad illas prouocandum eſſe? Apertè fallis, ſi tam aperta Tertulliani verba negas: ſed diſce, quàm pulchrè ſibi vtrobique Tertullianus conſentiat. Non repugnat factū Tertulliani contrà Hermogenem, doctrinæ illius, libro de Præſcriptionibus, traditæ. Ius ſuum prætendere probareque, & tamen iuri ſuo ſubinde renuntiare, minimè inter ſe pugnant. Tertullianus lib. de Præſcriptionibus cum hæreticis de iure ſummo contendit: libris de Reſurrect: carnis, & aduerſùs Hermogenem ſummo iuri cedens, cum illis clementiùs egit. Non meum hoc commentum, ſed ipſius Tertulliani reſponſum eſt, qui pluribus locis ſe ſalua Præſcriptione, interdum ex abundanti voluiſſe de ſcripturis cū hæreticis tractare meminit. Contra Marcionem *Admittenda*, inquit, *congreſſio eſt interdum, ne compendium Præſcriptionis aliquod aduocatum, diffidentiæ reputetur.* Contra Praxeam. *Salua iſta præſcriptione, vbiq; tamen propter inſtructionem & munitionem quorundam, dandus eſt etiam tractatibus locus, vel ne videatur vnaquæq; peruerſitas non examinata, ſed præiudicata damnari.* Et lib. de Carne Chriſti ità Marcionem alloquitur. *Cùm fuiſſes Chriſtianus, excidiſti, reſcindens, quod retrò crediſti, ſicut & ipſe confiteris in quadam Epiſtola, & tui non negant, & noſtri probant. Igitur reſcindens, quod credidiſti, iam non credens, reſcidiſti, non tamen quia credere deſiſti, rectè reſcidiſti. Illud ita erat traditum, porrò quod traditum erat, id erat verum, vt*

L. 1. contra Marcionem.
Aduerſ9 Praxeam.
Lib. de Carne Chriſti. c. 2.

ab eis traditum, quorum fuit tradere. Ergo, quod erat traditum, reſcindens, quod erat verum, reſcidiſti. Nullo iure feciſti. Sed pleniùs eiuſmodi præſcriptionibus aduerſùs omnes hæreſes alibi (ſcilicet in libro præſcriptionum) *iam vſi ſumus: poſt quas nunc ex abundanti retractamus.* Habemus ergo ex ipſo Tertulliano, præſcriptionem iure quidē optimo hæreticis opponi, ſed ſaluâ illâ, nonnunquā ex abundanti ad tractationē de ſcripturis illos admitti poſſe, ne ſuæ cauſſæ diffidere, aut alienā præiudicatam damnare Catholici videantur. Hæc vera eſt Tertulliani, minimè diſcors diuerſis in locis de præſcriptione, & retractatione ſententia. Sed Fabricius præſcriptionū, à quibus ſibi extremum malum imminere cernit, iuratus hoſtis, aduerſus hanc apertam concordiam ab ipſomet Tertulliano indicatam, verbis illius de præſcriptione aduerſùs omnes hæreticos ipſo ſole clarioribus, craſſiſſimam falſæ interpretationis nebulam adſpergere nihil erubeſcit. Ità enim commentatur. *Hoc medio* (prouocatione ſcilicet ad ſcripturas) *vtendum non eſſe dicit Tertullianus, dum contra negantem Scripturas, vel omnes, aut ferè omnes, quales erant Marcion & Cerdon, diſputamus.* Quid ais, fallaciſſime homo? Tertullianus de hoc ipſo loco ait in libro de Carne
C. 2. Chriſti: *Pleniùs eiuſmodi præſcriptionibus aduerſùs omnes hæreſes alibi iam vſi ſumus.* Et tu dicis: Non docet Tertullianus præſcriptione ſine ſcripturis pugnandum eſſe aduerſùs omnes hæreticos, ſed contra illos

Digitized by Google

illos tantùm, qui omnes, aut ferè omnes ſcripturas negant. Vtri credamus? Illi, qui ait ſe contra omnes hæreticos præſcriptione dimicaſſe; an tibi, qui eum negas præſcriptionem aduerſùs omnes hæreticos approbare? Rectiùs nunc ego reponam. *Quis non videt Prædicantem apertè fallere?* Sed videamus, vt fucum fuco ex eodem libro de præſcriptionibus pingat Prædicans, & ex eo ipſo loco abſtergamus, vt turpis fallacia pateat. Ità igitur falſum illud ſuum commentum de mente Tertulliani, ex ipſo ſtabilire nititur. *Ait enim c. 17. eiusdem libri, prout etiam citat Ieſuita.* Quid promouebis, exercitatiſſime ſcripturarum, cùm, ſi quid defenderis negetur? *Satis oſtendit Tertullianus, nos parùm proficere contra negantes Scripturas, etſi in illis exercitatiſſimi ſimus, proinde contra tales in Scripturis non eſt conſtituendum certamen.* Erras Prædicans. Non hoc, quod dicis, ſed fucum tuum oſtendit Tertullianus, & ego ex illo. Non de negantibus Scripturas tantùm, ſed de iis vel maximè, qui verum ſcripturarum ſenſum negãt, falſum defendunt, loquitur. Addit enim, quod doloſè ſubticuit Prædicãs. *Ex diuerſo, ſi quid negaueris, defendatur.* Hoc enim hæreticorũ ingeniũ eſt, vt probatiſſimos ſenſus ſcripturæ negent, recentiſſimè confictos defendant pertinaciſſimè. Et profectò non tantùm de iis, qui ipſam ſcripturam, ſed de illis quoq;, qui receptâ ſcripturâ germanum illius ſenſum repudiãt, agere

Digitized by Google

Tertullianum, iam iam magis patebit ex præcedentibus illius verbis, quæ Prædicans mutilè pro ſuo figmento allegat, nos verò integrè ad Prædicantem falſimoniæ conuincendum recitabimus. Rurſus ergo ità ex Tertulliano argumentatur pro ſua interpretatione. *Denuò ſatis oſtendit, cur ex ſcripturis victoria ſit incerta, non quòd certiſſima non ſit, ſi rem habeamus cum eo, qui eas admittit: ſed, inquit, vt etiam citat Ieſuita pag: 45.* quia iſta hæreſis, ſcilicet Marcionis & Cerdonis, non recipit quaſdam ſcripturas, & ſi quas recipit, adiectionibus & detractionibus ad diſpoſitionem inſtituti ſui interuertit. *At ſtatim oſtendimus, nos nil tale agere, ideoq́; contra nos certandum ex ſcripturis, ad eáſq; ſolùm eſt prouocandum.* Innocentiam iſtorum circa quarundam ſcripturarum contemptum & corruptionem, ſequens caput, in quo Lutheri in eo genere à me accuſati defenſionem excutiemus, oſtendet, vt vel inde quoq; indigni ſint, quibuſcum ex ſcriptura pugnetur. Sed illud hic Prædicantis crimen maximè noto, quòd Tertulliani verba, vt probaret ab illo, ijs ſolùm, qui aliquas ſcripturas non recipiunt, aut ſtilo corrumpunt, denegari certamen ex ſcripturis, doloſiſſimè abruperit & ſequentia reſciderit, ne apertum fieret, à Tertulliano illos quoq;, qui ſcripturas integras recipiunt, nec ſtilo, ſed ſenſu adulterant, eandem de prouocatione repulſam pati. Recitemus ergo reliqua ſuppreſſa, vt fucatus Prædi-

Prædicans expalleſcat. *Et ſi recipit, non recipit integras: & ſi aliquatenus integras præſtat, nihilominus diuerſas expoſitiones commentata conuertit. Tantum Veritati obſtrepit adulter ſenſus, quantum corruptor ſtilus.* Ergo etiam illis hæreſibus, quæ ſcripturas aliquatenus, hoc eſt, ſecundùm litteram integras, falſis interpretationibus ſecundùm ſenſum adulterant, non minùs apertè ius ad ſcripturas prouocandi, quàm quę ſcripturas abijciunt, aut ſtilo corrumpunt, à Tertulliano adimitur, & Tertulliano ab interpretatione Fabriciana manifeſta vis infertur, vti & ab illo gloſſemate, *Iſta hæreſis, ſcilicet Marcionis & Cerdonis,* quaſi contra hanc vnicam præſcribere Tertulliani mens fuiſſet, cùm tamen is palàm alibi fateatur, ſe hoc in libro præſcriptionibus contra *omnes hæreſes* vſum fuiſſe. Et deniq; de quibus, amabò, à Tertulliano dicitur? *De ſcripturis agunt, & ſcripturis ſuadent, ſcripturas obtendunt, &* C. 15. *hac ſua audacia ſtatim quoſdam mouent.* An de ijs, qui negant ſcripturas? quis tam bardus ſit, vt hoc dicat? Et tamen illicò ſubiungit; *his ipſis hunc gradum potiſſimum obſtruendum, vt non admittantur ad vllam de ſcripturis diſputationem.* Fallaciſſimus ergo Fabricij fucus eſt, præſcriptionis medium tantùm contra eos, qui omnes, vel fermè omnes ſcripturas negant, à Tertulliano præſcribi, quem & ipſe Prædicans ſuis his verbis in reſponſo ad illud Tertulliani *ſcripturas obtendunt* &c. prolatis, tanquam ſpongiâ, delet. *Tacitè oſtendit hære-*

Digitized by Google

ticos ſui temporis peccaſſe in vera expoſitione ſcripturæ, (& tamen mox contra hos, adeoque non ſolùm contra negantes ſcripturam, præſcriptione vtitur) *quia eodem vitio laborabant, quo nunc Pontificij*. Lutherani & Caluiniſtæ, debebat Prædicans dicere, vt veram ſententiam ſine falſa calumnia clauderet; quam inſuper aliâ in R.P. Cottonum noſtræ Societatis Theologū atrociſſimâ calumniâ, luculentis antehac argumentis in Apologetico contra Anticotonum confoſſâ, firmare audet. *Humanis potiùs*, inquit, *quàm diuinis documentis vtuntur in interpretandis ſcripturis, quin imò Diaboli ſuggeſtu: vti Cottonum Monachum, Ieſuitam, Aulicū, feciſſe omnibus conſtat ex Articulis, ſuper quibus Dæmonem interpellauit.* Imò conſtat omnibus, qui Apologeticā reſponſionem, ſiue Gallicè primùm, ſiue deinde Latinè editam, loco à me iam iam citato legerunt, calumnioſam à Caluiniſtis incompoſitè fictam fabulam, à Fabricio ad calumniandum valentiſſimo tantùm repeti, quia, quo ſolidā Cottoni defenſionem euerteret, non habebat. Sed calumniæ earum confutatione præterita, iteratæ, nouum non merentur reſponſum. Quid verò tibi, Fabrici, animi erit, ſi Lutherum, cuius te iam patronum ſimulas, Diaboli ſuggeſtu vſum fuiſſe non mendacis famæ rumuſculis, ſed indubitatâ ipſius Lutheri confeſſione ſcriptâ editaq; demonſtràro? Nónne in libro de *Miſſa priuata & ordinatione Sacerdotum* fatetur ſe de nocte,

Apolog. 4. p. 115 Lugdun. in 8.

Tom. 7. Germ. VVitteb.

cte, quamuis initio repugnantem, à Diabolo quinque argumentis ad ſacrificij ſacrorumq́; ordinum deteſtationem inductum eſſe? Nónne teſtimonia Scripturæ à Diabolo ſibi obiecta, quibus de errore conuictus fuerit, prolixè narrat? Age, dic iam, Fabrici, & cum tuis exprobra Cottono, quòd Diabolum conſuluerit: *Quis ſit euidentiſſimus locus ſcripturæ ad probandum Purgatorium, & inuocationem Sanctorum.* De Luthero, qui euidentiſſima Scripturæ loca contra Miſſam à Diabolo ſibi tradita, poſteris ſcripta reliquit, quid tibi videtur? Negatur, quod Cottono imponitis: veſtra accuſatio clariſſimis indiciis calumniæ damnata eſt: quod Luthero obijcimus, negare non poteſtis: aperta rei confeſſione noſtra nititur accuſatio.

Sed iam in viam redeamus, cenſeamuſque demùm miram Prædicantis, quam falſæ Tertullianæi dicti interpretationi ſubiecit, concluſionē, in qua penè quot verba, tot vel impudentes calumnias, vel thraſonica mendacia effudit? *Dum contra vos,* inquit, *nobis eſt agendum, profectò ad ſolas ſcripturas prouocare non poſſumus* (profectò ſine frōte ſcribis: perpetuò enim linguâ calamóq; contra nos ad ſolas Scripturas prouocatis,) *cùm enim adiectionibus ad diſpoſitionem veſtri inſtituti fucatis* (inſignis calūnia: nihil enim adijcimus ſcripturæ ſacræ, quod pro ſcriptura ſacra habendum ſit,) *incerta nobis eſt victoria,* (& tamē perpetuò glorioſiſſimè, ſi de

ſolis

ſolis ſcripturis agatur, certam vobis victoriam ad promittitis) *ideoq́; aliquando cogimur ad ſcripta Patrum excurrere, ibidem enim cauſſa caditis*, (nihil hac voce impudentius, quam vel tuæ ſectæ homines Ioannes Iuellus ſuo damno, Laurentius Humfredus acri reprehenſione, Tobias Matthæus contraria ſententia damnant. Nota paſſim Lutheri & Caluini in veteres Patres ſibi reluctantes conuitia,) *cogimurq́; ſæpè ſcripturam ſacram prætermittere, vt ad Magiſterium Eccleſiæ vniuerſalis conſentiens per omnes ætates veniamus.* Digna ſibilo verba: inauditum eſt Caluiniſtas ad Eccleſiæ vniuerſalis per omnes ætates conſenſum prouocaſſe. Nugatur Fabricius de ſcripturæ prætermiſſione, & Magiſterij Eccleſiæ vſu; cum toties ſuprà dixerit, nullam Eccleſiæ vocem, vel interpretationem, niſi ex ipſis ſcripturis clarè depromptã, admittendam eſſe. Quis non notet tam craſſos dolos? Sed à Tertulliano iam ad Auguſtinũ demùm progrediamur.

Turpes doli & fuci Fabriciani circà duo S. Auguſtini loca, & quædam Catholicorum dicta de ſacrâ ſcriptura. §. III.

DVos ex S. Auguſtino locos illuſtriſſimos pro Eccleſiæ in tradendis & explicandis ſcripturis ſolidiſſima ſecuriſſimaque auctoritate protuli; Fabricius more ſuo denſis illos tenebris, vt effugiat, obfuſcare tentat. Oſtendamus irritum tene-

tenebrionis conatum. Primus locus prolixior deſumptus ex libro de vtilitate credendi cap. 14. à me pag. 38. recitatus eſt: in quo S. Auguſtinus mirè Manichæum auctoritate Eccleſiæ premit, inſaniſſimúmq; eſſe demonſtrat eum, qui, poſtquā Eccleſiæ tutò de Chriſto ac de ſcripturis generatim credidit, ab alio, & quidem ſententiâ Eccleſiæ damnato, Chriſti præcepta & ſcripturæ ſententias ſpeciatim diſcere tutum putet. Fabricius, ne inſanus videatur, inaniſſimorum gloſſematum diuerticula vndiq; concluſus quæritat, his verbis: *Verborum Auguſtini hic eſt genuinus ſenſus. Dicit, dum eſſet Manichæus, ſe ſummoperè commotum fuiſſe, vt crederet Eccleſiæ, cuius fama eſſet corroborata celebritate, conſenſione, vetuſtate. Quid hoc ad rem? non dicit Auguſtinus, cùm eſſet Chriſtianus, ſe vſum communi opinione, Eccleſiæ conſenſione, vel vetuſtate, tanquam ſolidiſſimo fundamento & medio ad indagandam veritatem; ſatis enim oſtendit alijs locis, non alio ſolidiori & ſecuriori medio vſum, quàm ſcriptura ſacra.* Vaniſſimum eſt hoc perfugium. Fac enim Auguſtinum de ſe tantùm, cùm Manichæus erat, non cùm Chriſtianus eſſet, locutum eſſe: annon quaſi digito in Eccleſiæ auctoritatem intento, breuiſſimam tutiſſimámq; viam hæretico ad veritatis arcem oſtendit, & Sereniſs. Principis alterum fundamentum, cuius beneficio de hæreſi ad veritatem perrexit, approbat? Cur Sereniſſimo non licuerit viam inire, & alijs ſuadere ad erroris

Digitized by Google

numq́;miraculorum malis moribus polluerunt:de rectè credentibus, ſed malè viuentibus loquitur Dominus,ac eorum exemplo probat,falſis Prophetis,qui & prauæ doctrinæ, & malorum operum noxios fructus ferunt, multò minùs in illo die decretorio parcẽdum eſſe. *Sicut ſuprà,* commentatur in eũ locum Hieronymus,*dixerat eos,qui haberent veſtẽ vitæ bonæ,non recipiendos propter dogmatum nequitiam;ità nunc è contrario aſſerit,ne his quidem accommodandam fidem, qui cùm polleant integritate fidei, turpiter viuunt: & doctrinæ integritatem malis operibus deſtruunt. Vtrumq́; enim Dei ſeruis neceſſarium eſt,vt & opus ſermone,& ſermo opere comprobetur.* Non ergo de

In cap.7. Matth.

hæreticorum, ſed credentium malâ vitâ Chriſtus illa verba protulit. At protulerit de falſis Prophetis,qua fronte audet Prædicans dicere à Chriſto falſos Prophetas appellatos eſſe,qui dicunt,*Domine,* aut iactant ſe eijcere Dæmonia? Ergóne etiam Apoſtoli falſi Prophetæ erant,cùm dicerent,Domine, & gloriarentur ſibi dæmonia ſubijci? Ergo & Caluiniſtæ falſi Prophetæ,quibus illa, *Chriſtus Dominus,Dominus noſter,*perpetim in ore ſunt? Eos, qui dicũt,Domine, ſed non faciunt Patris cœleſtis voluntatem; qui de virtutibus in nomine Chriſti factis ſe altè circumſpiciunt, ſed iniquitatem operantur, à ſe æternùm ablegandos eſſe pronuntiat Chriſtus. Non diuini nominis inuocatio, & miraculorum perpetratio, cuius ſolius mutilè meminit Prædicans, ſed diuinorum

norum præceptorum contemptus, & iniqua operatio vitio vertitur. Sed ſatis de inanibus & calumnioſis Prædicantis ad Vincentij ſententiam reſponſis. Ad Tertullianum pergamus.

Apertiſsimæ Fabricii in pluribus Tertulliani locis fallaciæ, & craſsiſsimæ in Catholicos Calumniæ. §. II.

ALiquot antiquiſſimi Tertulliani vſus ſum teſtimoniis, quibus in libro præſcriptionum aduerſùs hæreſes per aliquot capita, cum hæreticis diſceptationem de ſcripturis non ineundam, ſed eos vel maximè antiquitatis præſcriptione opprimendos eſſe monſtrat. Quid ad hæc nouus Prædicans? Tertulliano iniuriam, mihi & Catholicis contumeliam multiplicem impudenter irrogat. *Citat Ieſuita Tertullianum*, inquit Fabricius, *& ex eo vult probare Scripturam non eſſe ſecurum medium ad cognoſcendã veritatem, vtpote, quia inquit Tertullianus, hæretici citant ſcripturas.* Hæreticos fraudulentos Scripturæ tractatores non audiendos, neq; cum ijs de ſcriptura congrediendum eſſe, probo Tertulliani auctoritate, non quod de Scripturæ periculo maledicus præco mihi imponit. Te tuique ſimiles, Fabrici, non ſacras litteras, hoc telo petere animus fuit. Me Scripturæ conuitium facere voluiſſe, tuum conuitium eſt, cui & alterum addis, cùm infrà ais. *Quis non videt Ieſuitam apertè fallere? ſiquidem Tertullianus* *lib. de Præſcri ac. 15. vſq. ad c. 20.*

aduer-

aduerſùs Hermogenem ad ſolas Scripturas prouocat, inquit enim; Scriptum eſſe doceat Hermogenis officina: ſi non eſt ſcriptum, timeat væ. &c. Et de Reſurrectione carnis. Hæretici cogantur quæſtiones ſuas de ſolis ſcripturis ſiſtere, & ſtare non poterunt. Non me fraudatorem, ſed te Calumniatorem apertum oſtendis. Tam clara ſunt Tertulliani verba, vt nullam ſibi nebulam offundi patiantur. *Hunc potiſſimùm gradum obſtruimus, non admittendos eos* (hæreticos) *ad vllam de ſcripturis diſputationem: ſi hæ ſunt vires eorum, anné eas habere poſſint, diſpici debet, cui competat poſſeſſio ſcripturarum, ne is admittatur ad eas, cui nullo modo competit.* Addit ſe hoc non *conſilio diffidentiæ* conſtituere, ſed quòd ità facere mãdarit Apoſtolus, & concertatio de ſcripturis cum hæretico non modò inutilis, ſed & damnoſa ſit. Vnde demùm clarè concludit: *Non ad ſcripturas prouocandum eſt, nec in his conſtituendum certamen.* Et poſt multa capita eandem concluſionem repetit. *Conſtat ratio propoſiti noſtri definientis, non eſſe admittendos hæreticos ad ineundam de ſcripturis prouocationem, quos ſine ſcripturis probamus ad ſcripturas non pertinere.* Quid potuit dici apertius? quid tam manifeſtis verbis fallerem? tua impudentia eſt, Prædicans, mihi fallaciam obijcere, & Tertulliano tenebras inducere. At Hermogenem, & carnis reſurrectionem negantes, & alios hæreticos, paſſim ſcripturis confutans, ad ſcripturas prouocat Tertullianus. Quid tum? ergo libro de præſcriptionibus non ſenſit, non dixit, cum hæreticis

C. 15.

C. 16. & ſeqq.

C. 19.

C. 37.

non

Digitized by Google

non diſputandum de ſcripturis, nec ad illas prouocandum eſſe? Apertè fallis, ſi tam aperta Tertulliani verba negas: ſed diſce, quàm pulchrè ſibi vtrobique Tertullianus conſentiat. Non repugnat factũ Tertulliani contrà Hermogenem, doctrinæ illius, libro de Præſcriptionibus, traditæ. Ius ſuum prætendere probareque, & tamen iuri ſuo ſubinde renuntiare, minimè inter ſe pugnant. Tertullianus lib. de Præſcriptionibus cum hæreticis de iure ſummo contendit: libris de Reſurrect: carnis, & aduerſùs Hermogenem ſummo iuri cedens, cum illis clementiùs egit. Non meum hoc commentum, ſed ipſius Tertulliani reſponſum eſt, qui pluribus locis ſe ſalua Præſcriptione, interdum ex abundanti voluiſſe de ſcripturis cũ hæreticis tractare meminit. Contra Marcionem *Admittenda*, inquit, *congreſſio eſt interdum, ne compendium Præſcriptionis aliquod aduocatum, diffidentiæ reputetur.* Contra Praxeam. *Salua iſta præſcriptione, vbiq; tamen propter inſtructionem & munitionem quorundam, dandus eſt etiam tractatibus locus, vel ne videatur vnaquæq; peruerſitas non examinata, ſed præiudicata damnari.* Et lib. de Carne Chriſti ità Marcionem alloquitur. *Cùm fuiſſes Chriſtianus, excidiſti, reſcindens, quod retrò credidiſti, ſicut & ipſe confiteris in quadam Epiſtola, & tui non negant, & noſtri probant. Igitur reſcindens, quod credidiſti, iam non credens, reſcidiſti, non tamen quia credere deſiſti, rectè reſcidiſti. Illud ità erat traditum, porrò quod traditum erat, id erat verum, vt*

L. 1. contra Marcionem. Aduerſ9 Praxeam.

Lib. de Carne Chriſti. c. 2.

ab eis traditum, quorum fuit tradere. Ergo, quod erat traditum, reſcindens, quod erat verum, reſcidiſti. Nullo iure feciſti. Sed plenius eiuſmodi præſcriptionibus aduerſus omnes hæreſes alibi (ſcilicet in libro præſcriptionum) *iam vſi ſumus: poſt quas nunc ex abundanti retractamus.* Habemus ergo ex ipſo Tertulliano, præſcriptionem iure quidē optimo hæreticis opponi, ſed ſaluâ illâ, nonnunquā ex abundanti ad tractationē de ſcripturis illos admitti poſſe, ne ſuæ cauſſæ diffidere, aut alienā præiudicatam damnare Catholici videantur. Hæc vera eſt Tertulliani, minimè diſcors diuerſis in locis de præſcriptione, & retractatione ſententia. Sed Fabricius præſcriptionū, à quibus ſibi extremum malum imminere cernit, iuratus hoſtis, aduerſus hanc apertam concordiam ab ipſomet Tertulliano indicatam, verbis illius de præſcriptione aduerſus omnes hæreticos ipſo ſole clarioribus, craſſiſſimam falſæ interpretationis nebulam adſpergere nihil erubeſcit. Ità enim commentatur. *Hoc medio* (prouocatione ſcilicet ad ſcripturas) *vtendum non eſſe dicit Tertullianus, dum contra negantem Scripturas, vel omnes, aut ferè omnes, quales erant Marcion & Cerdon, diſputamus.* Quid ais, fallaciſſime homo? Tertullianus de hoc ipſo loco ait in libro de Carne
c. 2. Chriſti: *Plenius eiuſmodi præſcriptionibus aduerſus omnes hæreſes alibi iam vſi ſumus.* Et tu dicis: Non docet Tertullianus præſcriptione ſine ſcripturis pugnandum eſſe aduerſùs omnes hæreticos, ſed contra

illos

illos tantùm, qui omnes, aut ferè omnes ſcripturas negant. Vtri credamus? Illi, qui ait ſe contra omnes hæreticos præſcriptione dimicaſſe; an tibi, qui eum negas præſcriptionem aduerſus omnes hæreticos approbare? Rectiùs nunc ego reponam. *Quis non videt Prædicantem apertè fallere?* Sed videamus, vt fucum fuco ex eodem libro de præſcriptionibus pingat Prædicans, & ex eo ipſo loco abſtergamus, vt turpis fallacia pateat. Ità igitur falſum illud ſuum commentum de mente Tertulliani, ex ipſo ſtabilire nititur. *Ait enim c. 17. eiusdem libri, prout etiam citat Ieſuita.* Quid promouebis, exercitatiſſime ſcripturarum, cùm, ſi quid defenderis negetur? *Satis oſtendit Tertullianus, nos parùm proficere contra negantes Scripturas, etſi in illis exercitatiſſimi ſimus, proinde contra tales in Scripturis non eſt conſtituendum certamen.* Erras Prædicans. Non hoc, quod dicis, ſed fucum tuum oſtendit Tertullianus, & ego ex illo. Non de negantibus Scripturas tantùm, ſed de iis vel maximè, qui verum ſcripturarum ſenſum negāt, falſum defendunt, loquitur. Addit enim, quod doloſè ſubticuit Prædicās. *Ex diuerſo, ſi quid negaueris, defendatur.* Hoc enim hæreticorū ingeniū eſt, vt probatiſſimos ſenſus ſcripturæ negent, recentiſſimè confictos defendant pertinaciſſimè. Et profectò non tantùm de iis, qui ipſam ſcripturam, ſed de illis quoq;, qui receptâ ſcripturâ germanum illius ſenſum repudiāt, agere

Digitized by Google

Tertullianum, iam iam magis patebit ex præcedentibus illius verbis, quæ Prædicans mutilè pro ſuo figmento allegat, nos verò integrè ad Prædicantem falſimoniæ conuincendum recitabimus. Rurſus ergo ità ex Tertulliano argumentatur pro ſua interpretatione. *Denuò ſatis oſtendit, cur ex ſcripturis victoria ſit incerta, non quòd certiſſima non ſit, ſi rem habeamus cum eo, qui eas admittit: ſed, inquit, vt etiam citat Ieſuita pag: 45.* quia iſta hæreſis, ſcilicet Marcionis & Cerdonis, non recipit quaſdam ſcripturas, & ſi quas recipit, adiectionibus & detractionibus ad diſpoſitionem inſtituti ſui interuertit. *At ſtatim oſtendimus, nos nil tale agere, ideoq; contra nos certandum ex ſcripturis, ad eáſq; ſolùm eſt prouocandum.* Innocentiam iſtorum circa quarundam ſcripturarum contemptum & corruptionem, ſequens caput, in quo Lutheri in eo genere à me accuſati defenſionem excutiemus, oſtendet, vt vel inde quoq; indigni ſint, quibuſcum ex ſcriptura pugnetur. Sed illud hìc Prædicantis crimen maximè noto, quòd Tertulliani verba, vt probaret ab illo, ijs ſolùm, qui aliquas ſcripturas non recipiunt, aut ſtilo corrumpunt, denegari certamen ex ſcripturis, doloſiſſimè abruperit & ſequentia reſciderit, ne apertum fieret, à Tertulliano illos quoq;, qui ſcripturas integras recipiunt, nec ſtilo, ſed ſenſu adulterant, eandem de prouocatione repulſam pati. Recitemus ergo reliqua ſuppreſſa, vt fucatus Prædi-

Prædicans expalleſcat. *Et ſi recipit, non recipit integras: & ſi aliquatenus integras præſtat, nihilominus diuerſas expoſitiones commentata conuertit. Tantum Veritati obſtrepit adulter ſenſus, quantum corruptor ſtilus.* Ergo etiam illis hæreſibus, quæ ſcripturas aliquatenus, hoc eſt, ſecundùm litteram integras, falſis interpretationibus ſecundùm ſenſum adulterant, non minùs apertè ius ad ſcripturas prouocandi, quàm quę ſcripturas abijciunt, aut ſtilo corrumpunt, à Tertulliano adimitur, & Tertulliano ab interpretatione Fabriciana manifeſta vis infertur, vti & ab illo gloſſemate, *Iſta hæreſis, ſcilicet Marcionis & Cerdonis,* quaſi contra hanc vnicam præſcribere Tertulliani mens fuiſſet, cùm tamen is palàm alibi fateatur, ſe hoc in libro præſcriptionibus contra *omnes hæreſes* vſum fuiſſe. Et deniq; de quibus, amabò, à Tertulliano dicitur? *De ſcripturis agunt, & ſcripturis ſuadent, ſcripturas obtendunt, & hac ſua audacia ſtatim quoſdam mouent.* An de ijs, qui negant ſcripturas? quis tam bardus ſit, vt hoc dicat? Et tamen illicò ſubiungit; *his ipſis hunc gradum potiſſimum obſtruendum, vt non admittantur ad vllam de ſcripturis diſputationem.* Fallaciſſimus ergo Fabricij fucus eſt, præſcriptionis medium tantùm contra eos, qui omnes, vel fermè omnes ſcripturas negant, à Tertulliano præſcribi, quem & ipſe Prædicans ſuis his verbis in reſponſo ad illud Tertulliani *ſcripturas obtendunt* &c. prolatis, tanquam ſpongiâ, delet. *Tacitè oſtendit hære-* C. 15.

ticos ſui temporis peccaſſe in vera expoſitione ſcripturæ, (& tamen mox contra hos, adeoque non ſolùm contra negantes ſcripturam, præſcriptione vtitur) *quia eodem vitio laborabant, quo nunc Pontificij.* Lutherani & Caluiniſtæ, debebat Prædicans dicere, vt veram ſententiam ſine falſa calumnia clauderet; quam inſuper aliâ in R.P. Cottonum noſtræ Societatis Theologū atrociſſimâ calumniâ, luculentis antehac argumentis in Apologetico contra Anticotonum confoſſâ, firmare audet. *Humanis potiùs*, inquit, *quàm diuinis documentis vtuntur in interpretandis ſcripturis, quin imò Diaboli ſuggeſtu: vti Cottonum Monachum, Ieſuitam, Aulicū, feciſſe omnibus conſtat ex Articulis, ſuper quibus Dæmonem interpellauit.* Imò conſtat omnibus, qui Apologeticā reſponſionem, ſiue Gallicè primùm, ſiue deinde Latinè editam, loco à me iam iam citato legerunt, calumnioſam à Caluiniſtis incompoſitè fictam fabulam, à Fabricio ad calumniandum valentiſſimo tantùm repeti, quia, quo ſolidā Cottoni defenſionem euerteret, non habebat. Sed calumniæ earum confutatione præterita, iteratæ, nouum non merentur reſponſum. Quid verò tibi, Fabrici, animi erit, ſi Lutherum, cuius te iam patronum ſimulas, Diaboli ſuggeſtu vſum fuiſſe non mendacis famæ rumuſculis, ſed indubitatâ ipſius Lutheri confeſſione ſcriptâ editaq; demonſtràro? Nónne in libro de *Miſſa priuata & ordinatione Sacerdotum* fatetur ſe de nocte,

Apolog. 4. p. 115 Lugdun. in 8.

Tom. 7. Germ. VVittēb.

ᵭte, quamùis initio repugnantem, à Diabolo quinque argumentis ad ſacrificij ſacrorumq́; ordinum deteſtationem inductum eſſe? Nónne teſtimonia Scripturæ à Diabolo ſibi obiecta, quibus de errore conuictus fuerit, prolixè narrat? Age, dic iam, Fabrici, & cum tuis exprobra Cottono, quòd Diabolum conſuluerit: *Quis ſit euidentiſſimus locus ſcripturæ ad probandum Purgatorium, & inuocationem Sanctorum.* De Luthero, qui euidentiſſima Scripturæ loca contra Miſſam à Diabolo ſibi tradita, poſteris ſcripta reliquit, quid tibi videtur? Negatur, quod Cottono imponitis: veſtra accuſatio clariſſimis indiciis calumniæ damnata eſt: quod Luthero obijcimus, negare non poteſtis: aperta rei confeſſione noſtra nititur accuſatio.

Sed iam in viam redeamus, cenſeamuſq́ue demùm miram Prædicantis, quam falſæ Tertullianæi dicti interpretationi ſubiecit, concluſionē, in qua penè quot verba, tot vel impudentes calumnias, vel thraſonica mendacia effudit? *Dum contra vos,* inquit, *nobis eſt agendum, profectò ad ſolas ſcripturas prouocare non poſſumus* (profectò ſine frōte ſcribis: perpetuò enim linguâ calamóq; contra nos ad ſolas Scripturas prouocatis,) *cùm enim adiectionibus ad diſpoſitionem veſtri inſtituti fucatis* (inſignis calūnia: nihil enim adijcimus ſcripturæ ſacræ, ꝙ pro ſcriptura ſacra habendum ſit,) *incerta nobis eſt victoria,* (& tamē perpetuò glorioſiſſimè, ſi de

ſolis

tenebrionis conatum. Primus locus prolixior deſumptus ex libro de vtilitate credendi cap. 14. à me pag. 38. recitatus eſt: in quo S. Auguſtinus mirè Manichæum auctoritate Eccleſiæ premit, inſaniſſimúmq; eſſe demonſtrat eum, qui, poſtquā Eccleſiæ tutò de Chriſto ac de ſcripturis generatim credidit, ab alio, & quidem ſententiâ Eccleſiæ damnato, Chriſti præcepta & ſcripturæ ſententias ſpeciatim diſcere tutum putet. Fabricius, ne inſanus videatur, inaniſſimorum gloſſematum diuerticula vndiq; concluſus quæritat, his verbis: *Verborum Auguſtini hic eſt genuinus ſenſus. Dicit, dum eſſet Manichæus, ſe ſummoperè commotum fuiſſe, vt crederet Eccleſiæ, cuius fama eſſet corroborata celebritate, conſenſione, vetuſtate. Quid hoc ad rem? non dicit Auguſtinus, cùm eſſet Chriſtianus, ſe vſum communi opinione, Eccleſiæ conſenſione, vel vetuſtate, tanquam ſolidiſſimo fundamento & medio ad indagandam veritatem; ſatis enim oſtendit alijs locis, non alio ſolidiori & ſecuriori medio vſum, quàm ſcriptura ſacra.* Vaniſſimum eſt hoc perfugium. Fac enim Auguſtinum de ſe tantùm, cùm Manichæus erat, non cùm Chriſtianus eſſet, locutum eſſe: annon quaſi digito in Eccleſiæ auctoritatem intento, breuiſſimam tutiſſimámq; viam hæretico ad veritatis arcem oſtendit, & Sereniſs. Principis alterum fundamentum, cuius beneficio de hæreſi ad veritatem perrexit, approbat? Cur Sereniſſimo non licuerit viam inire, & alijs ſuadere ad erroris

Digitized by Google

aliquid vtile præcepiſſe iam credidi? Et iſta: *Si illi deficerent, nec me quicquam docere poſſent, multò faciliùs mihi perſuaderem Chriſtò non eſſe credendum, quàm de illo cuiquam, niſi ab ijs, per quos ei credidiſſem, diſcendum.* En non tantùm auctoritate Catholicorum commotus primò credidit, ſed iam fidelis apud eoſdem perfectiorē cognitionem quæſiuit, quos deficere non poſſe cenſuit: quia ex eorum defectu, perſuaſu faciliùs fieret, Chriſto nō eſſe credendum, quàm ab aliis, per quos primò Chriſto creditū eſt, (quod notēt Prædicantes tanto poſteriores S. Bonifacio, aliiſq; primis, apud Germanos, Chriſti præconibus) eſſe diſcendū. Alibi quoq; Auguſtinus tam apertè ſe poſt fidem ſuſceptam Eccleſiæ auctoritati in ſacris literis ſiue recipiendis, ſiue intelligēdis, maximè duci meminit, vt ſine fronte eum, qui neget, eſſe oporteat. *Ego*, inquit, *Euangelio non crederem niſi me Catholicæ Eccleſiæ commoueret auctoritas.* Commoueret, ait, etiamnū ſcilicet, ſi enim iā fidelis non ob auctoritatē Eccleſiæ Euangelio credidiſſet, *commouiſſet*, debebat dicere. Et infrà: *Si ad Euangeliū te tenes* (Manichæum alloquitur) *ego ad eos me teneā, quibus præcipiētibus credidi Euangelio.* Iā credens ergo ſe tenuit ad Eccleſiā, de qua deniq; ibidem dicit: *Catholicorum auctoritate infirmata, iam nec Euangelio credere potero.* Et capite præcedenti, auctoritate Eccleſiæ manifeſtiſſimè ſe in eius gremio retineri teſtatur: *Multa ſunt alia*, inquit, *quæ in eius gremio me iuſtiſſimè teneāt. Tenet cōſenſio populorū atq; gentiū, te-*

Contra Epiſt. fundam. c. 5.

net auctoritas miraculis roborata, ſpe nutrita, charitate aucta, vetuſtate firmata. Tenet ab ipſa ſede Petri Apoſtoli, cui paſcẽdas oues ſuas poſt reſurrectionem Dominus commendauit, vſq; ad præſentem Epiſcopatum ſucceſſio Sacerdotum. Pudeat igitur Fabricium ſuarum offuciarum in Auguſtini mente corrumpenda. Maximi fecit Auguſtinus ſcripturam ſacram, ſed, vt ſuprà vidimus, non minùs tribuit Traditionibus non ſcriptis in tota Eccleſia ab Apoſtolorum ætate conſeruatis, quia nec ſcripturam pro diuina ſe agnoſcere, nec ex ipſa quidquam de diuinis myſterijs certò tutoq; ſine Eccleſiæ teſtimonio diſcere poſſe, ſemper præ ſe tulit. *Huius multitudinis*, ait loco, quem interuertere cupit Fabricius, *primates quæram, & quæram diligentiſſimè ac laborioſiſſimè, vt ab his potiùs de his literis aliquid diſcam: qui ſi non eſſent, diſcendum omninò eſſe neſcirem.* In quæ verba, quamuis mutilè recitata, ità Fabricius commentatur. *Vide Auguſtinum, poſtquam admiſit ſcripturam, nullum aliud medium indagandi veritatem quærere, quàm ſcripturam ſacram, nec auctoritati primatum prorſus ſe committere.* Quid, quæſo, hoc Prædicantis commento, quo bonis oculis ſolem tenebroſum perſuadet, impudentius cogitari queat? Auguſtinus dicit; *Quæram Eccleſiæ primates, & quæram diligentiſſimè ac laborioſiſſimè, vt ab his de diuinis literis diſcam;* Et Fabricius dicit; *Vides Auguſtinum, præter ſcripturam nihil quærere,* An primates Eccleſiæ non aliquid præter ſcripturam ſunt? Si dixiſſet Auguſtinus; quæram diligen-

De vtil. cred. c. 14.

Digitized by Google

diligentiſſimè & laborioſiſſimè in ſcripturis veritatem, vt ex illis ſolis ſolus illam diſcam & eruam: poſſet Fabricius aliquam ſuo commentario fidem facere; at quia repertis ſacris litteris, ſummam diligentiam laboremq; eò ſe conuertere teſtatur, vt aliquid de ſacris literis diſcat ab Eccleſię primatib⁹, quis non Fabricij fucum deprehendat? Quomodo non prorſus ſe primatum auctoritati Auguſtinus commiſit, qui ità ſe ab ijs diſcere profitetur, vt ſi illi non eſſent, omninò diſcendum eſſe neſciret? At ſacros Codices habuit Auguſtinus, ex quibus diſceret, inquiet Fabricius. Sed reſpondet Auguſtinus, ſe omninò neſcire diſcendum, ſi primates non ſint, à quibus è ſacris codicibus inſtruatur. Ità ſe perpetuò tenet ad illos, quibus præcipientibus credidit Euangelio, vt falſorum Doctorum fraudes euitet. Sed ſpectemus ad extremum Prædicantem, plagæ, quam de Auguſtini ſententia accepit, vindicandæ ergò, brutum ex Auguſt. in nos fulmen iacientem. *Videat Ieſuita, annon ità verè de Pontificijs, quàm verè de Manichæis dixit Auguſtinus.* Vos contra promiſſum facitis fidem imperando, non reddendo rationem. *Solebant enim Manichæi, vt ſolent Pontificij, proſelytis promittere vera dogmata ex authenticis libris deſumpta: at illis neglectis fidem non docebant, ſed imperabant, vti Pontifex. Sic vult, ſic iubet ſancta Mater Eccleſia; ſtat pro ratione, magni Vulcani ipſius auctoritas.* Nihil nobiscum Vulcano: fuligino-

 ſum

ſum hunc Deum Fabrûm, meliùs Fabricius & Caluinus candētis ferri vim expertus nouerint. Quod Manichæis ab Auguſtino dictum, in nos Prædicans torquet, eo nō nos ferit, ſed inſignem ſuam vel imperitiam, vel obliuionē prodit. Manichæi nihil credendum eſſe, cuius nō certa, euidenſq; ratio redderetur, aſſerebant: talia ſua dogmata, quæ aperta ratione conſtarent, eſſe iactabant: populorum gentiumq; conſenſum ridebant. Auguſtinus ergo, cùm à Manichæo ad credendū Chriſto ſcripturarū auctoritate vrgeretur, auctoritate hac, ſi Eccleſiæ incerta fides ſit, ſe minimè premi, argumento tum à paucitate, obſcuritateq; Manichæorum, tum ab euidentis rationis inopia ducto, ità demonſtrat. *Scriptura omnis, ſi noua & inaudita proferatur, vel commendetur à paucis nulla confirmante ratione, non ei, ſed illis, qui eam proferunt, creditur. Quamobrem ſcripturas iſtas, ſi vos profertis tā pauci & incogniti, non libet credere: ſimul etiam contra promiſſum facitis, fidem potiùs imperando, quàm reddendo rationē.* Quid hoc ad Pontificios, qui nec fidei dogmata rationis humanæ modulo metiuntur, nec ſcripturas ſacras euidēti ratione, ſed cōſtanti Eccleſiæ Catholicæ teſtificatione commoti, venerātur? Acuti ſcilicet Caluiniſtæ videāt, ne Manichæorū de ſanguine ſint, qui nihil niſi quod ratione ſenſuq; capiūt, credere in animū induxerūt.

Sed quid denique de turpiſſimo Fabricij dolo dicam, cum ait; *Solebant Manichæi promittere vera dogmata*

ex libis authenticis deſumpta, quibus neglectis fidem non docebant, ſed imperabant? Ex quibus authenticis libris? veteris an noui inſtrumenti? At enim Manichæi, vt tu ipſe paulò antè ex Auguſtino teſtatus es, *negligebant libros Moſi & Prophetarum: nec minùs ſacrilegi in libros noui Teſtamenti, affirmabant libros Apoſtolorũ & Prophetarum mendaciis eſſe refertos.* Quod ſi ità eſt, cur tui oblitus paulò poſt dixiſti, Manichæos de authenticis libris vera documẽta promittere ſolitos? Quis credat ex illis libris, de quibus indigniſſimè ſentiebant, ſuæ fidei firmamenta eos promiſiſſe, & deprompſiſſe? Promiſſionem euidentium rationum in illis culpat & perſequitur Auguſtinus; fides enim auctoritate, non ratione conſtat. Fabricius ergo in hoc Auguſtini loco tractando infæliciſſimus eſt, nam fugere voluit, & captus eſt; ferire voluit, & vulneratus eſt. *Auguſt. lib. 32. cont. Fauſtum.*

Alter S. Auguſtini locus de cap. 7. eiuſd. libri à me pag. 47. & 48. eo conſilio prolatus eſt, vt oſtenderem eam à Sereniſſimo Principe reperiendæ veritatis viam rectè initam eſſe, quam Manichæo Honorato Auguſtinus ſapienter præſcripſit. Loci ſumma eſt, proculdubio eſſe in religionis inquiſitione à Catholica Eccleſia ſumendum exordium, quæ per totum orbem multitudine refertior inter omnes hæreſes, propriis quaſque nominibus appellatas, iis etiam inuitis, ſola nomẽ Catholicæ obtinet. Quid ad hoc teſtimoniũ à me produ-

ductum Fabricius? *Auguſtini verba*, inquit, *ad ſuum propoſitum obtorto collo rapit Ieſuita.* Videamus vter Auguſtino collum obtorqueat. Pergit Prædicans *Inducit enim Auguſtinus Manichæum quendam petentem*, (imò ſe & Honoratum, ſed hæc minuta non tango) *cuinam religioni animas purgandas tradere oporteat. Reſpondet, exordium ſumendum ab Eccleſia Catholica, id eſt, committendum ſe Eccleſiæ, quæ ſcripturas ſacras ſequitur & cuſtodit, qualis non erat Eccleſia Manichæorum.* Quæ fraus eſt, Eccleſiam Catholicam, à qua exordiri iubet Auguſtinus, interpretari illam, quæ ſcripturas ſequitur & cuſtodit? Dubium quidem nullum eſt, Catholicam Eccleſiam ſcripturas ſequi & cuſtodire; non tamen inde Catholica nominatur, aut noſcitur, quòd ſcripturas cuſtodiat, ſed quòd per totum orbem dilatetur. Scripturæ cuſtodiam etiam hæreſes iactant, ſed illis non creditur, quia Catholicæ non ſunt; nam, vt ſuprà audiuimus ex Auguſtino, ſi pauci & noui ſcripturas proferant, non libet credere. Sed libuit Fabricio Auguſtinum de Eccleſia Catholica loquentem, de illa, quæ ſcripturas ſequitur & cuſtodit, exponere, vt à Lutheranâ vel Caluiniſticâ, quæ vtraq; de ſcripturis admodùm gloriatur, veritatis cupido exordium ſumendum ſuaderet. Ignoſcat nobis; nō credimus Lutheri aut Caluini gregi de Scripturarum aſſeruatione & explicatione. Quid ità? Quia Catholicus non eſt. A Catholica Eccleſia ordiendū

eſſe

Digitized by Google

eſſe docet Auguſtinus. Et quomodo illam, vt noſcatur, depingit? An per ſcripturarum cuſtodiam, vt commentatur Fabricius? illius nec verbo meminit; ſciuit huius prætextu multas hæreſes abuti. Hoc penicillo efformat Catholicā. *Plures enim iā Chriſtiani ſunt, quàm ſi Iudæi ſimulachrorum cultoribus adiungantur. Et Chriſtianorum cùm ſint hæreſes plures, atq; omnes ſe Catholicos velint videri, vna eſt Eccleſia, vt omnes concedunt, ſi totum orbem conſideres, refertior multitudine. Et quod quærentibus ſatis erit, vna eſt Catholica, cui hæreſes aliæ diuerſa nomina imponunt, cùm ipſæ ſingulæ proprijs vocabulis, quæ negare non audeant, appellentur. Ex quo intelligi datur iudicantibus arbitris, quos nulla impedit gratia, cui ſit Catholicum nomen, quod omnes ambiunt, tribuendum.* Quid tu prolixam hanc Catholicæ Eccleſiæ deſcriptionem, Fabrici, præteriſti, & cum illo tuo fraudulento compendio commutâſti? Videbas ſcilicet, eâ deſcriptione Caluini haram inter hæreſes deputari: noſtram verò Eccleſiam apertiſſimè Catholicam cenſeri. Non accipimus breuem tuam Catholicæ Eccleſiæ, de qua Auguſtinus, expoſitionem, cùm clarè legamus in ipſo Auguſtino aliam explicationem.

Sed aliud in Auguſtinum ſcholion Fabricij audiamus. *At quid poſteà agendum dicit Auguſtinus? hærendúmne ſimpliciter doctrinæ ipſius Eccleſiæ? minimè; ſed, inquit, excipienda ſunt ſemina veritatis: intelligit ſcripturas. Quod ſaluberrimum, inquit Auguſtinus, iudico, & tale omninò, ſine quo*

Digitized by Google

ægris animis ſalus redire non poßit. Infideliter Auguſtinus producitur. Ità ipſe cap. 14. eius libri, quem locum notare Prædicans omiſit, loquitur. *Ego credere ante rationem, cùm percipiendæ rationi non ſis idoneus, & ipſa fide animum excolere, excipiendis ſeminibus veritatis, non ſolùm ſaluberrimum iudico, ſed tale omninò &c.* Non ergo dicit Auguſtinus, *Excipienda ſunt ſemina,* nec dicit, *quod,* nimirum exceptionem ſeminis, *ſaluberrimum iudico,* vt fraudulenter Prædicans recitat, ſed, *credere ante rationem, & fide animum excolere excipiendis ſeminibus &c. ſaluberrimum iudico.* Oſtendit ergo neceſſariũ eſſe priùs credere, quàm ſemina veritatis excipiantur, nec vtiliter ſine fide excipi. At fidem hanc præuiam Eccleſiæ in acceptis fert Auguſtinus poſt paucula verba ibidem; *Nullis,* inquit, *video me credidiſſe, niſi populorum atque gentium confirmatæ opinioni.* Gloſſema verò illud; *Intelligit ſcripturas,* nullo verbo ex Auguſtini contextu conuincitur; quaſi verò nullum ſit ſemen veritatis, niſi quod in chartas miſſum eſt, & antè non ſit ſeminatum verbum Dei, quàm ſcriptum. Sed etſi de Scripturis intelligantur illa verba, nihil nobis officiunt. Scripturas non excludimus, ſed illas, duce Catholica Eccleſia & recipiendas, & intelligendas eſſe contendimus. Excipienda ſunt ſemina veritatis, ſed Chriſti ſponſa, non inimici hominis maligna ſobole ſeminante & occante. Addit Prædicans, Auguſtini ſententiâ, *primò ſcripturas*

ad-

Digitized by Google

admittendas, tanquam prima principia, quibus ob perſuaſionem non eſt credendum. Si de propria credendi ratione, quæ eſt ſola diuinæ reuelationis auctoritas, loquitur Prædicans, conſentimus; ſi de cauſa motiua, imò etiam conditione, ſine qua non creditur ſcripturis, talemque negat eſſe Eccleſiæ auctoritatem, repugnamus, cùm Auguſtinus locis ſuprà relatis, & iſto ipſo capite 14., ex quo verba hæc de ſeminibus veritatis Fabricius recitauit, manifeſtè contrarium aſſerat. Sed cur credendum ſcripturæ primis principiis, Fabrici? *Quia euidens & clara eorum veritas habenti Spiritum Sanctum, à quo lumen animæ fidelis.* Itáne verò Sacroſanctæ Trinitatis, humanæ diuinæque in Chriſto coniunctæ naturæ, aliorumque Chriſtianæ fidei myſteriorum veritas euidens & clara eſt etiam in terris? Ergo iam pro fide, veram rerum altiſſimarum ſcientiam arrogans iſte præco promittit? Quomodo euidens & clara eorum, quæ creduntur, eſt veritas, ſi fides Apoſtolo teſte, non apparentium eſt, *Hebr.11 v.1.* & adhuc per ſpeculum videmus in ænigmate? Certa & immobilis eſt fidei veritas, non euidens & clara: ſuperat fides ſcientiam in certitudine, in claritate cedit ſcientiæ fides. Fides veritati, non quia in ſe videtur, ſed quia à veraciſſimo Deo dicitur, firmiſſimè aſſentitur. Fabricius pro ſumma di-

Digitized by Google

centis Dei auctoritate, rerum euidentiam & claritatem ſuperbiſſimè iactat, vt ad Caluiniſtas non iam fideles, ſed ſcientes, quales ſe quoq; Manichæi mentiebantur, curioſum vulgus pelliciat.

Sed pergamus, & vltimam huius Scholiaſtæ Notam examinemus. *Videndum nunc*, inquit, *quid Honorato ſuadeat, poſtquàm pedem intulerit in Eccleſiam. Annè adbuc credendum dicit doctrinæ, ob auctoritatem Eccleſiæ ſic docentis? Minimè. Dicit enim Auguſtinus, poſtquàm commendauit auctoritatem Eccleſiæ:* Nullum tamen hinc præiudicium fieri volo ſcripturæ ſacræ, ſed exordium quærendi opportuniſſimum iudico. *Notet Ieſuita Auguſtinum vocare auctoritatem, Magiſteriumq; Eccleſiæ, exordium opportunum quærendi veritatem: At ſine præiudicio ſcripturæ, quâ vult nullũ ſolidius ſecuriuſq; mediũ poſſe excogitari.* Impudens monitor, qui me notaſſe diſſimulat, quod notare iubet. Nónne ipſe verba hęc & plura ſequentia Auguſtini recitaui, addidiq; Eccleſiæ auctoritatem diuinæ non præiudicare, ſed ad illam inducere? Nonné dixi fidem verbo Dei, & hoc immutabili dicentis veritate ſatis conſtare, ſed viuo Magiſtro opus eſſe, qui nos fidem verbumq; Dei ſincerè doceat? Sed duo te, Prædicans, me monitore notare velim. Vnum eſt, te de tuo verbis Auguſtini, quæ recitas, doloſe quædam adieciſſe. Auguſtinus ait; *Nullum hinc præiudicium fieri volo*, tu addis, *ſcripturæ ſacræ*: quaſi de hac vnica Auguſtinus diceret,

ſe

ſe ei præiudicium facere nolle. De vero Dei cultu, qui diuinitùs nobis ſiue voce, ſiue ſcripto traditus eſt, locutum eſſe, ſequentia verba oſtendunt. Auctoritatis diuinæ meminit, quam parem ſiue ſcriptum, ſiue traditum Dei verbum habet. Alterum eſt, Auguſtinum, cùm diuinæ veritatis præiudiciũ, exordio quærendi opportuniſſimo indicato, excludit, non excludere auctoritatem Eccleſiæ, quaſi illi poſt ſuſceptam fidem iam minimè fidendum ſit, cùm exertè dicat, *perfectæ fælicitatis eſſe, ſi poſſit ibi verum inueniri, vbi & inquiſitio eius, & retentio ſecuriſſima eſt.* Ergo Auguſtini animo in Eccleſia Catholica non ſolùm inquiritur, ſed retinetur quoq; verum ſecuriſſimè. Nec verò hæc ſiue inquiſitio, ſiue retentio veri beneficio Eccleſiæ ſecuriſſima, quidquam detrahit diuini verbi maieſtati; non enim perpetua hæc Eccleſiæ auctoritas neceſſaria eſt, vt verbum Dei, quaſi aliàs imbecillum, fulciat, ſed vt hoc ipſum, quod proprio robore firmiſſimum eſt, in mentibus noſtris aduerſùs innumeras hæreſum fraudes, machinaſq; ſolidè ſuſtentet atq; tueatur. Hoc eſt, quod communiter dicitur, Eccleſiam fulcire verbum Dei, non ſecundùm ſe, ſed ſecundùm nos. Hoc indicat Auguſtinus, cùm ait; *Non eſt metuendum, ne verus Dei cultus nullo proprio robore innixus ab ijs, quos fulcire debeat, fulciendus eſſe videatur.* Quare Eccleſiæ fulcrum quæritur? an quòd ruiturum ſine eo Dei

Digitized by Google

verbum timeatur? Minimè; nititur enim proprio robore, quo & ſe, & Eccleſiam fulcit; immobile eſt, & in æternum ſtat Dei verbum. Non ergo fulcit Eccleſia veritatem diuinam, quaſi nullo proprio robore nixam, (abſit hæc ſuſpicio à fideli pectore) ſed illam iam per ſe ſummè firmam, pro nobis aduerſùs potentem hæreſum violentiam conſtanter ſuſtentat, vt iam perfectæ fælicitatis ſit, apud Eccleſiam veritatem diuinam inuenire, apud quam illius inquiſitio & retentio ſecuriſſima eſt, cùm extra illam non modo non reperiendi, ſed etiam perdendi veritatem certum periculum ſit. Atque ideò Paulus quoque Eccleſi-
1. Tim. 3. 15. am *columnam & firmamentum veritatis* appellauit, quòd omnem, diuinam ſcilicet etiam ſacrarum ſcripturarum veritatem, non ſecundùm ſe, vtpote ex ſe fundatiſſimam firmiſſimamq́ue, ſed ſecundùm nos, noſtraq́ue cauſâ, vt illam ſecurè fæliciterq́ue habeamus ac teneamus, Eccleſia fundet, firmetq́ue. Ità hoc Eccleſiæ encomium ab Apoſtolo prolatum intelligendum eſſe, nec ipſi Caluinus & Beza in eum locum commentantes diffitentur. Caluinus inquit: *Hominum reſpectu ſuſtinet Eccleſia veritatem, quia eam præconio ſuo celebrat, quia puram & ſinceram retinet, quia tranſmittit ad poſteros.* Et Beza; *hoc intellige hominum reſpectu, non ſimpliciter.* Si ergo reſpectu noſtri Eccleſia eſt columna & firmamentum ſacræ veri-
rita-

ritatis, vt Paulus teſtatur, & Caluiniſticæ etiam Synagogæ Duces fatentur; ſi in Eccleſia veritas inuenitur, & retinetur ſecuriſsimè, fælicisſimeque, vt aſſerit Auguſtinus, quis non videt Fabricium contra Eccleſiam pro ſcriptura diſſerentem & multa conantem reſpondere ad locum Auguſtini, à S. Pauli, Auguſtini, imò ſuorum ſententia diſcedere, meroſque fumos vendere? Scriptura in ſe veriſsima firmiſsimaque eſt, ſed vt nos in illa dignoſcenda & intelligenda ſecurè verſemur, in Eccleſiæ diſciplinam, non tantùm nos primò tradamus, ſed in eâ perpetuò maneamus, neceſſe eſt. Nihil per Eccleſiæ auctoritatem ſcripturarum ſacræ maieſtati, ſed Prædicantium audaciſſimæ præſumptioni multum detrahimus. Ex dictis facile eſt intelligere, quo ſenſu dixerint aliqui Catholici Doctores, vt Pighius, Cochlæus, Eckius, Andradius & alij, *ſcripturam pendere neceſſariò ab auctoritate Eccleſiæ, non eſſe authenticam, niſi Eccleſiæ auctoritate; tantam eſſe vim Eccleſiæ commendantis & docentis ſacros Codices, vt illis ſine grauiſsima impietatis nota nemo repugnare poſsit*; eo enim ſenſu iſta dixêre, quo Paulus Eccleſiam columnam dixit veritatis, & Caluinus cum Beza interpretatur, reſpectu hominum ab Eccleſia ſuſtineri veritatem, non quam illis per calumniam impoſuit Fabricius, vt de contumelioſo ſcripturæ contemptu eos diffamaret

poſſent. An deniq; Lutherus à te, Fabrici, vt tua phraſi vtar, *debacchantis in ſcripturam & Deum conuitij* poſtulabitur, quòd ſcripturam, *librum hæreticorum*, ein Ketzerbuch/ & Deum, *nebulonum Deum*, der Schalcken Gott/ appellârit? *Verum eſt*, inquit, *quod dicitur, ſacram ſcripturam eſſe librum hæreticorum, hoc eſt, talem librum, quo hæretici præcipuè vtuntur; nullus enim alius liber eſt, quo tam malè abutantur, atq; iſto. Et nulla hactenus hæreſis tam craſſa fuit, quæ non ſe tegere voluerit, ſcripturâ ſacra. Veluti cùm dicitur, Deus eſt nebulonum Deus, non ſua quidem culpa, ſed nebulonum, qui ſanctum nomen ipſius perpetuò in profanum ſumunt. Ita debet ſacra ſcriptura liber eſſe hæreticorum, non ſua culpa, ſed illorum, qui illa tam turpiter abutuntur.* Si Lutherum ob additam explicationem de blaſphemia excuſas, Prædicans, quid Catholicos ſimili aliquo loquendi modo, quo hæreticorum in ſcripturas violentiam explicant, vtentes accuſas? Deſunt tibi ſcilicet iuſtæ accuſationis capita in hoc genere; ſed iam quàm benè cùm Meiſnero Lutherum de iniquiſſima litterarum ſacrarum tractatione à nobis accuſatum defendas, conſideremus.

In poſtil. Eccleſ. Dom. 8. poſt Trinit. ſerm 2.

CAPVT. IV.

LVTHERVM A PRÆDICANTIbus de Scripturæ corruptelâ malè excuſari oſtenditur.

Ee Eccle-

Igitur ignoratio elenchi. Nulla hîc mea ignoratio, ſed tua vel extrema incuria, vel pudendus dolus eſt. Legiſtíne, Meiſnere, illa mea, quæ primam hanc obiectionem proximè antecedunt, verba? *Non tantùm ſenſu ſacros Codices Lutherus adulterauit, ſed etiam ſtilo corrupit. Vtriusque impudentiæ ex multis aliqua videamus ſpecimina.* Si non legiſti, nimis indiligens lector fuiſti; ſi legiſti, nimis craſſus impoſtor es. Quid enim de ſolo textu ſomnias, cùm ego clarè & textus, & ſenſus ſacri à Luthero violati meminerim, atque vtriuſque ſpecimina quædam promiſerim? Hoc primum non verborum, ſed interpretationis vitiatæ exemplum eſt, vt & quædam ex ſequentibus alia. Non ergo ignoraui ego Elenchum, ſed tu, aut noluiſti ſcire, quid ſcripſerim, aut ſciens calumniari voluiſti. Sed alterum addis reſponſum, primi ſcilicet diffidentia. *Deinde quænam ſubeſt falſitas, quòd Lutherus ſententiam de votis Deo reddendis ad votum pietatis vniuerſale, & Catholicum κατ' ἐξοχὴν accommodat?* Hæc ſubeſt fallacia, quòd Lutherus peculiarium votorum, præſertim caſtimoniæ Deo deuotæ violator & hoſtis, Dauidicam de reddendis Deo votis ſententiam, de ſolo Dei cultu prima Decalogi lege, omnibus hominibus præſcripto, interpretatus fuerit, ne de certis illis, quæ violauerat, audiret; *redde altiſſimo vota tua.* Si fidem Deo datam non feſelliſſet, ſi ſa- *pag. 421*

Digitized by Google

cra vota non deriſiſſet, flocciq́ue facere docuiſſet, poterat Meiſneri purgatio probabilis videri: nunc verò ſacris votis infenſiſſimus non modò illa ipſe proculcauit, ſed alijs eiuſdem ſacrilegij auctor ſuaſorq́; fuit, quis non videat illum hoc gloſſemate ſuo non verba Dauidis κατ᾽ ἐξοχὴν ad vniuerſale pietatis votum accommodaſſe, ſed præter illud, reliqua peculiaria vota omnia, ne fœdifragus iure haberetur, ab illis verbis procul amandâſſe. Quare Fabricius ingenuè fatetur hanc interpretis Lutheri mentem fuiſſe, ſed à vitio interpretationem ità excuſat. *Si quis*, inquit, *votum aliquod aduerſus mandatum Dei temerariè, inconſideratè, & ignoranter fecit, corrigendo illud, non violat ſacrum votum, ſed conſecrat primum, cui tota vita adſtrictus eſt quilibet Chriſtianus: obediendum enim eſſe Deo potiùs, quàm nobis, vel quibuſuis hominibus præcipitur. Non igitur Lutherus ſacri voti violator, ſed temerarij corrector, vt ſummo & primo voto ſatisfaceret, didicit Dei mandatum ſequendum, vtpote, propter fornicationem meliùs eſt nubere, quàm vri, &, vnuſquiſque vxorem ſuam habeat.* O inſanum mulieroſi Apoſtatæ, pro ſacrilegis coniugiis argumentum. *Votum inconſideratè & ignoranter aduerſus Dei legem factum, nullũ eſt.* Hoc verum eſt, & nemo Catholicus contradicit: Votum enim liberè ſcienterq́; de re bona, adeoq́; legi Dei minimè contraria, fiat neceſſe eſt, vt ratum ſit. *At Lutherus inconſideratè & ignoranter in S. Auguſtini familia & in ſacerdotij inauguratione caſtimoniam vouit.* Quibus teſtibus Fabri-

Digitized by Google

Fabricius, ſiue ignorātiam, ſiue inconſiderantiā Lutheri in promiſſione faciēda probabit? *Sed contra Dei mandatum vouit.* Quodnam illud? *Propter fornicationem vnuſquiſq; ſuam vxorem habeat.* Et. *Si non ſe continent, nubant.* 1. Cor. 7. v. 2. & v. 9.
Meliùs eſt enim nubere, quàm vri. Inſanum caput, anné Paulus his verbis docet omnibus hominibus à Deo propter periculum incontinentię mandatum eſſe coniugium? Quid ergo ſuadet tam multis verbis continentiam, & omnes ſicut ſeipſum eſſe vult? An Paulus contra legem diuinam quidquam ſuadeat? Sed quibus dicit, *vnusquiſq; vxorem ſuam habeat*? Apertum eſt, eum coniugatis loqui, ſiue quæ proximè conſequuntur, de coniugij debito, ſiue verba illa v. 8. infrà, *Dico autem non nuptis & viduis*, vbi ad ſolutos lege coniugij ſermonem conuertit, conſiderentur. Et verò quæ Apoſtolus ſiue de debito reddendo, ſiue de reuerſione, poſt aliquam ex pari conſenſu propter preces continentiam, ad coniugale officium dixit, non mandati, ſed permiſſionis eſſe, ipſe his verbis ſubiunctis apertè oſtendit; *Hoc autem dico ſecundùm indulgentiam, non ſecundùm imperium.* v. 6.
Quid ergo verba indulgentiæ pro imperio venditat Prædicans, vt votum continentiæ eliminet? Et illud quoq;, *qui non ſe continent, nubant, meliùs eſt nubere, quàm vri,* an omnibus non nuptis & viduis dictum eſt à Paulo? minimè verò; nam *adoleſcentiores quasdam viduas nubere volentes habere damnationem*, alibi dixit, *quia primam* 1. Tim. 5. 11. 12.

 fidem

De bono viduit. c. 8. *fidem irritam fecerunt, id eſt,* inquit Auguſtinus, *voluntatem ad nuptias à propoſito continentiæ deflexerunt. Irritam quippe fecerunt fidem, quà prius vouerunt, quod perſeuerantia implere noluerunt.* Illis ergo licitæ vtileſque nuptiæ ſunt ob metum incontinentiæ Pauli conſilio, qui nulla Caſtitatis promiſſione Deo ſe obſtrinxerunt. Ità Patres Pauli verba accipiunt. Auguſtinus. *Illis, quæ* l. 1. de adult. coniug. c. 15 *ſe non continent, expedit nubere, & quod licet, expedit. Quæ autem vouerint continentiam, nec licet, nec expedit.* Ambroſius. Ad virg. lapſam c. 5. *Dicit aliquis: Melius eſt nubere, quàm vri. Hoc dictum ad non pollicitam pertinet; ad nondum velatam. Cæterùm quæ ſe ſpopondit Chriſto, & ſanctum velamen accepit, iam nupſit: iam immortali iuncta eſt viro. Et iam ſi voluerit nubere communi lege coniugij, adulterium perpetrat, ancilla mortis efficitur.* Hieronymus. l. 1. cont. Iouin. *Si nupſerit Virgo, non peccauit. Non illa Virgo, quæ ſemel Dei cultui dedicauit. Harum enim, ſi qua nupſerit, habebit damnationem, quia primam fidem irritam fecit. Si autem hoc de uiduis dictum obiecerit, quanto magis de Virginibus præualebit: cùm etiam his non liceat, quibus aliquando licuit? Virgines enim, quæ poſt conſecrationem nupſerint, non tam adulteræ ſunt, quàm inceſtæ.* Poſſem Chryſoſtomum, Epiphanium, Theodoretum, alios addere; ſed iſti tres viri ſatis credo Lutheri, Fabricij, ſimiliumque Apoſtatarum turpem perfidiam, quaſi diuini mandati ex Pauli litteris deprompti colore mendaciſſimè fucatam detegunt. Necdum autem tacet Fabricius, ſed hac demùm calumniâ finit Lutheri

ri excuſationem. *Miror inſipientiam hominis, quaſi verò tunc aliquid de votis Monachorum Dauid per ſomnium in mentem venerit. Auguſtinus tranſtulit; redde preces tuas altiſſimo. Quòd ſi id feciſſet Lutherus, vel quiſpiam alius, quibus boatibus cœlum & terram impleuiſſet.* Si eo animo, quo Auguſtinus, feciſſet Lutherus, nullam omninò reprehenſionem mereretur. In Græco vox εὐχὰς eſt, quæ & preces ſignificat: ità ergo legit Auguſtinus, nec tamen hac lectione vota, ſeu promiſſiones ſacras excluſit; eſt enim quædam precum ſpecies, ſacris verbis Deo aliquid promittere. Et de talibus precibus Dauidem locutum eſſe, indicium eſt verbum, *redde:* quod enim precabundi Deo promittunt, reddant fideliter neceſſe eſt. Et de his votiuis precibus, ſeu ſacris promiſſionibus Dauidis dictum; in ſua interpretatione Auguſtinum accipere, manifeſtum eſt ex alterius planè ſimillimi Dauidici loci apud Auguſtinum expoſitione. Vti enim Dauid Pſal. 49. ait: ἀπόδος τῷ ὑψίστῳ τὰς εὐχάς σου. *Redde altiſſimo vota tua,* ſiue *preces tuas*; ità Pſ. 75. penè iiſdem verbis dicit; εὔξασθε καὶ ἀπόδοτε κυρίῳ τῷ Θεῷ ὑμῶν. *Vouete & reddite Domino Deo veſtro.* Audiamus verò, de qua precum ſeu votorum redditione Auguſtinus hunc locum exponat. *Quid debemus,* inquit, *vouere? Credere in illum, ſperare ab illo vitam æternam, benè viuere ſecundùm communem modum. Eſt enim quidam modus communis omnibus, furtum non facere: non nubere caſtimoniali præcipitur, &* In Pſ. 75.

nuptæ

nuptæ non præcipitur: adulterium non facere omnibus præcipitur. Non amare vinolentiam omnibus æqualiter præcipitur. Non ſuperbire omnibus æqualiter præcipitur. Non hominem occidere, non odiſſe fratrem, non aduerſùs aliquem tenere perniciem omnibus in communi præcipitur. Hoc totum omnes vouere debemus. Hæc Auguſtinus, de voto communi, maximeq; neceſſario parendi diuinis mandatis. Ne verò Fabricius putet de hoc ſolo Dauidem accipiendum eſſe cum Luthero, & à ſe rectè inſipientiæ eum inſimulari, qui Dauidi aliquid de votis Monachorum in mentem veniſſe exiſtimat, ità pergit Auguſtinus in Dauidem commentari. *Sunt etiam vota propria ſingulorum, alius vouet Deo caſtitatem coniugalem, vt præter vxorem ſuam non nouerit aliam: ſic & fœmina, vt præter virum ſuum non nouerit alium: alij etiam, uouent, etſi experti tale coniugium, vltrà nihil tale pati, nihil tale concupiſcere àut ſuſtinere: & ipſi vouerunt aliquid maius quàm illi. Alij virginitatem ipſam ab ineunte ætate vouent, vt nihil tale vel experiantur, quale illi experti ſunt, & reliquerunt; & iſti vouerunt plurimum. Alij vouent domum ſuam eſſe hoſpitalem omnibus ſanctis aduenientibus, magnum votum vouent. Alius vouet relinquere omnia ſua diſtribuendo pauperibus, & ire in communem vitam in ſocietatem ſanctorum, magnum votum vouit. Vouete & reddite Domino Deo veſtro. Quiſq; quod vouere voluerit, voueat: illud attendat, vt quod vouerit, reddat. Vnuſquiſq; Deo, quod vouet, ſi reſpicit retrorſum, malum eſt.* I nunc, naſute Præco, & ſi audes, mirare Auguſtini inſipientiam, quòd Dauidem ad reddendas Deo

εὐχὰς

Digitized by Google

εὐχὰς hortantem, etiam de Paupertatis Caſtitatisq; monaſticis votis intelligat. Dic, ſi lubet, etiam Chryſoſtomum deſipere, cùm in illud, *redde altiſſimo vota tua*, ſic de precibus philoſophatur. *Hic dicit ſupplicationes, ſuadens, vt in oratione aſſiduè perſeueremus, & quæ profeſſi fuerimus, cum celeritate reddamus. Pulchrè antè dixit, redde. Poſt promiſſionem enim efficitur debitum. Ita etiam Anna reddidit filium, vt debitum maximum. Tu ergo, ſiue promittas eleemoſynam, ſiue vitam pudicam, ſiue aliquid aliud tale, ad id ſoluendum feſtina.* Ergo & Chryſoſtomus Dauidem de orationibus ijs, quibus Deo bonum aliquod inſigne, quale quale iſtud ſit, promittitur, locutum eſſe docet. Quis credat Lutherum & Fabricium præ Auguſtino & Chryſoſtomo in mente Pſaltis regij peruidenda ſapere? Fallax ergo eſt, falſaq; Lutheri aduerſùs ſacra vota margini allita interpretatio, vanaque Prædicantium excuſatio. Quòd verò Fabricius deſperabundus ad inſanam vindictam confugit, & vulgatam editionem de quatuor verſiculis trium pſalmorum corruptè verſis calumnioſè lacerat, quia pridem eadem conuitia à Caluino in vulgatam iacta, Bellarminus, & nuper à Prædicantium grege repetita Gretſerus abundè confutauit, actum agere, operæ pretium non putaui.

In pſ. 49.

Bellar. l. 2. de ver. Dei c. 13. Gretſer. Tom. 1. defenſ. Bell. l. 2. c. 13.

Pergo ad alia Lutheranæ corruptelæ exempla.

Digitized by Google

Vana & fœda mulieroſorum Prædicantium commenta ſuper ſecundo & tertio deprauatæ ſcripturæ exemplo. § 11.

SEcundò igitur carpſi hanc ſacri Prouerbii, *Mulierem fortem quis inueniet?* à Luthero rythmis Germanicis traditam nouam expoſitionem; *Nihil eſt in terris charius amore mulierum, ſi quis eo potiri queat.* Fabricius ait, iniquè Lutherum à me reprehendi, *quòd dicat, mulierem, cum qua piè viuitur, magnum eſſe homini ſolatium:* quare ioculò exclamat; *Heu, Deus bone, quantum peccatũ!* ego verò ſeriò; quantum hoc, Deus bone, Fabricij mendacium? Quàm diſſimilia dicta? *Nihil in terris charius eſt amore mulierum.* Et, *Mulier, cum qua piè viuitur, magnum eſt homini ſolatium.* Illud, non hoc Lutheri eſt; Illud, non hoc reprehendi. An idem ſunt, amor mulierũ, & pia vita cum uxore? an idem, vxorem magnum eſſe ſolatium, & nihil charius mulieribus eſſe in terris? piam vxorem mariti magnum ſolatium eſſe, nemo negat; amore mulierum nihil in terris optatius chariuſque homini eſſe debere, non eſt hominis dicere. Quaſi verò corporum voluptas, quam & pecudes percipiunt, ſpiritus, mentiſque deliciis, quæ hominem maxime decent, potior chariorque habenda ſit? Epicuro ſummum bonum voluptas: Luthero amor mulierum in terris chariſſimus eſt. At Meiſnerus quid de hoc Epicureo gloſſemate?

Lo-

Digitized by Google

Loquitur, inquit, *ibi Lutherus de vero, licito, & matrimoniali amore, ſed impuri porci accipiunt de vaga libidine, quia coinquinatis nihil eſt mundum.* Crederem de vero licitoq; coniugum amore locutum, ſi verum licitumq; hominum Deo ſacratorum coniugium eſſet. Poſtquàm verò Lutherus hoc ampliſſimo dicto, etiam Sacerdotibus & Monachis nihil amore mulierum, ſi eo potiri poſſint, charius eſſe in terris debere docuit, doctrinamque hanc ſuam publico inceſtarum nuptiarum exemplo confirmare ſatìs non habuit, ſed inſuper etiam Chriſto raptam ſponſam ſedecim diebus ante nuptiale feſtum, vt ex illius confeſſione, imò longè pluribus, vt ex Eraſmi litteris de *nouæ nuptæ pauculis poſt decantatum Hymenæum diebus partu* conſtat, libidinoſiſſimè corrupit, non eſt, vt illum de vero licitoque coniugio tantùm locutum eſſe credam. Et verò de caſto connubij thalamo hæc ſolùm dixerit Lutherus, recténe vel ſic dicta ſunt? Annuit Meiſnerus. *De amore, inquit, & delicijs coniugum ipſe Salomon in Prouerbijs multa ſcripſit, vt cap. 5. v. 19. & c. 18. v. 22. quæ ſi in Luthero legerent, mox vt libidinoſum hominem, publicè ipſum proclamarent.* Nequaquam. Salomonis enim prouerbia pro ſanctis habemus, hoc Lutheri nimiùm illis eſt diſſimile. Ait Salomon; *Lætare cum muliere adoleſcentiæ tuæ: Cerua chariſſima, & gratiſſimus hinnulus, vbera eius inebrient te in tempore,*

Tom 2. Colloq latin. f. 18. & Tom. 9. Germ. VVittēb. f. 228. in lit. ad Ioan. Ruel. Eraſ. ad Danielē Mauch. lit. Baſil. datis. 6. d. Oct. A. 1525.

Prou. 5. 19.

in amore eius delectare iugiter. Cui verò iſta Sapiens? adultero, qui rupto nuptiali fædere cum aliena conſueuit: addit enim; *Quare ſeduceris, fili mi, ab aliena, & foueris in ſinu alterius?* Nimirum licitis caſti thori delicijs, perfidũ maritum ab impuris amoribus ad coniugalem fidem reuocat: non omni hominum generi cum Luthero amores, quibus in terris nihil ſit amabilius, ſuadet. Iterum ait; *Qui inuenit mulierem*
Prou. 28 22. *bonam, inuenit bonum, & hauriet iucunditatem à Domino:* An dixit: *bonum, quo nihil eſt in terris melius; iucunditatem, quæ poteſt in terris eſſe, maximam?* Ità vecors Lutherus, non vir ſapiens, quem quidem his locis, vti & illo, de muliere forti, parabolicè ſecundùm litteram de cœleſti ſapientia, diuinarumq; ſcripturarum ſcientia conſectanda egiſſe, multorum non tantùm Iudæorum; ſed & Chriſtianorum interpretum ſententia eſt. Et certè longè aliter, quàm Lutherum, de amore mulierum ſenſiſſe Sapientem, ex hoc illius prouerbio liquet; *Tria ſunt inſaturabilia, & quartum,*
Prou. 30 15. 16. *quod nunquam dicit, ſufficit. Infernus, & os vuluæ, & terra, quæ non ſatiatur aqua, ignis verò nunquam dicit, ſufficit.* Per os vuluæ amor mulieris indicatur; imo ità
Lib. 1. contra Iouin. Hieronymus legit; *Infernus & amor mulieris, & terra* &c. Et addit; *Non hic de meretrice, non de adultera dicitur, ſed amor mulieris generaliter accuſatur, qui ſemper inſatiabilis eſt, qui extinctus accenditur, & poſt copiam rurſum inops eſt, animúm-*
que

quæ virilem effœminat, & excepta paſſione, quam ſuſtinet, aliud non ſinit cogitare. Prætereo multa Sapientis teſtimonia, quæ eo loco S. Hieronymus aduerſus Virginitatis hoſtem Iouinianum, pro virginitate ſuprà nuptias amabili ac laudabili recitat. Verùm denique, quàm parùm Euangelici ſint rythmi illi, quos ab hoſpita ſua ſe didiciſſe, cùm Iſenaci litteris operam daret, alibi meminit Lutherus, diſcere à S. Paulo debuit, vt infelicem manum à conſpurcatione ſacri Codicis abſtineret. Quid enim? Anne Paulus quoq; nihil homini amabilius, optabiliuſque amore mulierum euenire poſſe cenſuit? *Bonum*, inquit ille, *eſt homini, mulierem non tangere. Dico non nuptis & viduis, bonum eſt illis, ſi ſic permaneant, ſicut & ego. Exiſtimo ergo hoc bonum eſſe propter inſtantem neceſſitatem; quoniam bonum eſt homini ſic eſſe. Qui matrimonio iungit Virginem ſuam, benè facit; qui non iungit, melius facit. Beatior erit, ſi ſic permanſerit, ſecundùm meum conſilium.* Quid hoc, niſi continentiam nuptijs meliorem beatioremq; eſſe? Et de coniugio quid? *Solutus es ab vxore, noli quærere vxorem. Si nupſerit virgo, non peccauit; tribulationem tamen carnis habebunt huiuſmodi. Tempus breue eſt; reliquum eſt, vt qui habent vxores, tanquam non habentes ſint.* Quid ab iſtis magis alienum, quàm hoc Lutheranum Epithalamium? *Nihil beatius eſt in terris amore mulierum.* Pudeat Lutherum cum hoſpita ſua, & Meiſnerum cum ſuo Luthero, tale contra claras Pauli ſententias carmen canere. Sed quid

In Colloq. de Matrim.

1 Cor. 7. v. 1. 8. 26. 32. 40.

Ibid. v. 27. 28.

Digitized by Google

illos huius pudeat, quando nec Lutherum, pro Sacerdotum nuptijs, aliud Pauli dictum turpiter corrumpere, nec Meiſnerum illam corruptelam turpiùs defendere puduit?

Tertium ergo deprauatæ ſcripturæ exemplũ
1. Cor. 9. 5. numeraui illius Paulini; *Nunquid non habemus poteſtatem mulierem ſororem circumducendi?* corruptam verſionẽ. Vt enim perſuaderet Paulum de propria vxore ad liberos ex ea tollendos circumducenda agere, reddidit; *Non habemus etiam poteſtatem ſororem in vxorem circumducendi, ſicut cæteri Apoſtoli, & fratres Domini, & Cephas? In vxorem,* non Pauli verbum, ſed Lutheri aſſumentum eſt. De ſorore muliere, hoc eſt, matrona Chriſtiana, (nam & melioris ſexus Chriſtiani, ab Apoſtolis viri fratres ſæpè nominabantur) quæ Euangelium prædicanti victum ſubminiſtret; non de vxore, vt thori Apoſtolici ſocia ſit, peregrè ducenda, loquitur Apoſtolus. Patres ità interpretantur. Et audet Lutherus contra manifeſtum contextum Apoſtoli, & Patrum communem ſenſum, Paulo affingere, quòd dixerit, Apoſtolos vxores ſecum, ne ſolitarium thorum paterentur, circumduxiſſe? Fabricius hîc, aliàs tam gnauiter impudens in Luthero defendendo, quód mirêre, tacet. Pudori, an incuriæ illius hoc ſilentium tribuam, ambigo. Sed Meiſnerus Lutherum acutiſſimè, ſcilicet, his verbis tuetur. *Loquitur Paulus de continua vnius mulieris cir-*

cum-

Digitized by Google

cumductione, quæ vel fuit concubina, vel vxor legitima. Prius cùm abſurdum ſit, poſterius verum erit. Et cùm exemplum Petri alleget, dubitari nequit, quòd de vxoribus Apoſtolorum loquatur. Petrum enim fuiſſe vxoratum conſtat ex Matthæi 8. verſ. 14. & idem de Philippo Euſebius & Nicephorus ex Clemente referunt. Argumentum multis ſibilis dignum: tot in illo penè errores numero, quot verba. Primùm enim circumductionis quidem meminit Paulus, at *continuæ* ne verbo quidem: quaſi verò Apoſtoli omnium itinerum ſuorum perpetuas, atque indiuulſas comites fœminas habuerint, & ſemper illo ſexu, ſicut Prædicantes, ſtipati fuerint. Nec deinde de vna aliqua certa muliere, vt Meiſnerus ſomniat, Paulus loquitur; nullo enim articulo ad certas perſonas ſignificandas adhiberi ſueto vtitur: & credibile eſt, pro regionum locorumque varietate, quæ peragrarunt Apoſtoli, alias alibi pias Matronas victus adminiſtras habuiſſe. Quàm prætereà inſulſum ſtolidumque illud dilemma eſt, ſi Apoſtoli vnam aliquam mulierem continuò circumduxêre, (hoc enim iam ex ſuperfluo concedamus Prædicanti) eam vel concubinam, vel coniugem Apoſtolorum eſſe debuiſſe? quaſi verò nemo fœminam itineris, niſi etiam thori ſociam, habere poſſit? quaſi vir cum fœmina longiùs peregrinari ſine concubitu non queat? Ergo Prædicantes, ſine

ſua

ſua Iunone cum alia quapiam fæmina longius iter facientes viæ comitem concubinam habent? Ità Meiſnerus colligit; non credam Prædicanti? Ergo Magdalena, Ioanna, Suſanna, aliæq; multæ, Chriſtum & Apoſtolos per Ciuitates & caſtella comitatæ Chriſti & Apoſtolorum concubinæ, aut vxores fuerunt? Propudium hominis, quò tuus te rapit cornutus aries? Deniq; quàm futile illud, quòd ex Petri exemplo propoſito indubitatum faciat Meiſnerus, ſermonem Paulo de vxoribus Apoſtolorum eſſe? Habuit Petrus vxorem, habuerint Philippus, & alij quidam ex Apoſtolis: Certè quas antequam Apoſtoli eſſent, habuerunt, Apoſtoli reliquerunt. *Habuerunt*, inquit Hieronymus, *vxores, ſed quas eo tempore acceperunt, quo Euangelium neſciebant: Qui aſſumpti poſteà in Apoſtolatum, reliquerunt officium coniugale. Nam cùm Petrus ex perſona Apoſtolorum dicit ad Dominum: Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te: reſpõdit ei Dominus, Amen dico vobis, quoniam nemo eſt, qui dimiſerit domũ, aut parẽtes, aut fratres, aut vxorem, aut filios propter regnum Dei, qui non recipiat multò plura in ſæculo iſto, & in ſæculo futuro vitam æternã.* Audis, Meiſnere, Apoſtolos, ſi qui vxores habuerunt, ex clara Petri confeſſione, Chriſtiq; approbatione, reliquiſſe illas, cùm in Chriſti ſe diſciplinam tradiderunt? Sed audi porrò tuam tuique Lutheri corruptam de Apoſtolorum vxoribus, & Pauli verbis, interpretationem à S. Hieronymo in Iouiniano ante-

Luc.8.3.

l.1. cont. Iouin.

Matt.19 27.29.

l.1. in Iouin. ibid.

Digitized by Google

anteceſſore veſtro confoſſam. *Si autem nobis illud oppoſuerit ad probandum, quòd omnes Apoſtoli vxores habuerint,* Nunquid non habemus poteſtatem mulieres, vel vxores circumducendi (*quia γυνὴ apud Græcos vtrumq; ſignificat*) ſicut cæteri Apoſtoli, & Cephas, & fratres Domini: *iungat & illud, quod in Græcis codicibus eſt.* Nunquid non habemus poteſtatem ſorores mulieres, vel vxores circumducendi? *Ex quo apparet eum de alijs ſanctis dixiſſe mulieribus, quæ iuxta morem Iudaicum Magiſtris de ſua ſubſtantia miniſtrabant, ſicut legimus ipſi quoque Domino factitatum.* Luc. 8. *Nam & ordo verborum hoc ſignificat:* Nunquid non habemus poteſtatem manducandi & bibendi, aut ſorores mulieres circumducendi? *Vbi de comedendo & bibendo, ac de adminiſtratione ſumptuum præmittitur, & de mulieribus ſororibus infertur, perſpicuum eſt, non vxores debere intelligi, ſed eas, vt diximus, quæ de ſua ſubſtantia miniſtrabant: quod & in veteri lege de Sunamitide illa ſcribitur, quæ ſolita ſit Eliſæum recipere, & ponere ei menſam, & panem, & candelabrum &c. Aut certè, ſi γυναῖκας vxores accipimus, non mulieres: id quod additur,* ſorores, *tollit vxores: & oſtendit eas germanas in Spiritu fuiſſe, non coniuges: Quanquam excepto Apoſtolo Petro, non ſit manifeſtè relatum de alijs Apoſtolis, quòd vxores habuerint: & cùm de vno ſcriptum ſit, ac de cæteris tacitum, intelligere debemus, ſine vxoribus eos fuiſſe, de quibus nihil tale ſcriptura ſignificet.* Quanta ergo impudentia Meiſneri fuit, dicere? *Dubitari nequit, quòd Apoſtolus de vxoribus Apoſtolorum loquatur.* Imò ex ſacris litteris, excepto

Digitized by Google

De bono viduit. c. 8. *fidem irritam fecerunt, id eſt,* inquit Auguſtinus, *voluntatem ad nuptias à propoſito continentiæ deflexerunt. Irritam quippe fecerunt fidem, qua prius vouerunt, quod perſeuerantia implere noluerunt.* Illis ergo licitæ vtileſque nuptiæ ſunt ob metum incontinentiæ Pauli conſilio, qui nulla Caſtitatis promiſſione Deo ſe obſtrinxerunt. Ità Patres Pauli verba accipiunt. Auguſtinus. *Illis, quæ*
l. 1. de adult. coniug. c. 15 *ſe non continent, expedit nubere, & quod licet, expedit. Quæ autem vouerint continentiam, nec licet, nec expedit.* Ambroſius.
Ad virg. lapſam c. 5. *Dicit aliquis: Melius eſt nubere, quàm vri. Hoc dictum ad non pollicitam pertinet; ad nondum velatam. Cæterùm quæ ſe ſpopondit Chriſto, & ſanctum velamen accepit, iam nupſit: iam immortali iuncta eſt viro. Et iam ſi voluerit nubere communi lege coniugij, adulterium perpetrat, ancilla mortis efficitur.* Hierony-
l. 1. cont. Iouin. mus. *Si nupſerit Virgo, non peccauit. Non illa Virgo, quæ ſemel Dei cultui dedicauit. Harum enim, ſi qua nupſerit, habebit damnationem, quia primam fidem irritam fecit. Si autem hoc de uiduis dictum obiecerit, quanto magìs de Virginibus præualebit: cùm etiam his non liceat, quibus aliquando licuit? Virgines enim, quæ poſt conſecrationem nupſerint, non tam adulteræ ſunt, quàm inceſtæ.* Poſſem Chryſoſtomum, Epiphanium, Theodoretum, alios addere; ſed iſti tres viri ſatis credo Lutheri, Fabricij, ſimiliumque Apoſtatarum turpem perfidiam, quaſi diuini mandati ex Pauli litteris deprompti colore mendaciſſimè fucatam detegunt. Necdum autem tacet Fabricius, ſed hac demùm calumniâ finit Lutheri

ri excuſationem. *Miror inſipientiam hominis, quaſi verò tunc aliquid de votis Monachorum Dauid per ſomnium in mentem venerit. Auguſtinus tranſtulit; redde preces tuas altiſſimo. Quòd ſi id feciſſet Lutherus, vel quiſpiam alius, quibus boatibus cœlum & terram impleuiſſet.* Si eo animo, quo Auguſtinus, feciſſet Lutherus, nullam omninò reprehenſionem mereretur. In Græco vox εὐχὰς eſt, quæ & preces ſignificat: ità ergo legit Auguſtinus, nec tamen hac lectione vota, ſeu promiſſiones ſacras excluſit; eſt enim quædam precum ſpecies, ſacris verbis Deo aliquid promittere. Et de talibus precibus Dauidem locutum eſſe, indicium eſt verbum, *redde:* quod enim precabundi Deo promittunt, reddant fideliter neceſſe eſt. Et de his votiuis precibus, ſeu ſacris promiſſionibus Dauidis dictum; in ſua interpretatione Auguſtinum accipere, manifeſtum eſt ex alterius planè ſimillimi Dauidici loci apud Auguſtinum expoſitione. Vti enim Dauid Pſal. 49. ait: ἀπόδος τῷ ὑψίστῳ τὰς εὐχάς σου. *Redde altiſſimo vota tua,* ſiue *preces tuas*; ità Pſ. 75. penè iiſdem verbis dicit; εὔξασθε καὶ ἀπόδοτε κυρίῳ τῷ Θεῷ ὑμῶν. *Vouete & reddite Domino Deo veſtro.* Audiamus verò, de qua precum ſeu votorum redditione Auguſtinus hunc locum exponat. *Quid debemus,* inquit, *vouere? Credere in illum, ſperare ab illo vitam æternam, benè viuere ſecundùm communem modum. Eſt enim quidam modus communis omnibus, furtum non facere: non nubere caſtimoniali præcipitur, &* In Pſ. 51.

nuptæ

nuptæ non præcipitur: adulterium non facere omnibus præcipitur. Non amare vinolentiam omnibus æqualiter præcipitur. Non ſuperbire omnibus æqualiter præcipitur. Non hominem occidere, non odiſſe fratrem, non aduerſus aliquem tenere perniciem omnibus in communi præcipitur. Hoc totum omnes vouere debemus. Hæc Auguſtinus, de voto communi, maximeq; neceſſario parendi diuinis mandatis. Ne verò Fabricius putet de hoc ſolo Dauidem accipiendum eſſe cum Luthero, & à ſe rectè inſipientiæ eum inſimulari, qui Dauidi aliquid de votis Monachorum in mentem veniſſe exiſtimat, ità pergit Auguſtinus in Dauidem commentari. *Sunt etiam vota propria ſingulorum, alius vouet Deo caſtitatem coniugalem, vt præter vxorem ſuam non nouerit aliam: ſic & fœmina, vt præter virum ſuum non nouerit alium: alij etiam, uouent, etſi experti tale coniugium, vltrà nihil tale pati, nihil tale concupiſcere aut ſuſtinere: & ipſi vouerunt aliquid maius quàm illi. Alij virginitatem ipſam ab ineunte ætate vouent, vt nihil tale vel experiantur, quale illi experti ſunt, & reliquerunt; & iſti vouerunt plurimum. Alij vouent domum ſuam eſſe hoſpitalem omnibus ſanctis aduenientibus, magnum votum vouent. Alius vouet relinquere omnia ſua diſtribuendo pauperibus, & ire in communem vitam in ſocietatem ſanctorum, magnum votum vouit. Vouete & reddite Domino Deo veſtro. Quiſq; quod vouere voluerit, voueat: illud attendat, vt quod vouerit, reddat. Vnuſquiſq; Deo, quod vouet, ſi reſpicit retrorſum, malum eſt.* I nunc, naſute Præco, & ſi audes, mirare Auguſtini inſipientiam, quòd Dauidem ad reddendas Deo

εὐχὰς

εὐχὰς hortantem, etiam de Paupertatis Caſtitatisq́; monaſticis votis intelligat. Dic, ſi lubet, etiam Chryſoſtomum deſipere, cùm in illud, *redde altiſſimo vota tua*, ſic de precibus philoſophatur. *Hic dicit ſupplicationes, ſuadens, vt in oratione aſſiduè perſeueremus, & quæ profeſſi fuerimus, cum celeritate reddamus. Pulchrè antè dixit, redde. Poſt promiſſionem enim efficitur debitum. Ità etiam Anna reddidit filium, vt debitum maximum. Tu ergo, ſiue promittas eleemoſynam, ſiue vitam pudicam, ſiue aliquid aliud tale, ad id ſoluendum feſtina.* Ergo & Chryſoſtomus Dauidem de orationibus ijs, quibus Deo bonum aliquod inſigne, quale quale iſtud ſit, promittitur, locutum eſſe docet. Quis credat Lutherum & Fabricium præ Auguſtino & Chryſoſtomo in mente Pſaltis regij peruidenda ſapere? Fallax ergo eſt, falſaq́; Lutheri aduerſùs ſacra vota margini allita interpretatio, vanaq́ue Prædicantium excuſatio. Quòd verò Fabricius deſperabundus ad inſanam vindictam confugit, & vulgatam editionem de quatuor verſiculis trium pſalmorum corruptè verſis calumnioſè lacerat, quia pridem eadem conuitia à Caluino in vulgatam iacta, Bellarminus, & nuper à Prædicantium grege repetita Gretſerus abundè confutauit, actum agere, operæ pretium non putaui.

In pſ. 49.

Bellar. l. 2. de ver. Dei c. 13. Gretſer. Tom. 1. defenſ. Bell. l. 2. c. 13.

Pergo ad alia Lutheranæ corruptelæ exempla.

Digitized by Google

Vana & fœda mulieroſorum Prædicantium commenta ſuper ſecundo & tertio deprauatæ ſcripturæ exemplo. § II.

SEcundò igitur carpſi hanc ſacri Prouerbii, *Mulierem fortem quis inueniet?* à Luthero rythmis Germanicis traditam nouam expoſitionem; *Nihil eſt in terris charius amore mulierum, ſi quis eo potiri queat.* Fabricius ait, iniquè Lutherum à me reprehendi, *quòd dicat, mulierem, cum qua piè viuitur, magnum eſſe homini ſolatium:* quare ioculò exclamat; *Heu, Deus bone, quantum peccatũ!* ego verò ſeriò; quantum hoc, Deus bone, Fabricij mendacium? Quàm diſſimilia dicta? *Nihil in terris charius eſt amore mulierum.* Et, *Mulier, cum qua piè viuitur, magnum eſt homini ſolatium.* Illud, non hoc Lutheri eſt; Illud, non hoc reprehendi. An idem ſunt, amor mulierũ, & pia vita cum uxore? an idem, vxorem magnum eſſe ſolatium, & nihil charius mulieribus eſſe in terris? piam vxorem mariti magnum ſolatium eſſe, nemo negat; amore mulierum nihil in terris optatius chariuſque homini eſſe debere, non eſt hominis dicere. Quaſi verò corporum voluptas, quam & pecudes percipiunt, ſpiritus, mentiſque deliciis, quæ hominem maxime decent, potior chariorque habenda ſit? Epicuro ſummum bonum voluptas: Luthero amor mulierum in terris chariſſimus eſt. At Meiſnerus quid de hoc Epicureo gloſſemate?

Lo-

Digitized by Google

Loquitur, inquit, *ibi Lutherus de vero, licito, & matrimoniali amore, ſed impuri porci accipiunt de vaga libidine, quia coinquinatis nihil eſt mundum.* Crederem de vero licitóq; coniugum amore locutum, ſi verum licitumq́; hominum Deo ſacratorum coniugium eſſet. Poſtquàm verò Lutherus hoc ampliſſimo dicto, etiam Sacerdotibus & Monachis nihil amore mulierum, ſi eo potiri poſſint, charius eſſe in terris debere docuit, doctrinamq́ue hanc ſuam publico inceſtarum nuptiarum exemplo confirmare ſatis non habuit, ſed inſuper etiam Chriſto raptam ſponſam ſedecim diebus ante nuptiale feſtum, vt ex illius confeſſione, imò longè pluribus, vt ex Eraſmi litteris de *nouæ nuptæ pauculis poſt decantatum Hymenæum diebus partu* conſtat, libidinoſiſſimè corrupit, non eſt, vt illum de vero licitoque coniugio tantùm locutum eſſe credam. Et verò de caſto connubij thalamo hæc ſolùm dixerit Lutherus, rectène vel ſic dicta ſunt? Annuit Meiſnerus. *De amore, inquit, & delicijs coniugum ipſe Salomon in Prouerbijs multa ſcripſit, vt cap. 5. v. 19. & c. 18. v. 22. quæ ſi in Luthero legerent, mox vt libidinoſum hominem, publicè ipſum proclamarent.* Nequaquam. Salomonis enim prouerbia pro ſanctis habemus, hoc Lutheri nimiùm illis eſt diſſimile. Ait Salomon; *Lætare cum muliere adoleſcentiæ tuæ: Cerua chariſſima, & gratiſſimus hinnulus, vbera eius inebrient te in tempore,*

Tom 2. Colloq latin. f. 18. & Tom. 9. Germ. VVittēb. f. 228. in lit. ad Ioan. Ruel. Eraſ. ad Daniele Mauch. lit. Baſil. datis 6. d. Oct. A. 1525.

Prou. 5. 19.

in amore eius delectare iugiter. Cui verò iſta Sapiens? adultero, qui rupto nuptiali fædere cum aliena conſueuit: addit enim; *Quare ſeduceris, fili mi, ab aliena, & foueris in ſinu alterius?* Nimirum licitis caſti thori delicijs, perfidū maritum ab impuris amoribus ad coniugalem fidem reuocat: non omni hominum generi cum Luthero amores, quibus in terris nihil ſit amabilius, ſuadet. Iterum ait; *Qui inuenit mulierem*
Prou. 28 22. *bonam, inuenit bonum, & hauriet iucunditatem à Domino:* An dixit: *bonum, quo nihil eſt in terris melius; iucunditatem, quæ poteſt in terris eſſe, maximam?* Ità vecors Lutherus, non vir ſapiens, quem quidem his locis, vti & illo, de muliere forti, parabolicè ſecundùm litteram de cœleſti ſapientia, diuinarumq; ſcripturarum ſcientia conſectanda egiſſe, multorum non tantùm Iudæorum; ſed & Chriſtianorum interpretum ſententia eſt. Et certè longè aliter, quàm Lutherum, de amore mulierum ſenſiſſe Sapientem, ex hoc illius prouerbio liquet; *Tria ſunt inſaturabilia, & quartum,*
Prou. 30 15. 16. *quod nunquam dicit, ſufficit. Infernus, & os vuluæ, & terra, quæ non ſatiatur aqua, ignis verò nunquam dicit, ſufficit.* Per os vuluæ amor mulieris indicatur; imo ità
Lib. 1. contra Iouin. Hieronymus legit; *Infernus & amor mulieris, & terra &c.* Et addit; *Non hic de meretrice, non de adultera dicitur, ſed amor mulieris generaliter accuſatur, qui ſemper inſatiabilis eſt, qui extinctus accenditur, & poſt copiam rurſum inops eſt, animúmque*

Digitized by Google

quæ virilem effœminat, & excepta paßione, quam ſuſtinet, aliud non ſinit cogitare. Prætereo multa Sapientis teſtimonia, quæ eo loco S. Hieronymus aduerſus Virginitatis hoſtem Iouinianum, pro virginitate ſuprà nuptias amabili ac laudabili recitat. Verùm denique, quàm parùm Euangelici ſint rythmi illi, quos ab hoſpita ſua ſe didiciſſe, cùm Iſenaci litteris operam daret, alibi meminit Lutherus, diſcere à S. Paulo debuit, vt infelicem manum à conſpurcatione ſacri Codicis abſtineret. Quid enim? Anne Paulus quoq; nihil homini amabilius, optabiliuſque amore mulierum euenire poſſe cenſuit? *Bonum,* inquit ille, *eſt homini, mulierem non tangere. Dico non nuptis & viduis, bonum eſt illis, ſi ſic permaneant, ſicut & ego. Exiſtimo ergo hoc bonum eſſe propter inſtantem neceßitatem; quoniam bonum eſt homini ſic eſſe. Qui matrimonio iungit Virginem ſuam, benè facit; qui non iungit, meliùs facit. Beatior erit, ſi ſic permanſerit, ſecundùm meum conſilium.* Quid hoc, niſi continentiam nuptijs meliorem beatioremq; eſſe? Et de coniugio quid? *Solutus es ab vxore, noli quærere vxorem. Si nupſerit virgo, non peccauit; tribulationem tamen carnis habebunt huiuſmodi. Tempus breue eſt; reliquum eſt, vt qui habent vxores, tanquam non habentes ſint.* Quid ab iſtis magis alienum, quàm hoc Lutheranum Epithalamium? *Nihil beatius eſt in terris amore mulierum.* Pudeat Lutherum cum hoſpita ſua, & Meiſnerum cum ſuo Luthero, tale contra claras Pauli ſententias carmen canere. Sed quid

In Colloq. de Matrim.

1 Cor. 7. v. 1. 8. 26. 32. 40.

Ibid. v. 27. 28.

illos huius pudeat, quando nec Lutherum, pro Sacerdotum nuptijs, aliud Pauli dictum turpiter corrumpere, nec Meiſnerum illam corruptelam turpiùs defendere puduit?

1. Cor. 9. 5. Tertium ergo deprauatæ ſcripturæ exemplũ numeraui illius Paulini; *Nunquid non habemus poteſtatem mulierem ſororem circumducendi?* corruptam verſionẽ. Vt enim perſuaderet Paulum de propria vxore ad liberos ex ea tollendos circumducenda agere, reddidit; *Non habemus etiam poteſtatem ſororem in vxorem circumducendi, ſicut cæteri Apoſtoli, & fratres Domini, & Cephas? In vxorem,* non Pauli verbum, ſed Lutheri aſſumentum eſt. De ſorore muliere, hoc eſt, matrona Chriſtiana, (nam & melioris ſexus Chriſtiani, ab Apoſtolis viri fratres ſæpè nominabantur) quæ Euangelium prædicanti victum ſubminiſtret; non de vxore, vt thori Apoſtolici ſocia ſit, peregrè ducenda, loquitur Apoſtolus. Patres ità interpretantur. Et audet Lutherus contra manifeſtum contextum Apoſtoli, & Patrum communem ſenſum, Paulo affingere, quòd dixerit, Apoſtolos vxores ſecum, ne ſolitarium thorum paterentur, circumduxiſſe? Fabricius hìc, aliàs tam gnauiter impudens in Luthero defendendo, quòd mirère, tacet. Pudori, an incuriæ illius hoc ſilentium tribuam, ambigo. Sed Meiſnerus Lutherum acutiſſimè, ſcilicet, his verbis tuetur. *Loquitur Paulus de continua vnius mulieris circum-*

cumductione, quæ vel fuit concubina, vel vxor legitima. Prius cùm abſurdum ſit, poſterius verum erit. Et cùm exemplum Petri alleget, dubitari nequit, quòd de vxoribus Apoſtolorum loquatur. Petrum enim fuiſſe vxoratum conſtat ex Matthæi 8. verſ. 14. & idem de Philippo Euſebius & Nicephorus ex Clemente referunt. Argumentum multis ſibilis dignum: tot in illo penè errores numero, quot verba. Primùm enim circumductionis quidem meminit Paulus, at *continuæ* ne verbo quidem: quaſi verò Apoſtoli omnium itinerum ſuorum perpetuas, atque indiuulſas comites fœminas habuerint, & ſemper illo ſexu, ſicut Prædicantes, ſtipati fuerint. Nec deinde de vna aliqua certa muliere, vt Meiſnerus ſomniat, Paulus loquitur; nullo enim articulo ad certas perſonas ſignificandas adhiberi ſueto vtitur: & credibile eſt, pro regionum locorumque varietate, quæ peragrarunt Apoſtoli, alias alibi pias Matronas victus adminiſtras habuiſſe. Quàm præterea inſulſum ſtolidumque illud dilemma eſt, ſi Apoſtoli vnam aliquam mulierem continuò circumduxêre, (hoc enim iam ex ſuperfluo concedamus Prædicanti) eam vel concubinam, vel coniugem Apoſtolorum eſſe debuiſſe? quaſi verò nemo fœminam itineris, niſi etiam thori ſociam, habere poſſit? quaſi vir cum fœmina longiùs peregrinari ſine concubitu non queat? Ergo Prædicantes, ſine ſua

anteceſſore veſtro confoſſam. *Si autem nobis illud oppoſuerit ad probandum, quòd omnes Apoſtoli vxores habuerint,* Nunquid non habemus poteſtatem mulieres, vel vxores circumducendi (*quia γυνὴ apud Græcos vtrumq; ſignificat*) ſicut cæteri Apoſtoli, & Cephas, & fratres Domini: *iungat & illud, quod in Græcis codicibus eſt.* Nunquid non habemus poteſtatem ſorores mulieres, vel vxores circumducendi? *Ex quo apparet eum de alijs ſanctis dixiſſe mulieribus, quæ iuxta morem Iudaicum Magiſtris de ſua ſubſtantia miniſtrabant, ſicut legimus ipſi quoque Domino factitatum.* Luc. 8. *Nam & ordo verborum hoc ſignificat:* Nunquid non habemus poteſtatem manducandi & bibendi, aut ſorores mulieres circumducendi? *Vbi de comedendo & bibendo, ac de adminiſtratione ſumptuum præmittitur, & de mulieribus ſororibus infertur, perſpicuum eſt, non vxores debere intelligi, ſed eas, vt diximus, quæ de ſua ſubſtantia miniſtrabant: quod & in veteri lege de Sunamitide illa ſcribitur, quæ ſolita ſit Eliſæum recipere, & ponere ei menſam, & panem, & candelabrum &c. Aut certè, ſi γυναῖκας vxores accipimus, non mulieres: id quod additur,* ſorores, *tollit vxores: & oſtendit eas germanas in Spiritu fuiſſe, non coniuges: Quanquam excepto Apoſtolo Petro, non ſit manifeſtè relatum de alijs Apoſtolis, quòd vxores habuerint: & cùm de vno ſcriptum ſit, ac de cæteris tacitum, intelligere debemus, ſine vxoribus eos fuiſſe, de quibus nihil tale ſcriptura ſignificet.* Quanta ergo impudentia Meiſneri fuit, dicere? *Dubitari nequit, quòd Apoſtolus de vxoribus Apoſtolorum loquatur.* Imò ex ſacris litteris, excepto

Digitized by Google

Petro, de alterius Apoſtoli vxore manifeſtum nihil eſt, &, ſi tamen aliquis alius habuit, ex earundem aperto teſtimonio Chriſtum ſecutus eam dimiſit. Ex ipſo quoq; Paulo, ſiue ad alimentorum comparationem, de qua tractat, ſiue ad ſororis vocabulũ, quo vtitur, attendas, *perſpicuum eſt*, inquit Hieronymus, *non vxores, ſed mulieres de ſua ſubſtantia miniſtrantes, debere intelligi.* Et denique ſi vxores intelligantur non vxorum, ſed ſororum loco caſtiſſimè habitas eſſe, apertè à Paulo inſinuatur. Vnus Clemens Alexandrinus de vxore accipit, ſed quæ ſororis, non coniugis inſtar habita ſit. Reliqui Patres, de ſanctis matronis, & liberalibus Apoſtolorum altricibus locum intelligunt; Paulum enim fuiſſe, manſiſſeque Virginem, primæ ab ipſo ad Corinthios datæ litteræ manifeſtiſſimè docent: Non enim viduis tantùm, ſed non nuptis quoque dicit, *bonum eſt illis ſi ſic permaneant, ſicut & ego.* Lutherus verò garrit ſolus de vxore ad officium cum illa coniugale colendum circumducenda aduerſus Pauli ſcopum, & omnium Patrum expoſitionem: & cùm, ſi quidem libuit de vxore locum interpretari, vertere debuiſſet, *Nónne habemus poteſtatem vxorem in ſororem circumducendi*, inaudita & perquam abſurda phraſi vertit, *ſororem in vxorem circumducendi.* Et Meiſnerus ad tuendam hanc Magiſtri verſionem, quod longè abſurdius eſt, addit, niſi ſorores in vxores circum-

2. Strom.

1. Cor. 7. 8.

circumductæ eſſent ab Apoſtolis, in concubinas neceſſariò circumduci debuiſſe. O pudenda capita. Putant Apoſtolos cum fœminis ire ſine coitu non potuiſſe *Quiſquis putat*, inquit Auguſtinus, *non potuiſſe ab Apoſtolis fieri, vt cum eis ſanctæ conuerſationis mulieres circumirent, quacunque Euangelium prædicabant, vt eis de ſua ſubſtantia miniſtrarent neceſſaria, Euangelium audiant, & cognoſcant, quemadmodum hoc ipſius Domini exemplo faciebant. Dominus enim noſter & mulieres voluit, vt ſe ad præparanda & miniſtranda neceſſaria ſequerentur.* Habes, Prædicans, vt antè ex Hieronymo, ità nunc ex Auguſtino, quomodo Apoſtoli fœminas, nec vt vxores, nec vt concubinas, ſed vt victus miniſtras exemplo ſui Magiſtri honeſtiſſimè circumducere potuerint; imò ſi libet, ex eodem Auguſtino diſce, quàm malè ex mulieris circumductione Apoſtolicam vxorem colligas: ità enim ille ante proximè recitata verba loquitur. *Quidam non intelligentes, non ſororem mulierem, ſed vxorem interpretati ſunt. Feſellit eos verbi Græci ambiguitas* (ſed noſtros Prædicantes, alioqui Græculos, mulierum amor.) *quòd & vxor, & mulier eodem verbo Græcè dicitur: Quanquam hoc ità poſuerit Apoſtolus, vt falli non debuerint, quia neque mulierem, tantummodò ait, ſed ſororem mulierem, neque ducendi, ſed circumducendi.* Vide, Meiſnere, quàm Lutheri verſio, & tua defenſio ex omnibus Apoſtoli verbis, *manducandi*, & *bibendi*, & *ſororis*, &

De opere Monach. c. 5. in initio.

Ibid. c. 4. in fine.

Digitized by Google

circumducendi, quo vltimo abuſus es, maximorum Patrum concordi ſententiâ damnetur.

Solam fidem à Luthero perfidè ſacris inſertam, impudentibus ſtrophis, & ineptis ratiunculis Prædicantes defendunt. §. III.

QVartum corruptæ ſcripturæ ſpecimen fuit, licentiſſima illa Lutheri adiectio, cùm verbis illis Pauli; *Arbitramur hominē iuſtificari per fidem*, de ſuo addidit, *ſolam*, vt errorem de ſola fide iuſtificante, cui omnes Catholici palàm reclamabāt, popello, tanquam clarè à S. Paulo aſſertum, imponeret. Quibus artibus hanc impoſturam excuſant Prædicantes? Fabricius orditur à calumnia, addit mendacium, finit alia impoſtura. *Hypocrita*, ait mihi, *eijce primùm trabem de oculo tuo.* Quam illam? Ad Rom. c. 4. v. 2. intruſit Pontifex, quod non reperit, ſcilicet vocabulum, *Legis*. Hoc quidem trabale mendacium, de Prædicantis calamo eiectum video. Nam in Bibliis noſtris loco citato, ità legitur; *Si Abraham ex operibus iuſtificatus eſt, habet gloriam, ſed non apud Deum.* Vbi intruſum, *Legis* vocabulum? Sed tamen etſi Pontifex hanc voculam intruſiſſet, propitius eſt cēſor Fabricius, ſcilicet vt Luthero quoq; veniam impetret. Ità enim pergit. *Si dicat* (Pontifex ſcilicet) *c. 3. vocabulum illud legi: Etiam dicimus ad* Gal. 2. 16. *haberi, per fidem ſolam. Hæc ſunt verba*; Homo non iuſtificabitur

Rom. 3. 28.

Rom. 4. 2.

tur, niſi per fidem. *Quod æquiualet huic, per fidem ſolam.* Meritò Pontificis, ſi, quod ei à Fabricio affingitur, feciſſet, excuſationem accipit Prædicans; affirmat enim Paulus expreſſè c. 3. v. 28. hominem iuſtificari ſine operibus legis: per hæc ipſa verò deinde initio capitis quarti negat iuſtificatum eſſe Abrahamum. Intelligitur hîc vox *legis*: & ſine fraude exprimeretur, quæ paulò antè expreſſa eſt. Peior eſt Lutheri cauſa, quàm vt ſimili purgatione iuſtè defendatur. Illa enim vocula, *ſolam*, non tantùm non in illis ijſdem litteris ad Romanos vſpiam, ſed nec in alijs ad Galatas loco nominato exprimitur. Noua hæc eſt Fabricij impoſtura. Epiſtolæ ad Galatas, quod Lutherus olim Epiſtolæ ad Romanos, imponit. Ità ſcilicet crimina defendunt Prædicantes, vt repetant & augeant. Tam falſum eſt ad Galatas, quàm ad Romanos verbis iſtis, *per ſolam fidem*, Paulum vti. At verò hominem nō iuſtificari, niſi per fidem, ait Paulus. Quid tum? *Niſi per fidem, æquiualet huic, per ſolam fidem.* In maleſano ſcilicet Fabricij cerebro. Dicam ego; Homo non viuit, niſi per reſpirationem: Fabricius colliget; ergo per ſolam reſpirationem. Dicam; Homo non reſpirat, niſi per arteriam aſperam: Fabricius inferet, ergo per illam ſolam ſine pulmone. Pudeat te, Prædicans talium affaniarum Sed Meiſnerus fortè craſſo iſto Fabro ſubtilior erit, in tuendo Lutherho. Primùm quidem accuſati-

Digitized by Google

onem hanc *futilis & vel millies protritæ cauillationis* conuitio excipit, tum verò rationibus ex ipſo Luthero petitis diluere aggreditur. Quales verò illæ? *Deſumptæ ſunt*, inquit, *ab officio interpretis, cuius eſt perſpicuè auctoris mentem exponere, ſiue fiat pluribus, ſiue paucioribus verbis.* Prima hæc & præclara ſcilicet ratio: quaſi clarè mentem auctoris corrumpere, ſit illam perſpicuè exponere: quaſi bonum interpretem deceat, ea verba apponere, quibus ſenſum à ſe vno, aliis omnibus contradicentibus, repertum demonſtrare poſſit. Hoc officium fecit Lutherus. Paulus fidei aduerſùs opera legis, non contra gratiæ & fidei opera iuſtificandi vim tribuit: Lutherus etiam opera gratiæ & fidei remouet, ac de ſola fide Paulum, qui apertè alibi fidem, *quæ per dilectionem*

Gal.5.6. *operatur*, ad iuſtitiam valere docet, interpretatur. Ergóne hoc eſt perſpicuè Paulum exponere de ſola fide, qui ſe tam dilucidè non de ſola fide locutum eſſe oſtendit? Ergo obſcuri interpretis officio functus eſt Iacobus Apoſtolus, cùm dixit.

Iac.2.24 *Ex operibus* (Gratiæ ſcilicet, non legis) *iuſtificari hominem, & non ex fide tantùm*? Certè Luthero Iacobi ſtraminea, & Prædicantibus Lutheri aurea eſt expoſitio. Nobis verò aureus interpres Iacobus, ſtramineus eſto Lutherus.

Sed alteram rationem Lutheranæ verſionis audiamus. Vnde illa ſumpta? *Ab exemplo ſcripturæ.*

Digitized by Google

ptura. *Deuteronom.* 6. *verſ.* 13. 14. *Matth.* 4. *verſ.* 10. Quid his locis dicitur? *Dominum DEum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies.* Hoc Moſes populo dicit in Deuteronomio, & Dominus aduerſùs Sathanam repetit in Euangelio. Ità igitur pro ſua ſola fide à ſacro exemplo argumentatur Lutherus, & ex illo Meiſnerus. Licuit Moſi, vt adorationem ſeruitutemque Deo præſtandam benè explicaret, particulam *Soli* adijcere, & ſacra habita eſt à populo fideli, imò à filio Dei tanquam laudatiſſima, iterata eſt illa adiectio. Ergo & Luthero licuit ad iuſtificationem fidei in Paulo rectè declarandam addere vocabulum *Solam*, & meritò hanc appendiculam pro ſacroſancta Lutherani habent, eamque tanquam veri filij Dei, aduerſùs Diaboli de bonis operibus impoſturas, identidem repetunt. O impudentem & ſacrilegum diſputatorem! Itáne verò in ſacris Luthero licet, quod Moſi, ac Paulo licuit? & ille tanquam nouus Propheta & Apoſtolus inter ſcriptores Canonicos numerandus eſt? Si verbulum *Sola* addendum fuiſſet, Paulo licuiſſet: poſt Paulum nec Luthero, nec mortalium vlli licet. Fecit tamen Lutherus, & vt factum defenderet, parem ſibi cum ſacris ſcriptoribus auctoritatem auſus eſt impudenter arrogare. Dicant nunc Prædicantes, nos Eccleſiam ſcri-

pturæ

pturæ præponere, aut parem facere; ingeminent nobis iam illud Apoſtoli Ioannis. *Si quis appoſuerit ad hæc, apponet Deus ſuper illum plagas ſcriptas in libro iſto.* Domeſticum exemplum habent, in quod verè iſta declament, quæ nobis per conuitium oggerunt. Liceat iam nobis, quod illi ſolent falſò Eccleſiæ aduerſùs diuinas traditiones obijcere, in Lutherum verè detorquere ex Tertulliano; *Scriptum doceat* (ſolā fidem iuſtificare) *Lutheri officina. Si ſcriptum non eſt, timeat væ illud adijcientibus, aut detrahentibus deſtinatum.*

Apoc. 22. 18.

Aduerſ. Hermog. c. 22.

Sed pergamus ad tertiam rationem, quam è Luthero recitat Meiſnerus. An & illa ab exemplo ducta? Imò. *Ab exemplo*, inquit, *interpretū in alijs ſcripturæ teſtimonijs, vt Gen. 3. v. 11. LXX. addiderunt particulam excluſiuam, et vulgata verſio Deut. 12. v. 32. 2. Par. 20. v. 12. Zach. 8. v. 19.* Non tegitur his exemplis infamia Lutheranę adiectionis. Aliud eſt, particulam excluſiuam addere in verſione ſecundùm apertam auctoris mentem, nemine reclamante, ad antiquum & communem, non nouum, atq; anteà inauditū ſenſum additione illa ſtabiliendum, quod ſeptuaginta & vulgatus locis citatis fecere; aliud eſt, exceptiuam voculam aſſuere contra mentem auctoris ab ipſomet, & alijs ſacris ſcriptoribus alibi declaratam, ad proprium nouum dogma, cui tota Eccleſia publicè repugnauit, confirmandum, quod Lutherus fecit. Illud benè ſine crimine; hoc malè non ſine

ſine graui crimine fit, nec illius exemplum huic innocentiam præſtat. Septuaginta Geneſeos 3. v. 11.
verbis illis Domini ad Adamum, *Quis indicauit tibi, quòd nudus eſſes, niſi quòd ex ligno, de quo præceperam tibi, ne comederes, comediſti?* interiecerunt vocem μόνȣ (*de quo præceperam tibi ſolo*) quæ nec in Hebræo, nec in Latino habetur. Sed quis illis hanc adiectionem vitio vertat, quæ ſenſui verborum maximè affinis eſt? Neq; enim de pluribus lignis, ſed de vnico ex omnibus præceperat Dominus Adamo, ne ex eo guſtaret. *Ex omni ligno paradiſi*, ait Dominus, *comede; De ligno autem ſcientiæ boni & mali ne comedas.* Gen. 2, 17
Solum ergo hoc lignum diuina lege Adamo vetitum fuit. Quid ergo intereſt vertere, ſiue, *de quo præceperam tibi, ne comederes*, ſiue, *de quo ſolo præceperam tibi?* cùm, etſi particula *ſolo* non exprimatur, neceſſariò intelligatur. Neq; enim ità vnum lignum vetuit Dominus, vt etiam quædam paucula alia prohibuerit, ſed præter vnum reliqua omnia liberrimè permiſit. Oſtendant Prædicantes in ſacrâ paginâ omnia opera tam legis, quàm gratiæ inutilia ad iuſtificationem dici: & Lutherum de *ſola fide*, non plùs, quàm LXX. interpretes de *ſolo ligno* culpabimus. At verò quia clarum eſt, ſola legis opera à Paulo ad iuſtificationem inidonea cenſeri, ſolius fidei, contra alias pias animi ex Chriſti gratia profectas motiones aſſertio, Pauli verbis atq; ſenſui repugnat. Lutherus igitur meritò falſimoniæ ac-

cuſatur, ſed LXX. omni criminis ſuſpicione abſoluuntur. Vulgati interpretis Latini tribus alijs locis eadem eſt innocentia, quæ Græcorum LXX. in vno iam explicato. In Deuteronomio Moſes ait; *Quod præcipio tibi, hoc tantùm facito Domino, nec addas quidquam, nec minuas.* In Hebræo & Græco particula *tantùm*, non legitur: ſed ex ſequentibus illis, *nec addas, nec minuas*, tam clarè colligitur, vt Vulgatus de illa expreſſà reprehendi iure non poſſit. Si enim ità præceptum faciendum eſt, vt nihil vel addendum, vel detrahendum illi ſit, conſequens eſt, id tantùm, quod præcepto iubetur, fieri debere, cùm præcepto pareatur. Quare hanc vulgati interpretis verſionem, etiam Prædicantes aliàs Hebrææ, Græcæque originis ſtudioſiſſimi, non modò non improbant, ſed in illa quoque magnum ſuæ cauſæ de ſolo verbi ſcripti Canone momentum ponunt. In Ratiſponenſi Colloquio certè Hunnius Seſs. 4. inter alia hoc Moſis dictum, ex vulgata Editione, tanquam immotum Spiritus S. teſtimonium fidentiſſimè protulit, & hac Nota commendauit. *In teſtimonio*, inquit, *Moſis, Deut.* 12. *notetur particula excluſiua.* Ità Prædicantes, cùm aliquod ex vulgata Editione, malæ cauſæ ſubſidiolum ſperant, Hebræo, Græcoque textu relicto, illam obuijs vlnis amplectuntur.

c. 12. v. 32.

Sed Lutherus his ſuis nepotulis conſtantior, non

non vulgatam Latinam, ſed Græcam atq; Hebraicã ſecutus Editionem, hũc Deuteronomij locum Germanico idiomati ſine particula excluſiua reddidit. In eo tamen non leuem ipſe quoque inconſtantiæ notam meretur, quòd, cùm hoc loco, veluti Hebrææ Græcæque lectionis obſeruantiſſimus, ad particulam *tantùm*, ſolius vulgatæ exemplo, ſuæ verſioni inſerendam permoueri non potuerit, eam tamen Paulinæ ſententiæ, cùm nec in Græco, nec in Latino, nec cuiuſquam alterius idiomatis exemplari vllo reperiſſet, Germanicè adijcere, & exemplo vulgati interpretis in c. 12. Deut. hanc adiectionem ſuam tueri auſus fuerit. Nec verò reliqua duo exempla additæ particulæ excluſiuæ plus roboris habent ad Lutheri facinus excuſandum. Nam in ſecundo Paralipomenon libro ſecundùm vulgatam verſionẽ Rex Ioſaphat inter precandum ità exclamat; *ſed cùm ignoremus, quid agere debeamus, hoc ſolum habemus reſidui, vt oculos noſtros dirigamus ad te.* c. 20. 12. Vocabulum *ſolum* LXX. quidem in Græco non exprimunt, ſed verbis ſuis ità clarè ſignificant, vt meritò à vulgato Latino expreſſum ſit. Ità enim orantem Ioſaphat inducunt. καὶ οὐκ οἴδαμεν τί ποιήσομεν αὐτοῖς, ἀλλ' ἢ ἐπὶ σοὶ οἱ ὀφθαλμοὶ ἡμῶν. Ad verbum. *Et neſcimus, quid agamus illis, ſed quàm quòd ad te oculi noſtri.* Si nihil aliud agendum nouit Rex, quàm vt oculos ad Dominum leuaret: hoc ergo ſolum reliquum illi

Digitized by Google

fuit, oculos ad Deum vertere. Quid ergo vitij in tranſlatione vulgata? *hoc ſolùm reſidui habemus, vt oculos noſtros dirigamus ad &c.* Monſtret Lutherus, ſe in ſacris legiſſe, *nihil aliud ad iuſtificationem opus eſt, quàm credere*, & exempli huius patrocinium illi *ſolam fidem* vertenti, non denegabimus. Deniq; quid apud Zachariam
Zach. 8. 19. opis quæritur? *Veritatem tantùm & pacem diligite*, habetur in vulgata Editione; ſed vocula *tantùm* in ſeptuaginta non comparet. Et tamen in Lutheri, qui aliàs Græcam editionem præ Latina ſequi conſueuit, verſione exprimitur. Allein liebet warheit vnd friede. Senſus certè ſententiæ ſacræ apertus eſt, particulamq;, *tantùm*, aut ſimilem neceſſariò infert. Ità enim integer locus habet. *Hæc dicit Dominus exercituum; ieiunium quarti, & ieiunium quinti, & ieiunium ſeptimi, & ieiunium decimi erit domui Iuda in gaudium & lætitiam, & in ſolennitates præclaras: veritatem tantùm & pacem diligite.* Promittit his verbis Dominus Iudæorum ieiunia ſibi grata, ipſis iucunda fore, ſi tamen à vitijs abſtinuerint, & veritatem pacemq; coluerint. Ad hanc neceſſariam conditionem ſignificandam particula *tantùm* rectè addita eſt: ſenſus enim verborum Domini eſt; *Ieiunia veſtra vobis vtilia & læta erunt, ſi modò veraces & pacifici fueritis*, ſeu, quod perinde eſt, *Eſtote tantùm veraces & pacifici:* nam ſine Dei proximiq; dilectione, nec placere Deo, nec ieiunantibus prodeſſe ieiunia poſſunt. Quid verò hoc ad fidei ſolitudinem, quam aduerſùs

Digitized by Google

uerſus omnia etiam fidei gratiæq; opera, diſſentientibus Paulo & Iacobo Apoſtolis, contradicente vniuerſa Eccleſia, nouus artifex Lutherus extruxit, fulciendam? Et tamen his longè diſſimilibus non modò ſeptuaginta interpretum Græcorum, & vulgati Latini, ſed ipſius quoq; diuinæ ſcripturæ exemplis, non erubuit Lutherus (ſi tamen ille, & non alius aliquis Prædicans in poſthuma Editione) perfidam Paulini dicti corruptelam excuſare. Meiſnerus verò inſuper has Lutheri rationes adeò probauit, vt auſus ſit dicere; *Qui his nondum contenti ſunt, eos vlteriori reſponſo indignos, & verſiculo, ſic volo &c. ad redarguendam illorum impudentiam excipiendos eſſe Lutherus rectè cenſuit.* Scilicet oſtendere voluit Meiſnerus, impudentiam Lutheri ſiue in alieniſſimis exemplis proferendis, ſiue in ſuperbiſſimo carmine occinendo ſingularem, non niſi ab impudentiore Patrono defendi potuiſſe. Sed iam ab exemplis additionum, ad reliqua quædam detractionum, quibus Lutherus ſacras literas mutilauit, exempla veniamus.

Inanis excuſatio quinti, ſexti, & ſeptimi exempli ſcripturæ à Luthero violatæ: & quædam vtriuſq; Prædicantis calumniæ ac impoſturæ. §. IV.

QVintum corruptelæ genus, obiectum à me Luthero, fuit litura vltimorum verborum capitis 15. in actibus Apoſtolicis; *Præcipiens*

 cuſtodi-

cuſtodire præcepta Apoſtolorum & ſeniorum. Communis vtriuſq; Prædicantis reſponſio eſt, *verba hæc in Græco textu originali non haberi, irrepſiſſe in textum.* An verò tam religioſus Græcæ originis cultor fuit Lutherus, vt aliquid ex Vulgata Latina, quod Græci Codices non habent, in Germanicam ſuam verſionem transferre piaculum putârit? Quid ergo in
c.8.19. Zacharia Propheta vocem *tantùm*, quæ in Græcis Codicibus non eſt, Vulgatam editionem ſecutus, addere nihil veritus eſt? Cur ex his Angeli apud Lucam verbis in vulgata; *Quod naſcetur ex te ſanctum*, voculas illas, *Ex te*, quæ in Græco deſunt, in primis quidem Biblijs ſuis Auguſtæ impreſſis omiſit; in poſterioribus tamen deinde VVittenbergæ ſæpius editis cum vulgata conſentiens, eaſdem repoſuit? Non Græcus textus, ſed ſuus Luthero animus tranſlationis regula fuit. Quod in vulgata, etſi in Græco textu non legeretur, placuit, poſuit: quod in vulgata, cùm in Græcis quibuſdam libris non reperiretur, diſplicuit, prætermiſit. Talis hic locus de præceptis Apoſtolorum fuit, qui Luthero præceptis Eccleſiæ nimium quantum infenſo, placere non potuit, & quia in quibuſdam Græcis voluminibus non legebatur, è Biblijs Lutheranis proſcriptus eſt. Sed tamen hoc Lutheri à Græca contra Latinam communem Editionem ſubinde petitum

Digitized by Google

titum ſubſidium, eum à ſacrarum litterarum corruptela minimè excuſat. Debuit enim, potuitque facilè ſcire, Græcos Codices non paucos in quibuſdam locis ab hæreticis, quorum plures ſectæ, olim præſertim, in Græcia viguêre, deprauatos eſſe. Verba illa, *Omnis Spiritus, qui ſoluit Ieſum &c.* Neſtoriani Chriſtum ſacrilegè diuidentes, teſte Socrate, expunxerunt, & pro illis ſuppoſuerunt, *Omnis Spiritus, qui non confitetur Chriſtum in carne venisse.* Voces illas, *Ex te*, de Angeli ad matrem Virginem verbis, humanæ naturæ in Chriſto hoſtes abſtulerunt. Legerunt enim non ſolùm Latini, ſed Græci complures, *Naſcetur ex te ſanctum*: & inter alios S. Athanas. ex verbis illis, *Ex te*, veritatem carnis Chriſti de B. Virgine ſumptæ aduerſùs hæreticos tuetur, & ipſe Beza ex hoc S. Doctore colligit hanc Eutychianorum & Monothelitarum corruptelam fuiſſe. Vocem *datus* ex illa ſententia, *Nondum Spiritus erat datus*, Macedoniani Spiritus S. diuinitatem negantes deleuerunt; nam & illam præter Latinos etiam Græci Patres Chryſoſtomus, Athanaſius, Cyrillus Alexandrinus, & alij conſtanter legũt, habetq; antiquiſſimus celeberrimuſq; Græcus Codex Vaticanus manuſcriptus. Illuſtriſſimũ illud ſacroſanctæ Trinitatis teſtimoniũ, *Tres ſunt qui teſtimoniũ dant in cœlo, Pater, Verbũ & Spirtus S. & hi tres vnũ ſunt*, ab Arianis iuratis Trinitatis hoſtibus ſuppreſſum, & à

1. Ioan. 4. 3. *Socr. lib. 7. c. 32.* *Luc. 1. 35.* *Refert illos Tolet in 1. c. Luc.* *Athan. Ep. ad Epictetum.* *Io. 7. 39.*

ſe

ſe ex antiquis Codicibus reſtitutum eſſe, Sanctus Hieronymus teſtatur. Omitto plura ſimilium Græcorum Codicum à veteribus hæreticis corruptorũ exempla referre: nam vel hæc tantùm, quæ Lutherus omnia, præter illud Angeli apud S. Lucam *Ex te* (circa quod deinde mentem in melius mutauit) pertinaciter imitatus eſt, ſatis oſtendunt, quorum ductum in transferendis ſacris litteris ſequi propoſuerit. Et in hoc ipſo propoſito loco ex actis Apoſtolicis, non erat, quòd Lutherus recētioribus Græcis Codicibus aduerſùs vulgatam editionem fideret, cùm vetuſtiores Græci cum ea conſentiant. Vt enim taceam duo antiquiſſima exemplaria, vulgatæ editioni ſimillima, quorum vnum in Vaticano eſt, alterum in Hiſpania extare fertur in Bibliotheca regia S. Laurentij, ex aduerſarijs Beza hæc verba in vetuſtiſſimo, quem habebat, Græco Codice haberi teſtatur. Inſignis ergo, vel Bezâ Caluiniano teſte, Fabricij eſt calumnia, cùm hìc ait; *Veriſimile ab Eccleſia Romana hæc verba intruſa eſſe, ad nouas leges, & noua decreta Eccleſiæ ſancienda.* Scilicet Romana Eccleſia intruſerit hæc verba, quæ ex vetuſtiſſimis Græcis Codicibus à vulgato ſunt tranſlata. Nec hac calumnia contentus Prædicans alteram addit, & egregijs illam, more ſuo ſcilicet, argumentis confirmat. *At,* inquit, *quàm ſtultè?* (intruſit nimirùm hæc verba Romana Eccleſia,) *Nulla enim potuit Paulus præcipere mandata*

Præfat in Epiſt. Canon.

In 5. Edit noui Teſtam. an. 1598

data ſeniorum, niſi quæ in Synodo (de qua ibi mentio) commendantur. At expreſſè dicitur, nulla iniungenda populo, niſi quæ neceſſaria ſunt, vtpote, quæ Deus præcepit. Quid hoc ad veſtra hominum mandata? At quàm inſulſè diſputat Fabricius? Paulum præcepiſſe obſeruationes eorum, quæ in Synodo ab Apoſtolis mandata ſunt, dubium non eſt; nulla alia potuiſſe præcipere, Prædicantis meriſſimum figmentum eſt. Imò Paulum non tantùm præcepta in Synodo illa, de qua eo capite ſuprà mentio eſt, ſed quæuis alia, aliàs ab Apoſtolis lata, diligenter ſeruanda commendaſſe, ex verborum amplitudine, multiſq; alijs Apoſtolicis legibus conſtanti traditione in Eccleſia conſeruatis, veriſſimillimè colligitur; nam, vt Auguſtinus ait, *quod vniuerſa tenet Eccleſia, nec Concilijs inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, non niſi auctoritate Apoſtolica traditum rectiſſimè creditur.* Sed etſi Paulus tantùm de Hieroſolymitanæ Synodi decretis ſeruandis Syros & Cilices monuiſſet, nónne vel hoc vno exemplo indicaſſet, licere, velut Apoſtolis, ità eorum ſucceſſoribus Eccleſiæ præſidibus, præſertim in Synodo congregatis, ad bonum pacemq; Eccleſię promouendam nouas leges ferre, quibus morigeros fideles parere par ſit? Verùm Fabricius, vt omnem Eccleſiæ poteſtatem leges ferendi eripiat, omneq; humanæ legis iugū excutiat, audet negare, noui quidquam ab Apoſtolis in Synodo mandatum fuiſſe; audet dicere,

Lib. 4. de Bapt. con: Donat. c. 24.

Ii non

non Apoſtolorum, ſed Dei præcepta tantùm fuiſſe Concilij illius edicta. O impudentem hominem! Scriptura nominat in fine cap. 15. *præcepta Apoſtolorum & Seniorum*, & paulùm à ſequentis initio, *dogmata, quæ decreta erant ab Apoſtolis & Senioribus*, & audet Prædicans ea non Apoſtolici, ſed diuini iuris facere. Quo colore? *Expreſſè*, inquit, *dicitur, nulla iniungenda populo, niſi quæ neceſſaria ſunt, vtpote quæ Deus præcepit.* Vbi dicitur, *Quæ Deus præcepit?* hoc Fabricij commẽtum, non ſcripturæ dictum eſt. Quaſi tantùm Deo, non etiam præpoſitis obedire neceſſarium ſit. Quo iure fidelibus Chriſtianis poſt primam Synodum idolothytis, ſanguine, ſuffocato veſci vetitum fuit? an diuino, quod Moſi in monte, Dei voce dictatum eſt? at hoc, ſi ſacrorum rituum, iudiciorumque formam ſpectes, ad Chriſtianos non pertinet, aut ſi pertinet, centum alia illo imperata faciant neceſſe eſt. Ergo, cùm omnia antiquata eſſent, paucula iſta nouo iure ab Apoſtolis pro tempore conſtituta fuêre: neque enim vllum Moſes, ſed Chriſtus, & poſt illum Apoſtoli in Chriſtianos omne ſacrorum imperium tenuêre. Vidit hoc Fabricius, eaque re ad extremum, aliud libertatis Caluinianæ aſylum apud Lyranum quæſiuit, ſed non inuenit. *Lyranus*, inquit, *hæc verba referens, exponit de præceptis, quæ erant in Synodo concluſa, ad vnionem Gentilium & Iudæorum.* Quid hinc præſidij

quærit

Digitized by Google

quærit Prædicans? Hoc ſcilicet. *At quæ mandata adfert Romana Eccleſia, niſi diſſecantia pacem & concordiam fidelium?* Hoc non ex Lyrano petitum præſidium, ſed gloſſæ Lyrani affixum à Fabricio conuitium eſt. Legibus Romanæ Eccleſiæ in alta pace vixit Germanicus, Gallicus, Britannicus orbis ante Lutheri Caluinique turbas. Hi longam concordiam nouis artibus ſciderunt. Subtilius eſt aliquid iſtis Fabricianis fumis, quod Meiſnerus denique ad innocentiam Lutheri vindicandam profert. C. 16. *v.* 4. *ſimile quid habetur*, ait Meiſnerus, *quæ verba Lutherus non expunxit, ſed rectè vertit, & proinde Legum Eccleſiæ contemptor non fuit.* Rectè dixit, *ſimile quid*; nam etſi ſenſu conuenit, verbis tamen non parùm differt ab altera ſententia. Non potuit illud Lutherus contra omnium Codicum fidem ſupprimere, nec de eo admodùm ſollicitus fuit, quod à legibus & præceptis facilè aliò trahi poſſet; dictum verò, de quo agimus, quia apertiſſimè præceptis Eccleſiæ fauet, quorundam Codicum auctoritate fretus, libentiſſimè ad Eccleſiaſticæ obedientiæ iugum abijciendum, omiſit. Audiamus textum ſacrum ſequente capite de Paulo & Timotheo loquentem; *Cùm pertranſirent Ciuitates, tradebant eis cuſtodire dogmata, quæ erant decreta ab Apoſtolis & Senioribus, qui erant Ieroſolymis.* Audiamus eundem priori capite de Paulo monentem; *Perambulabat autem* *Act.* 16. 4. *Act.* 15. 41.

 Syriam

Syriam & Ciliciam, confirmans Eccleſias, præcipiens cuſtodire præcepta Apoſtolorum & ſeniorum. Hic præcipiendi, ibi tradendi verbum; hic præceptorum, ibi dogmatum vox eſt. Hic apertior, ille obſcurior verbo tenus, locus eſt pro legibus. Tradi cuſtodiam dogmatũ, æquiùs poterat ferre Lutherus, quàm præcipi cuſtodiam præceptorum. Etſi enim indubiè etiam per traditionem præceptio, & per dogmata præcepta altero loco intelligantur, verſio tamen Luthero longè alia libuit, qua ſcilicet eam iam in ſenſu ſtragem faceret, quam antè in verbis fecerat. *Tradere* enim illi non eſt, **gebieten**/ ſed **vberantworten**/ & *dogmata* in poſterioribus verſionibus, non vt in prima, cùm minùs aduerſùs Eccleſiam ſæuiebat, **Geſatz**/ſed, **Sprüch** vertit. Nimirum placita, ſententiæ, dicta magis Luthero, quàm leges & præcepta placent. Si legum amator fuit, cur in legis vocabulo, à quo benè aliquando cœperat, non perſtitit? cur ex lege placitum, aut ſententiam fecit? cur verſionem iuſtam correxit? ne recta verſio eius, quod expungere non audebat, Eccleſiæ legibus faueret. Nulla ergo & hæc Meiſneri excuſatio eſt: nam Lutherus nec rectè vertit, quod non expunxit, ne legum Eccleſiæ patronus eſſet.

Sextum deprauatæ, & alterum decurtatæ ſcripturæ exemplum eſt, verborum illorum, *per bona opera*, omiſſio in illius ſententiæ apud S. Petrum verſione

one. *Satagite, vt per bona opera certam veſtram vocationem, & electionem faciatis.* Quâ lymphâ hanc maculam 2. Pet. 1. 10.
eluunt Prædicantes? Breuiſſimè hoc vnum ambo aiunt, verba hæc non reperiri in Græco textu. At in quibuſdam Codicibus Græcis reperiri fatetur, ſeq́; vidiſſe teſtatur Beza, & notat Robertus Stephanus Pariſijs Anno. 1550 editus. Quid, quòd ipſe contextus, verborumq́;, quæ antecedunt & ſequuntur, connexio, horum verborum abſentiam non patitur. Commendat enim antè S. Petrus fidelibus eo loco *fidem, veritatem, ſcientiam, abſtinentiam,* 2. Pet. 1. 5. 6. 7.
patientiam, pietatem, amorem fraternitatis, charitatem, additq́;, Ibid. v. 8. 9.
hæc ſi vobis adſint, non vacuos vos conſtituent, &, *cui non præſtò ſunt hæc, cæcus eſt,* tum concludit, *quapropter fratres magis ſatagite, vt certam veſtram vocationem faciatis;* quis non videt, debitam concluſionis cum præcedentibus conſpirationem, bonorum operum mentionem requirere, quæ antè tam diſtinctè ab Apoſtolo numerata & laudata ſunt? Clariſſimum verò ſolidiſſimumq́ue pro his verbis argumentum eſt, quòd cum Petrus dixiſſet, *ſatagite, vt certam vocationem* v. 10.
faciatis, illicò addit, *hæc enim facientes, non peccabitis aliquando.* v. 11. Quænam hæc, niſi *bona opera*? iuſſit ergo per bona opera certam vocationem facere, quòd hæc, ſcilicet bona opera, fa-ientes, peccati periculum euaderent. Bonorum enim operum frequens exercitatio peccatis aditum occludit. Nullam igitur

Lutherus, *bona opera* expungens, veniam meretur.

Sed quid de ſeptimo atq; poſtremo per detractionem corruptæ Scripturæ exemplo à me allato iudicant Miniſtri, cùm Lutherus totum illud, *vt abſtineatis vos ab omni fornicatione*, 1. Theſ. 4. v. 5. eraſit? Fabricius diſſimulans tacet, & malus patronus clientem in fine deſerit. Sed quid Meiſnerus? *Apertum*, inquit, *& inſigne hoc mendacium eſt, cùm Lutherus ita verterit*; **Das iſt der willen Gottes/ewer Heyligung/daß jhr meidet die Hurerey.** Aperta hæc & inſignis eſt Meiſneri calumnia. Mentiar, ſi verba hæc, **daß jhr meidet die Hurerey** / in Lutheri antiqua verſione, Bibliiſq; eius Auguſtæ apud Siluanum Otmarum propè Monaſterium S. Vrſulæ Anno M. D. XXIII. & Norimbergæ per Fridericum Peypus Anno M. D. XXIV. editis inueniantur. Non ſunt ibi: inſpice, Meiſnere, &, ſi aliqua fides oculis eſt, fatere non me, ſed te aperti & inſignis mendacij calumniæque reum eſſe. Sed in poſterioribus editionibus repoſita ſunt hæc verba. Quid tum? an ideò antè non impudenter ablata ſunt, quæ poſteà ſiue à Luthero, ſiue ab illius aſſeclis, ad turpiſſimam publicæ infamiæ notam delendam, ſunt reſtituta? Nobis ſat eſt tam indignè primis ſui furoris initiis Lutherum ſacras litteras tractâſſe, vt vel ſuo, ſuorumque iudicio retractanda illi quædam fuerint. Verùm iam cædem ſcripturarum, quam Luthe-

therus non ſtilo, ſed machæra, vt cum Tertulliano dicam, confecit, quibus argumentis linguaces Apologetæ purgent, audiamus.

Fabricii vana admiratio: falſa, furtiua, & ridicula Argumenta contra librum Tobiæ à Luthero reiectum. §. V.

OBiecimus Luthero librorum Tobiæ, Eccleſiaſtici, Machabæorum, Epiſtolarum quarundam Iacobi, Petri, Ioannis & Iudæ, ſacræ demùm Apocalypſeos ignominioſam è ſacris relegationem. Meiſnerus feſſus nos paucis ad Apologiam alienam ablegat. *Quòd non omnes,* inquit, *libros, quos Lutherus ex* Codice *Biblico Latino retinuit, & vertit, auctoritate Canonica valere arbitramur, graues ſubſunt & euidentes cauſæ, quas noſtri prolixè alibi recenſuerunt. Interim Apocryphos libros non damnamus planè, ſed ad ædificationem facere, & vtiliter legi poſſe, haud inuiti concedimus.* Ergo & nos compendij amantem præconem ad Bellarminum & Gretſerum, qui graues illas, & euidentes cauſas probè diſcutiunt, amandamus, vt eas tenui plumula leuiores, & atramento obſcuriores eſſe intelligat. Fabricius paulò prolixior eſt, ſed tamen & ipſe viribus deficit: nam de noui Teſtamenti libris impiè reiectis nihil reſpondet: de tribus veteribus aliquam texit Apologiam. Non potuit ſcilicet, de Apoſtolicis ſcriptis è ſacrorum numero excluſis, pro Luthe-

Bell l. 4. de verbo Dei à. c. 10 Gretſ. Tom. 1. l. 1 defenſ. c. 10.

Luthero quidquam dicere Prædicans. Quid enim diceret Caluini, cui ſcripta illa pro ſacris probantur, aſſecla? Aut Caluinus, aut Lutherus deſerendus fuit. Illum ne confoderet, hunc ſub cultro reliquit infidelis Patronus. Ne tamen omninò nihil dixiſſe videatur, generatim, antequam de libris Tobiæ, Eccleſiaſtici, & Machabæorum dicat, vnum miratur, alterum quærit. Miratur primùm, me tam acerbê in Lutherum inuehi, quòd omnes hos libros non habeat pro Canonicis; *Satis enim*, inquit, *apertè conſtat quaſdam olim Eccleſias, & Patres doctrina & pietate florentes extra Canonem omnia remouiſſe, quæ Lutherus in dubium vocauit.* Quarundam Eccleſiarum, & Patrum dubitatio Luthero nihil patrocinatur: dubitarunt ante Generalis Concilij definitionem, cui, ſi tum aliqua fuiſſet, minimè repugnaſſent: Lutherus cum ſuis totius Eccleſiæ decreto pertinaciter contradixit. Et ſi quorundam veterum dubitantium exemplo etiamnum rectè dubitatur, cur Caluiniſtæ indubitatè pro diuinis libris haberi volunt quaſdam Apoſtolorum Epiſtolas, de quibus à veteribus dubitatum fuit? Nulla ergo eſt conſecutio; Quidam Patres olim de his, aut illis libris dubitarunt: ergo & Luthero illos in dubium vocare, & nemini Lutherum reprehendere licet. Aut ſi aliqua eſt, tum Fabricius contra Caluinum ſuum, aliquarum Petri, Ioannis, & Iacobi Epiſtolarum diuinam aucto-

Digitized by Google

auctoritatem incertæ opinioni ſubijciat. Quærit deinde Prædicans, *cur non inſiliã in caput Caietani, qui plures libros ex Canone noui teſtamenti ſuſtulit.* Quos plures? Numera ſodes. *Epiſtolam Iacobi, ſecundam Petri, ſecundam & tertiam Ioannis, Epiſtolam Iudæ, Epiſtolam ad Hebræos.* An hi plures illis, quos Lutherus Canone ſacro extruſit? Imò hos omnes extruſit. Quid ergo de pluribus libris fingit Prædicans? Sed ſi is cupit ſcire, cur in caput Caietani non perinde, atq; in Lutheri ſæuiam, ea cauſa eſt, quòd Caietanus ſanior caput ſuum Romanæ Eccleſiæ iudicio ſubiecerit, paratuſq; fuerit Pontificis, aut Concilij decreto mentem mutare: Lutherus verò inſano ſimilis aduerſùs Oecumenici Concilij ſententiam, mente obſtinata pugnârit, nec ſolùm vti Caietanus, cum quibuſdam veteribus, de harum Epiſtolarum auctoritate dubitârit, ſed quaſdam inſuper indignis & antè inauditis conuitijs lacerârit. Epiſtolam Iacobi verè ſtramineam, quin S. Paulo, & omnibus alijs ſcripturis directè repugnantem appellauit; Pauli ad Hebræos, & Iudæ litteras errorum grauium inſimulauit. Alijs ergo argumentis, ſi boni Patroni partes agere voluiſſet, pugnandum Fabricio pro Luthero, non Caietani caput periculo eidem obijciendum erat. Sed, vt dixi, ſacrum inter ſaxumq; hæſit hîc Prædicans, ne ſi Lutherum defenderet, Caluinum offenderet. Quare eo, quod per religionis Caluinianæ iura

Obijt ante Trident. A. 1536.

Præf. noui. Teſta: Et præfat. in ſingul. Epiſt.

Digitized by Google

ſibi non licebat, diſſimulato, Lutherum de reiectis tribus veteris teſtamenti libris, quos etiam Caluino relegare libuit, excuſare aggreſſus eſt. Vanas excuſationes, quarum præſertim apud alios prolixa refutatio extat, ſtrictim refellamus. Librum Tobiæ meritò à Luthero reprobatum eſſe, quatuor argumentis acutiſſimus Prædicans concludit.

Prefat. in Salom.

I. *Reiecit eum vniuerſalis Eccleſia, cuius Magiſterium lubenter ſequimur: teſtatur Hieronymus Eccleſiam non recepiſſe librum Tobiæ inter Canonicas ſcripturas.* Quàm impudens prima frons defenſionis? Falſum eſt ab vniuerſali Eccleſia hunc librum reiectum eſſe: falſum eſt, hoc Hieronymum atteſtari. Qualis enim hæc illatio? Hieronymus dicit; Eccleſia non recipit Tobiæ librum inter Canonicas ſcripturas; ergo vniuerſalis illum Eccleſia reiecit. Planè putida: Nam non illicò tota Eccleſia reijcere rectè dicitur, quod non tota recipit. Hieronymi ætate nullum erat commune Eccleſiæ decretum de huius libri diuina auctoritate, ſed alij eum diuinis libris adnumerabant; alij diuinum non cenſebant. Anné igitur illum vniuerſalis Eccleſia reiecit, quem ex antiquis Irenæus, Cyprianus, Hilarius, Clemens Alexandrinus, Chryſoſtomus, Auguſtinus, Ambroſius, alijque pro ſacro habuerunt? Itané vniuerſalis Eccleſia reprobauit librum, quem annis abhinc mille ducentis Concilium Carthaginenſe

Iren. lib. 1. c. 34. Cypr. Ep. 52. & alibi ſæpe. Hilar. in pſ. 129 Clem. Al. l. 1. ſtrom Chryſoſt.

ſe, Auguſtini tempore, inter diuinas ſcripturas recenſuit, teſtatumq; eſt, à Patribus ſe accepiſſe in Eccleſia ſub nomine diuinarum ſcripturarum legendum? Pudeat Fabricium talia de vniuerſali Eccleſia fabricare figmenta.

Hom. 15. Hebr. Aug. l. 2. de doctr. Chriſt. c. 8. Ambr. de Tobia c. 12. Tom. 1. Côciliorũ Concil. Carthag. 3 Ca. 47.

II. *Librum hunc ideò reijcimus, quia Raphaëlem Angelũ introducit mentientem, ſe ſcilicet Azariam & filium Hananiæ vocando: quod boni Angeli nunquam faciunt.* Nullum fuit Angeli mendacium. Eum ſe dicebat, cuius os, vultumq; referebat, & perſonam agebat. *Raphael*, inquit Athanaſius, *comitatus eſt illum in ſpeciem hominis, qui Azarias diceretur.* An mentitus Angelus eſt, qui Dei vice apparuit, & dixit? *Ego ſum Deus Bethel.* Quin & ſacram Geneſin, Fabrici, reiicis?

In Synop.

Gen. 31. v. 13.

III. *Hierarchiam ſeptem ſtatuit Angelorum cap. 12. 15. Illam Paulus, quamuis in tertium Cœlum raptus, ignorauit.* Nego ignoraſſe: vnde probas Prædicans? an quia non ſcripſit? quaſi verò, quidquid non ſcripſit, ignorauerit Paulus. An neſcis, ab illo ſcriptum eſſe, quòd *raptus in Paradiſum, audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui?* Ergo arcana, quæ ibi didicit, ignorauit, quia nec lingua, nec calamo prodidit? Acutum ſcilicet Argumentum Prædicantis; Malè in Tobiæ libro à Raphaële dicitur, quòd ſit vnus è ſeptem Angelis, qui aſtant ante Dominum: nam de his ſeptem Angelis nihil nouit, quia nihil narrauit, Apoſto-

2. Cor. 12. 4.

 lus.

lus. Quin peracuto hoc telo etiam Apocalypſin à Caluiniſtis inter ſacros libros numeratam Fabricius petit, & de ſacro numero eijcit. Meminit e-
Apoc. 1.4. nim & hic liber *ſeptem Spirituum, qui in conſpectu throni Dei ſunt*, ſecundùm Bezam *diuinæ maieſtatis ſtipatores*, de quibus tamen nulla apud Paulum, qui in tertium Cœlum raptus eſt, mentio. Si Tobiæ liber inter ſacros propter ſeptem Angelorum Hierarchiam locum
c.3.5.15 16.17. nullum meretur, quem Apocalypſis, eandem locis præter iam citatum pluribus tradens, habebit? Nullum, ſi Fabricio, ſed in ſcripturam impio, & à ſuis diſcordi, credimus. Sed pergamus ad vltimum argumentum.

IV. *Eodem libro docentur, cordis & hepatis ſuffimento Dæmones fugari. Quis vnquam Propheta, aut Apoſtolus Dæmones hoc modo abijciendos eſſe docuit? Paulus vniuerſam Chriſtiani hominis πανοπλίαν deſcripſit, qua tecti nullis Dæmonum telis ſuperentur: hoc verò mirificũ telum, quo hunc Dæmonem Tobias repulit, nunquam nobis commendauit.* Hoc verò telũ ex panoplia VVitackeri Prædicans ſuffuratus eſt: Nam totum hoc argumentum à verbis illis, Quis vnquam Propheta &c. ad finem vſq; verbatim habetur in lib. 1. VVitackeri contra Duræum fol. 72.
In c.3.q.1. Cui egregiè reſpondit Serarius noſter ſuis in Tobiã Commentarijs. *Pari modo*, inquit, *contra S. Paulum ſuo ſudario & ſemicinctio Dæmones profligantem Act.* 19. *v.* 12., *contra ipſum etiam Dominum & Saluatorem Ieſum, ieiunio expel-*

Digitized by Google

expellendos profitentem Matth. 17. v. 21. Sycophantari nónne liceret? Neq; enim vel ieiunia, vel ſudaria & ſemicinctia in illa D. Pauli panoplia recenſentur: neque eidem Apoſtolo totum Eccleſiæ armamentarium exponère propoſitum fuit, ſed præcipua quædam armorum genera commendare: quæ tamen ipſa nec à Tobia quidem, modò prætermiſſa ſunt. Inſignem enim eius fidem & religioſiſſimam in oratione pernoctationem legimus: ipſum vidimus ſtare ſuccinctum lumbos ſuos in veritate, & indutum loricam iuſtitiæ. Hoc reſponſum Serarij refutare, quàm VVitakeri argumentulum ad verbum repetere, Fabricio honeſtius fuiſſet. Sed ſolenne eſt Prædicantibus, eadem millies regerere, quando, quo reſponſa ſolida refellant, non habent. Ad Eccleſiaſticum progrediamur.

Fabricius pro Luthero contra librum Eccleſiaſtici falſis ſcripturæ & Patrum allegationibus, & apertâ antilogiâ pugnat. §. VI.

DIxi hunc librum à Luthero abiectum eſſe, ne arbitrij libertatem admittere cogeretur. *Deus*, inquit Syracides, *ab initio conſtituit hominem, & reliquit illum in manu conſilij ſui. Adiecit mandata & præcepta ſua; ſi volueris mandata ſeruare, conſeruabunt te, & in perpetuum fidem placitam facere: Appoſuit tibi aquam & ignem: ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem vita & mors, bonum & malum. Quod placuerit ei, dabitur illi: quoniam multa ſapientia Dei, & fortis in potentia, videns omnes ſine intermiſſione* Eccleſ. c. 15. v. 14. & ſeqq.

miſſione. Quid potuit pro libertate hominis dici illuſtrius? Quid mirum, hanc lucem Luthero ſerui arbitrij patrono exoſam fuiſſe? Sed Fabricius impudenter etiam in meridie lucem pernegat. *Dato,* inquit, *librum illum eſſe Canonicum, nihil tale ſequitur. Intelliguntur enim verba auctoris de primo hominis ſtatu integro, deq́ toto humano genere, cuiuſmodi in Adamo fuit ante peccatum. De Adamo hæc intelligenda ſunt; Adamo enim aquam & ignem obtulit, vitam & mortem.* Quaſi verò ſapiens tantis poſt lapſum ſæculis, Adamum à lapſu præſeruare, & ad mandatorum obſeruationem præmio immortalitatis incitare, cogitârit. Libertatem ex prima hominis conditione demonſtrat, ſuæq; ætatis hominibus omnem peccati prætextum eripit. Quomodo de ſolo Adamo loquitur, qui ait, ſapientiam Dei videre omnes homines ſine intermiſſione, vt eis det, quod illis placuerit, ſiue vitam, ſiue mortem? An & illud Chriſti, *ſi vis ad vitam ingredi, ſerua man-*
Matth. 19. 17. *data,* Adamo, aut in eius lumbis latitanti humano generi dictum eſt? Nonné poſteris Adæ dictum eſt à Moſe; *Conſidera, quòd hodie propoſuerim in conſpectu tuo vi-*
Deut. 30. 15. *tam & bonum, & è contrario mortem & malum, vt diligas Domi-*
v. 19. 20 *num Deum tuum &c.* Et iterum; *Teſtes inuoco cœlum & terram, quòd propoſuerim vobis vitam & mortem, benedictionem & maledictionem. Elige ergo vitam, vt & tu viuas, & ſemen tuum.* Meræ ergo Prædicantis gerræ ſunt, ſoli Adamo, aut *generi humano, cuiuſmodi fuit in Adamo ante peccatum,*

tum, appoſita eſſe ignem & aquam, vitam & mortem, bonum & malum, cum optione manum porrigendi, ad quod voluerit. Sed audiamus, ſi liberi arbitrij odium nulla eſt, quam tandem ob cauſam Eccleſiaſtici nomẽ è ſacris à Luthero deleatur. *Ideò*, ait Fabricius pro ſe & Luthero, *librum illum reijcimus, quia manifeſtos errores continet.* Plures iactat, & vnicum, quem profert, demonſtrare hic Traſo non poteſt. *Dicitur*, inquit *cap.* 46. *verſ. vlt. Samuelem, nempe verum, poſt mortem prophetaſſe.* An hic manifeſtus error? *At Deus non vult mortuos conſuli à viuentibus*, per pythones ſcilicet. *Deut.* 18. *Iſaiæ.* 8. Libenter hoc do. *Adhæc nullius ſancti, nedum Prophetæ, anima, artibus Diabolicis poteſt reuocari, vt de Samuele ipſo docet Tertullianus.* Sit ità. An hinc verò ſequitur, Samuelem nec apparuiſſe, nec prophetâſſe poſt fata Regi Sauli? & manifeſti erroris conuinci poſſe librum Eccleſiaſtici? Nihil horum. Malè Saul Pythoniſſam de Samuele ſuſcitando conſuluerit; vanè Pythoniſſa magico carmine ſanctum Prophetam excitare aggreſſa ſit; ſed tamen iuſto Dei iudicio, iuſſuque apparuit verè Samuel Sauli, diuinamque vindictam denunciauit. Hæc de Samuelis apparitione, quæ in Regum hiſtoria narratur, plurium grauiorumque PP. Sententia eſt. An, Fabrici, iſtos manifeſti erroris damnabis? Sed inquis: *Patres alij docent, non fuiſſe verum Samuelem, Iuſtinus Martyr, Hieronymus.*

l. de anima. c. 57.

1. *Reg.* 28.

nymus, *Auguſtinus*. Imò iſti ipſi docent verum Samuelem fuiſſe. Quid dubios ac incertos Iuſtini & Auguſtini libros ſine teſtimonijs in margine notas, Prædicans, cùm ex certis eorundem voluminibus contraria ſuppetant teſtimonia? Iuſtini citas librum qq. ad orthodoxos. q. 52. At eum non Iuſtini, ſed alterius Auctoris eſſe ex eo liquet, quòd q. 82. & 86. Origenes, & q. 115. Irenæus ſub nomine Martyris citetur, cùm tamen Iuſtinus vtroq; antiquior fuerit, ipſeq́; Irenæus lib. 5. Iuſtinum Martyrem, tanquam ſe antiquiorem adducat. Et præterea hoc ipſum quoque, librum illum ſuſpectum facit, quòd Iuſtinus in Dialogo cum Tryphone, quem Iuſtino omnes indubitatê tribuunt, manere animas poſt mortem confirmet exemplo Samuelis, *cuius anima*, inquit, *iubente Saule fuit euocata per ſagam ventriloquam*. Ex Auguſtino librum 2. de mirabilibus ſacræ ſcripturæ, ſine capite, ſine verbis allegas; Sed & iſte liber inter ſpurios pridem numera-

3. p. q. 45 a. 3. ad 2. tus eſt. S. Thomæ iudicium eſt. *Non eſt authenticus, ſed falſò adſcribitur Auguſtino*. Vnde etiam nulla illius mentio eſt, ſiue in retractationibus Auguſtini, ſiue in Indiculo Poſſidij. At in libro de cura pro mor-

2. retra. 64. tuis, cuius in ſuis retractationib⁹ meminit, apertiſſimè Auguſtinus docet, ex diuina ſcriptura conſtare aliquos è mortuis ad viuos mitti. *Nam*, inquit,

l. de cura pro mort. c. 15. *Samuel Propheta defunctus viuo Sauli etiam Regi futura prædi-*

xit

Digitized by Google

xit. Nonnullos verò, non Samuelem fuiſſe, ſed malum Spiritum eius ſimilitudinem figurâſſe, ſentientes, Eccleſiaſtici teſtimonio refellit, *cùm liber Eccleſiaſticus*, inquit, *contineat in laude Patrum, quòd Samuel etiam mortuus prophetauerit.*

Ad S. Hieronymum venio. Sextum caput ex Commentario illius in Matthæum ſignas. Quid verò ibi Hieronymus? *In Samuelis*, inquit, *phantaſmate Pythoniſſa loquitur ad Saulem; Cras eris mecum.* An hinc colligis non Samuelis animam, ſed malum aliquem Genium Hieronymi ſententiâ Sauli ſe oſtentâſſe? Incerta collectio: nam quid ſi phantaſma Samuelis appellet Spiritum illius, non in proprio corpore reſurgentem, ſed in aſſumpto apparentem? Certè alibi exertè dicit, ex communi ſententia, Samuelem, qui viſus eſt ſuſcitari magicis incantationibus, diuinæ potentiæ ſignum de terra & profundo inferni datum fuiſſe. Vbi enim illa Domini verba ad Achaz; *pete tibi ſignum à Domino Deo tuo in profundum inferni, ſiue in excelſum ſuprà*, explanat, variaq; Domini ſigna de alto, & de profundo recenſet, inter alia dicit. *Pleriq; putant Saulem ſignum accepiſſe de terra, & de profundo inferni, quando Samuelem per incantationes & artes magicas viſus eſt ſuſcitâſſe.* Indicat ſcilicet Samuelis apparitionem non magiæ, vt Sauli videbatur, effectum, ſed plerorumq; ſententiâ, ſignum Sauli de terra à Deo datum fuiſſe. Vbi aliqua Hieronymi in pleroſque

In.6.cap. Matth. circa fin.

Iſa.7.11

In.cap. 7. Iſai.

Digitized by Google

que animaduerſio? vbi manifeſta erroris cenſura? vbi à communi opinione diſceſſio? Taceo Baſilij & Ambroſij, complurium recentiorum deniq; pro veri Samuelis apparitione ſententias: ſat ſit nunc illorum Triumuirorum, de quibus vanè gloriabaris, præſertim Iuſtini & Auguſtini patrocinium tibi nullum ſuppetere. Vnum hoc ad extremum præterire non poſſum, quin tua te confeſſione premam. Age enim, ſi non verus Samuel, ſed illius ſpecie malignus ſpiritus certò comparuit, cur non primum Regum librum ſacris arces? Tibi enim Tobiæ hiſtoria minimè ſacra eſt, quia Angelum, quòd ſe Azariam dixerit, mentientem inducit. Etiam Regiæ Hiſtoriæ conditor tuis legibus contra verum peccauit, cùm ſcripſit iſta; *Cùm vidiſſet mulier Samuelem; dixit autem Samuel ad Saul; & ait Samuel.* Nam tuo animo Samuel, nec viſus eſt, nec dixit quidquam, ſed ater aliquis Spiritus. Si Angelum Tobiæ à mendacio excuſare non vis, nec Regium hiſtoricum, qui malum Dæmonem Samuelem vocat, potes. Quomodo ergo pro ſacra diuinaque hiſtoria agnoſces, quam de mendacio infamas? En quibus te tricis inuoluis?

Baſil Ep. 80 ad Euſtach. Ambroſ. in c. 1. Luc.

1. Reg. 28. 12. 15. 16.

Furta

Furta, Calumniæ, Pſeudologiæ & Antilogiæ Fabricij contra Machabæorum libros. §. VII.

PErgo deniq; ad libros Machabæorum, contra quos poſtremùm pro Luthero Prædicans Caluinianus detonat. Pauper Iupiter, qui fulmina furatur, vt iaciat. Argumenta enim quinq; priora, quibus falſi, vel antilogiæ libros illos arguit, penè verbatim deſcripſit ex obiectionibus à Bellarmino allatis, ſed reſponſiones eiuſdem ad illas diligenter diſſimulauit. Comparet, qui volet, primũ Prædicantis argumentũ cum obiectione ſeptima apud Bellarminum, ſecundùm cum tertia, tertium cum quarta, quartum cum octaua, quintum cum ſexta, & videbit quàm in pleriſq; gnauum librariũ egerit Fabricius. Nolo ego reſponſa Bellarmini exſcribere, quæ facilè apud ipſum legi poſſunt, ne artem Fabricij æmulari videar. Hoc tamen demùm adijcit de ſuo, non ex Bellarmino deriuatum argumentum, contra ſecundum Machabæorum librum; *Abſurda*, inquit, *recitantur l. 2. c. 1 de ſacri ignis ex altari à Sacerdotibus ſumpti abſconſione in puteo arido, & conuerſione in aquam denſam.* Nimirum abſurda ſunt Caluiniſtis miracula. Non hoc argumentum, ſed abſurdũ Fabricii conuitiũ eſt, quod nec vnico verbulo probabile facit. Nõ dicere tantùm, ſed monſtrare abſurditates oportuit. Quid verò ad illud reſpondet Prædicans,

Vid. Bell. lib. 1. de ver. Dei c. 15.

2. Mach. 2.

Digitized by Google

dicans, quòd libros hos extruſerit Lutherus, ne preces pro mortuis, quæ illic commendantur, fundere cogeretur? Quid cenſet de ſacrificio pro mortuis à Iuda Hieroſolymam miſſo? *Reſpondeo*, inquit, *falſum eſſe, Iudam Machabæum miſiſſe ſacrificium pro mortuis. Dicit textus, nomine omnium miſiſſe, ſcilicet nomine totius Eccleſiæ, ne ob peccatum iſtorum, qui ceciderant, Deus excandeſceret in totum populum. Quòd autem auctor aliter accipiat & interpretetur, id erroris eſt humani, cùm nec auctoritate Dei nitatur in lege, nec bonorum exemplis.* Imò verò purum putum Prædicantis figmentum eſt, à Iuda populoq; miſſum eſſe ſacrificium, vt diuinam à ſe vltionem auerterent: vbi enim hunc animum fuiſſe Iudæ proditur? Scripturæ teſtimonium requirimus, Prædicantis in hac re coniecturam nihil moramur. Oráſſe Iudæos, vt peccatum perfectè deleatur, miſiſſe Iudam ſacrificium pro peccato, pro mortuis oráſſe, expiationem feciſſe pro mortuis, vt à peccato ſoluantur, in textu ſacro & Græco quidem, quem aduerſarij pluris faciunt, exertè memoratur. Sed Fabricio auctor in his à ſcopo Iudæ aberrat. Quo argumento? Nihil in lege Iudæorum ſcriptũ de oratione pro mortuis; nullum huiuſmodi exemplum in tota reliqua ſcriptura eſt; quaſi verò, quidquid lege ſcripta non continetur, aut ſemel tantùm in ſcriptura legitur, illicò abijciendum ſit. Futiliora ſunt hæc, quàm vt pluribus refutentur.

Valdè

Valdè quoque Fabricio bilem mouit illa ſacri ſcriptoris, poſt factum Iudę narratum, ſubiecta concluſio; *Sancta ergo & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis ſoluantur.* Ait enim, *totam iſtam conſecutionem eſſe ineptam, authoremq́; linguâ, manu, mente titubâſſe, cùm hæc ſcriberet, omninò enim hiulca ſunt, nec cohærent. Ideò Bellarminus addidit particulam ergo, quæ in Græco non reperitur.* Titubâſſet ſanè mens manuſq; Prædicantis, cùm has calumnias in ſacram hiſtoriam & Bellarminum effudit, ſi quid in illo ingenui pudoris fuiſſet. Quis vnquam veterum, ante nouũ iſtum Ariſtarchum, hiulcum aut diſſolutum aliquid in illa ſententia reprehendit? quantæ impudentiæ vox; *ideò Bellarminus addidit particulam ergo,* quia ſcilicet hiare, maleq́ue cohærere ſententiam notârat: cùm vocula, *Ergo*, multis ante Bellarminum ſæculis, in vulgata editione comparuerit. Nec malè à vulgato interprete poſita eſt, quæ Græci textus ſenſui minimè repugnat. Cùm enim auctor dixiſſet, Iudam cogitâſſe, quòd ijs, qui cum pietate dormitionem acceperunt, optima repoſita ſit gratia, hæc, ſi ex Græco ad verbum reddantur, ſubiecit. *Sancta & pia cogitatio; Vnde pro defunctis expiationem fecit, vt à peccato ſoluantur.* Quid hîc hiat? quid non cohæret? Narrationi laudatoria exclamatio, & huic ſubiungitur Concluſio. Quid eſt dicere, ὅθεν, *vnde*, quàm *ideò*, ſeu, *eam ob rem*? Quid igitur peccauit Vulgatus, cùm & ipſe collectiuam, *ergo*

2. Mach. 12.46.

vſurpauit? Sed en tertiam Fabricii calumniam. *Quid ni liber ille,* inquit, *tale quid contineret, quod paganiſmum ſapit? quandoquidem totus ille liber ex quinq; Iaſonis Cyrenæi voluminibus contexitur; vt ex authoris confeſſione colligitur.* Hanc à VVittakero emendicatam calumniam egregiè diluit Serarius noſter in lib. 2. Machab. c. 2. Quo enim argumento probabit nobis Prædicans, Iaſonē iſtum hominem gentilem fuiſſe, quem piū Iudæum veriſimilibus documentis Serarius fuiſſe oſtendit? Nec vnicum habuit argumentulum, quod pluribus Serarij argumentis opponeret. Quare vltimum arietem admouet, ſed illum quoq; infeliciſſimè. *Addimus,* ait, *ſupradictis, Iudam Machabæū in illis ſacrificiis pro mortuis non cogitâſſe de expiatione mortuorum, ſiquidē ceciderant in peccato* (vt vocant) *mortali, ſed ex textu habemus cogitâſſe de reſurrectione. Tum enim Iudæi ex traditione humana preces fundebant pro reſurrectione mortuorum, quam futurā credebant. Quid hoc ad tua patrocinia pro animabus in purgatorio?* Quis hic falſitates & antilogias Prædicantis numeret? Falſum eſt Iudam non cogitâſſe de expiatione mortuorum, cùm Græcus textus meminerit claris verbis, Iudā ex eo, quòd ſanctè cogitâſſet piè defunctis optimā gratiam eſſe repoſitam, feciſſe expiationē pro mortuis, vt à peccato ſoluantur. ὅθεν περὶ τῶν τεθνηκότων τὸν ἐξιλασμὸν ἐποιήσατο τῆς ἁμαρτίας ἀπολυθῆναι. Sed ex textu, inquiet Fabricius, *habemus cogitaſſe de reſurrectione.* Quid tum? Ergo non de expiatione? Prædicantica conſe-

cutio,

cutio, hoc eſt, nulla. An cogitatio de expiatione cogitationi de reſurrectione repugnat? imò illa ex iſta ſequitur, eiq; rectè ſuccedit. Quia enim cogitabat Iudas eos, qui ceciderant, aliquando reſurrecturos, & quod conſequēs eſt, animas illorum minimè interiiſſe, ſed ſuperſtites eſſe, ideò pro illis, ſi quam pœnam temporariā luendā reliquam haberent, precari & ſacrificare optimum factu duxit. Falſum & illud eſt, aut certè incertum, temerariumq;, *in peccato mortali iſtos deceſſiſſe*, cùm à Iuda patriis ſepulchris illati, & cum pietate dormitionem accepiſſe iudicati ſint. Rectè pro defunctis fidelibus, de quorum ſtatu nihil nobis certi conſtat, oratur. Quid tu impœnitentiæ damnas eos, Prædicans, quos peccati, vel in vltimo ſpiritu, pœnituiſſe potuit? Sed ſi in peccato ceciderunt, atq; ità de iis commilites cum Duce Iuda cenſuerunt, quomodo pro reſurrectione illorum Iudam cum exercitu oràſſe, dicis? Damnati reſurgere ad vitam æternam non poſſunt; ergo illis, quos æternis ſuppliciis addictos putabant, lætam reſurrectionem à Deo precari non potuerunt. Quid ergo? an reſurrectionem ad commune corporis animæq; ſupplicium perpetuò ferendum iis precati ſunt? Non decet homines, nedum amicos tam dira imprecatio. Quid iam ais, Fabrici, oràſſe Iudam pro reſurrectione cæſorum, qui paulò antè ſacrificia preceſque feciſſe illum hoc fine tantùm dixi-

dixiſti, ne *Deus, ob peccatum eorum, qui ceciderant, excande-ſceret in totum populum?* Talibus Antilogiis & Pſeudologiis ſcilicet concluſam oportuit Lutheranæ in ſacros Codices ſæuitiæ defenſionem, vt Patronus cum reo damnaretur.

Sed exſpectat fortaſſe Fabricius, vt pauculas aliquas vulgatæ Editionis ſententias vice talionis ab ipſo prolatas, & de corruptelà diffamatas, ab infamia liberem. Facerem, niſi id prolixè iam feciſſent antè alij. Sententias enim quatuor ex Geneſi, vnā ex Euangelio Ioannis, tres ex Epiſtolis Pauli ad Epheſios & Hebræos à Prædicante allatas, præclarè defenderūt Bellarminus in opere Controuerſiarū, & Gretſerus in eiuſdem operis defenſione contra Kemnitium, VVittakerum, & alios. Præter has ab iſtis vindicatas, aliam quandam, ex Epiſtola ad Coloſſenſes c. 4. v. 11. 16. Fabricius vellicat. *In Epiſtola ad Coloſſenſes,* inquit, *legunt Pontificij.* Illa, quæ eſt Laodicenſium, *vt probent aliquas Epiſtolas deeſſe, nec ſcripturam eſſe perfectam. At ex Græco legi debet,* Illa, quæ eſt ex Laodicea.) Iniuriam facit Pontificiis Prædicans, ideò ſic eos legere, vt probent aliquas Pauli Epiſtolas deeſſe. Eam enim, de qua Paulus meminit, non Pauli ad Laodicenſes, ſed Laodicenſium ad Paulum, vel certè ad Coloſſenſes Epiſtolam eſſe, cum Chryſoſtomo & Theodoreto communiter ſentiunt Catholici, eamq; quæ circumfertur Pauli ad Laodicen-

pag. 83. & 84.

Bell l. 2. de verbo Dei c. 12 & 14. Gretſ. Tom. 1. defenſ. Bell. l. 2. c. 12. & 14.

Vid. Cornel. à Lapide in Epiſt. Col. c. 4. v. 16.

cenſes, tanquam ſuppoſititiam cum Hieronymo explodunt. Nec verò lectio vulgata Græco textui repugnat, ſed mirè conſentit, cùm eam, quæ ex Laodicea eſt, Laodicenſium vocat, non ad ipſos ſcilicet, ſed ab ipſis, vtiq; ex Laodicea, datam Non opus eſt Catholicis hoc loco, vt probent, non omnes Epiſtolas Pauli extare: alius ſuppetit illis. Vbi illa eſt Epiſtola, de qua in priore ad Corinthios ait Paulus; *Scripſi vobis in Epiſtola, ne commiſceamini cum fornicariis?* Dices cum Chryſoſtomo & Theodoreto illam ipſam eſſe. Sed aliam anteriorem intelligi, poſt S. Thomã, Lyranum, Caietanum, Beza tuus acriter contendit. *Scio*, inquit, *hæc poſſe de hac ipſa Epiſtola accipi: quoniam paulò antè monuerat de expurgando fermento. Sed ſi quis hoc conferat cum his;* Nunc autem ſcripſi vobis. *v. 15. mox ſequente, comperiet hoc omninò intelligendum eſſe de quapiam alia Epiſtola, quæ interciderit. Nec enim etiam probabile eſt, Paulum plures Epiſtolas tot annis non ſcripſiſſe, quàm quæ hodie extant.* I nunc, Fabrici, & iraſcere Catholicis, ſi dicant, non omnes ſacros libros extare, cùm id de Pauli literis propalàm Beza tuus aſſerat, tueaturque. Sed iam ſatis de miſero & infauſto Lutheri, quâ ſacræ ſcripturæ corruptor fuit, patrocinio diſputatum. Melioribus Patronis, quàm hoc par diſparium Prædicantium ſit, opus habet Lutherus, vt ſacrilegi falſarij crimine abſoluatur.

S. Hierō. in Catal. ſcript. Eccleſ.

1. Cor. 5. 14.

Beza in nou. Teſt. Annot. in. 1. Cor. c. 5.

Digitized by Google

CAPVT. V.

CORONIS FABRICIANA DE RO-manæ Eccleſiæ, in Sacræ Scripturæ interpreta-tionibus, à veteri Eccleſia diſsidio ex-cutitur.

VT omnem vim atque robur ſecundi funda-menti de magiſterio Catholicæ Eccleſiæ no-bis eripiat Fabricius, extremo loco inſtruit coronidem, *qua*, inquit, *oſtenditur, interpretationes ſcriptu-rarum, quas docet Eccleſia Romana, longè abeſſe à Magiſterio Eccleſiæ vniuerſalis, prout à prima ætate usque ad hanc interpre-tata fuit ſcripturas.* Viciſti, Fabrici, ſi quod nouo auſu polliceris, oſtendis. Sed ab impudentià, fraudu-lentià, inſcitià te in triumphum duci res ipſa oſten-det. Ad antiquitatis tribunal, quod aliàs & fugere, & ſpernere Prædicantibus ſolenne eſt, vocamur: nihil potuit nobis euenire optatius: libentiſſimè comparemus. Accuſamur in quatuor doctrinæ capitibus, de quibus in ſcripturæ expoſitione à ve-teri Eccleſia Catholica maximè diſſideamus. Sunt Euchariſtia, Purgatorium, Imaginum cultus, In-uocatio ſanctorum. De ſingulis ordine reſpondeamus. Ab Euchariſtia ordiamur.

Fabri-

Digitized by Google

Fabricius Iuris Canonici imperitiſſimus, ex eo de verbis Dominicæ Cœnæ inſulſiſſimè diſputat, eorumq́ abſurſurdiſſimam interpretationem SS. Patribus affingit. §. I.

PRoducit Prædicans in medium verba illa Chriſti ſacroſancta, *Hoc eſt corpus meum*, & antiquam eorum interpretationem, quam SS. Patres tradidêre, à Romana Eccleſia reiectam eſſe quiritatur. Exordium querelæ iſtud eſt. (*Hoc*) *Eccleſia Romana interpretatur nihil, id eſt, nec panis, nec corpus Chriſti. diſt. 2. de Conſecr. Dico, quòd per hanc dictionem, Hoc, nihil demonſtretur.* O fraudulentum caput! in margine Canonem, in textu Eccleſiam Romanam nominat; & tamen hæc verba, nec in Canone, *Timorem*, reperiuntur, nec ab Eccleſia Romana, aut eius ſummo Antiſtite prolata ſunt. Gloſſæ, quam Prædicans malignè tacet, verba ſunt: at nec Gloſſa Canon, nec illius auctor Eccleſia Romana eſt. Sed pergit Fabricius, quod orſus, facere, hoc eſt, fallere. *Omnes*, inquit, *Pontificij reijciunt expoſitionem huius pronominis, Hoc, id eſt, Panis. Attamen ea fuit interpretatio Eccleſiæ vniuerſalis.* Quem panē intelligis pronomine, *Hoc*, ab vniuerſa Eccleſia ſignificari, & à Pontificiis excludi? An eū, qui maneat, nec in corpus Chriſti mutetur? Nullam Pontificiis, ſed Eccleſiæ antiquæ inſignem iniuriam facis. Non hæc veteris Eccleſiæ Catholicæ interpretatio, ſed nouellæ Synagogæ Caluinianæ corruptela eſt.

Diſt. 2. de conſec. Can. Timorem.

Digitized by Google

An eum, qui deſinat, & in Chriſti corpus vertatur? Si hanc intelligis, non quidem in antiquos Patres, ſed in Pontificios contumelioſus es. Neq; enim Pontificij expoſitionem hanc reijciunt de pane mutato. Audi Bellarminum vel maximè Pontificium. *Si Dominus ait, Hic panis eſt corpus meum, neceſſariò ſequitur, vt aut falſa ſit Domini ſententia, ſi nimirum propriè panis materialis dicatur eſſe corpus Domini, quod apertè implicat contradictionem: aut panis ſit corpus non propriè, ſed figuratè, quod volunt Caluiniſtæ: aut deniq; panis non manens panis, ſed benedictione mutatus ſit in corpus Domini, quæ eſt ſententia Eccleſiæ Catholicæ, & veriſſima.* Audis, Fabrici, Eccleſiæ ſententiâ Chriſtum locutum eſſe de pane, qui non maneat, ſed mutetur in corpus illius. Quid quòd tu ipſe illicò ais; *Coacta fuit Eccleſia Romana tandem ſic exponere: de Conſecration. enim diſt. 2. totidem verbis dicit.* Panis eſt corpus Chriſti. *At non placuit diu iſta expoſitio.* Hoc verè dixiſti, quòd Eccleſia in Canone, qui ex S. Auguſtino deſumptus eſt, dicat cum Auguſtino, *Panis eſt corpus Chriſti*: falſò ergò illud antè à te dictum, quòd omnes Pontificij reijciant hanc expoſitionem: imò & hîc, quin vero falſa miſceres, abſtinere non potuiſti: nam & coactam eſſe tandē Eccleſiam ad hanc expoſitionem, & eam non diu illi placuiſſe, vtrumq; tam falſum eſt, vt quo prius probes, nihil habeas, & vix plus nihilo, quo poſterius. *Gloſſa enim,* ais, *eadem diſt. Canone Timorem, reuocat ſtatim.*

lib. 3. de Euchar. c. 23. ad arg. 3.

De Conſecr: diſt. 2. Can. Qui manducant.

tum. Solet quæri, quid per pronomen hoc demonſtretur. Panis non. Ita Gloſſa. Itáne ergo Eccleſia? iterum, inepte, de Gloſſa Eccleſiam facis. Sed quomodo Gloſſa Canone, *Timorem*, reuocat ſtatim, quod placuit Eccleſiæ in Canone, *Qui manducant?* An Canon *Timorem*, Canonem, *Qui manducant* paruo interuallo ſequitur? imò longo multarum paginarum interuallo antecedit. Quis ergo non videt, Fabricium more Andabatarum clauſis oculis pugnare, & Iure Canonico nunquam inſpecto, quæ apud ſuos Symmyſtas temerè collegit, effutire? Nec verò deniq; eo loco Gloſſa Canoni, qui multò poſt ſequitur, repugnat. Gloſſa enim negat demonſtrari panem materialem, cuius ſubſtantia maneat, vt ex adiuncta ratione patet. *Quia*, inquit, *ille non eſt corpus Chriſti.* Canon verò, *qui manducant*, de pane, per conſecrationem mutato, qui iam non ſubſtantia, ſed externa tantùm ſpecie panis eſt, loquitur, indicatq; id, quod oculis corporis panis eſt, fideli menti corpus eſſe Chriſti. *Quod videtur*, inquit, *panis eſt, quod autem fides poſtulat inſtruenda, panis eſt corpus Chriſti:* Et mox: *aliud videtur, aliud intelligitur: quod videtur, ſpeciem habet corporalem; quod intelligitur, fructum habet ſpiritualem.* Vides, Fabrici, per panem, qui videtur, non intelligi eum, qui ſubſtantiam, ſed ſpeciem habet corporalem, ſenſumq; locutionis eſſe; Id quod videtur eſſe panis, quod ſpeciem panis habet, quod ſub ſpeciebus pa-

Digitized by Google

nis continetur, eſt corpus Chriſti. Certè poteras hoc ex ipſa Gloſſa, ſi eam inſpexiſſes, diſcere, quæ non alibi, vt tu fingis, hanc propoſitionem reuocat, aut damnat, ſed hîc commodè ità explicat. *Panis eſt, id eſt, ſpecies panis.* Ergo, etſi alibi Gloſſæ diſpliceat panem ſecundùm ſubſtantiam intelligi per pronomen *hoc*, quòd ſubſtantia panis minimè poſſit eſſe ſubſtantia carnis; hic tamen illi haud diſplicet, panem ſecundùm ſpeciem denotari, cùm veriſſimum ſit, hoc, quod panis ſpeciem habet, ſeu ſub ſpecie panis deliteſcit, eſſe corpus Chriſti. At verò hæc expoſitio de pane mutato in corpus Chriſti, vt iam non panis, ſed ſacratiſſimæ carnis ſubſtantia verè adſit, minimè ſapit Caluiniano palato. *Videamus*, inquit Fabricius, *totius ſententiæ, hoc eſt corpus meum, veram expoſitionem: & an Eccleſiæ Romanæ expoſitio conformis ſit primæuæ, quam ſecuta fuit Eccleſia vniuerſalis. Hæc eſt primæua expoſitio, ſcilicet panem & vinum non mutare ſubſtantiam, eſſe verè corpus Chriſti, quia figura corporis Chriſti.* Non primæua, ſed ſerò eodem autore Berengario, quo nata, extincta, & noſtro demùm æuo cum Caluino renata eſt abſurdiſſima hæc expoſitio. Quid enim abſurdius, quàm dicere, *Panem eſſe verè corpus Chriſti, quia figura corporis Chriſti?* An tauri, hirci, vituli antiquitùs Deo ritè oblati, quia figura corporis Chriſti erant, verè corpus Chriſti fuerunt? An hedera, quia ſignum vendibi-

dibi-

Digitized by Google

dibilis vini eſt, verè vinum eſt ? Et tamen hoc inſulſiſſimum figmentum Fabricius primæuum facere, vetuſtiſſimiſq; Patribus tribuere audet. Quibus? Iuſtino, Irenæo, Tertulliano, Cypriano, Cyrillo Alexandrino, Hieronymo, Ambroſio, Auguſtino, Theodoreto, Macario, Vigilio. Horum ſententiolas ſiue obſcuriuſculas, ſiue mutilas more ſuo recitat Prædicans, vt incauto lectori Paradoxum Caluinianum perſuadeat Recenſeamus allegationes Fabricij, & cenſeamus breuiter, vt hominis fucum æquus lector videat.

Fabricius pro Cœna Caluiniſtica Iuſtinum & Irenæum doloſè mutilat: Tertullianum perperam producit. §. II.

ORdiamur ab antiquiſſimo Iuſtino. Quid de illo Prædicans? *Iuſtinus Martyr Anno à Chriſto 150. dicit Diaconos ſolere diſtribuere panem & vinum conſecratum actione gratiarum, dicitq; eſſe cibum, quo caro noſtra & ſanguis aluntur.* Fraudulenter multa Iuſtini verba, quibus & panis mutationem in corpus Chriſti, & veram carnis Chriſti præſentiam, liquidò docet, ſupprimit Prædicans, & inſuper apertam Iuſtino iniuriam facit, quaſi dicat panem conſecratum eſſe cibum, quo caro noſtra & ſanguis aluntur. Recito verba Iuſtini, vt fraudem & iniuriam Fabricij omnes videant. *Non vt communem*

Apol. 2. ad Ant. Imper.

munem

Apol. 2. ad Anton Pium. circà fin.

munem panem, inquit Iuſtinus, *nec vt communem potiùm hæc ſumimus, ſed quemadmodum per verbum Dei incarnatus Ieſus Chriſtus Saluator noſter, & carnem, & ſanguinem pro noſtra ſalute habuit, ſic etiam per preces verbi Dei ab ipſo gratiarum actione conſecratum cibum, ex quo ſanguis, & carnes noſtræ per mutationem aluntur, illius incarnati Ieſu & carnem, & ſanguinem eſſe edocti ſumus.* Quid clarius aduerſùs Caluinianam figuram dici potuit? Panis conſecratus Iuſtini ſententiâ tam verè caro eſt & ſanguis Chriſti, quàm verè Chriſtus incarnatus carnem habuit & ſanguinem. An Chriſto figuratam carnem cum Marcione & Cerdone tribues, Prædicans, vt in Euchariſtia figuram corporis Chriſti ſine veritate defendas? Sic panis per ſacras preces Euchariſtia factus, eſt corpus & ſanguis Chriſti, ſicut Chriſtus per verbum Dei incarnatus, carnem & ſanguinem habuit pro noſtra ſalute. Excluſus eſt tropus. Ergo aut panis in corpus mutatus, aut carnis paniſq; natura vno coniuncta eſt ſuppoſito. Hoc nemo dixerit: illud ergo Iuſtinus tam clara ſimilitudine ſignificat, cùm nec verbulo figuræ mentionem faciens panem ſacratum tam corpus eſſe Chriſti tradit, quàm verbum caro factum eſt. Retecta fraus Fabricij: iniuriam monſtremus. Vbi Iuſtinus, mi homo, ait, panem conſecratum eſſe cibum, quo carnes noſtræ aluntur, quod tu illi tribuis? Non hoc dicit, ſed conſecratum cibum, quo carnes noſtræ aluntur, eſſe

eſſe incarnati Ieſu carnem Quàm diuerſæ ſunt propoſitiones! *Panis conſecratus eſt cibus, quo carnes noſtræ aluntur*, Et, *Conſecratus panis, quo carnes noſtræ aluntur, eſt incarnati Chriſti corpus.* Illam Fabricius iniquiſſimè Iuſtino, ad Caluiniſtica liba, quæ in cœna ſua Caluiniſtæ porrigunt, defendenda, affingit; hanc rectiſſimè Iuſtinus protulit, & panem, quo alimur, per conſecrationem corpus Chriſti fieri ſignificauit.

Pergo ad Irenæum, cuius hæc verba profert Prædicans, pro Caluiniſtico grege contra Romanam Eccleſiam. *Panis, in quo gratiæ actæ ſunt, eſt corpus Chriſti.* Iterum fallax breuitas. Quid enim, Fabrici, ex pauculis iſtis verbis exſculpes? An Caluiniſticam figuram, & manentem panis ſubſtantiam? Imò ſi adiuncta Irenæi alia verba non ſubdolè ſuppreſſiſſes, manifeſtum feciſſes, de vera corporis Chriſti præſentiâ, paneq; diuini verbi potentiâ in corpus Domini conuerſo, Irenæum locutum eſſe. Age enim, Fabrici, aduerſùs quos illic diſputat Irenæus? nónne illos, qui Euchariſtiam quidem celebrabant, ſed Chriſtum Dei creatoris filium negabant? quo ergo argumento illos ferit, vt Chriſtum Dei filium eos fateri cogat? *Quomodo*, inquit, *conſtabit eis, cum panem, in quo gratiæ actæ ſunt, corpus eſſe Domini ſui, & calicem ſanguinis eius, ſi non ipſum fabricatoris mundi filium dicant, id eſt, Verbum eius, per quod lignum fructificat, &* *l. 4. contra hæreſ. c. 34.*

Nn *defluunt*

deſluunt fontes, & terra dat primùm quidem fœnum, poſt deinde ſpicam, deinde plenum triticum in ſpica? Chriſtum ergo filium Creatoris mundi, verbumq́ue Patris æternum eſſe, contra hæreticos id negantes, demonſtrat Irenæus ex pane Euchariſtico, quem corpus Chriſti eſſe iidem fatebantur. Qualis verò hæc, quantaq; demonſtratio, ſi panis Euchariſticus meriſſima corporis Chriſti figura eſt? An ad hoc, vt panem ſignum corporis ſui faceret Chriſtus, neceſſe erat, vt eſſet filius fabricatoris mundi, & verbum, quo omnia potentiſſimè facta ſunt? An omnipotentis Dei ſcilicet opus eſt ſignum inſtituere? De actione Euchariſtica loquitur, quæ non minùs Verbum Patris, rerum omnium conditoris requirat, atq; prima vitium vuarumq́;, maris ac fontium, terræ frugumq; creatio. Quænam talis, niſi qua Chriſtus verbo ſuum de pane corpus confecit, miraq́; virtute verè præſens conſtituit? Certè ſi verè præſens corpus Chriſti in Euchariſtia Irenæus non agnouiſſet, non alterum hoc breue argumentum contra eoſdem hæreticos, carnis reſurrectionem negantes adiunxiſſet. *Quomodo autem rurſus dicunt carnem in corruptionem deuenire, & non percipere vitam, quæ à corpore Domini & ſanguine alitur?* Si caro noſtra etiam eo nomine immortalitatem exſpectat, quia ſacro Chriſti corpore alitur, reipſa illud adſit in Euchariſtia neceſſe eſt, neq; enim corpore cœlos tranſcendimus, cùm Euchariſtiam ſumi-

ſumimus, vt corpore Chriſti apud ſuperos caro noſtra veſcatur. Vnde mox corpus Chriſti, cuius perceptione corpora noſtra aliquando incorruptibilia erunt, rem cœleſtem vocat, ex qua Euchariſtiam, quæ non eſt communis Panis, poſt inuocationem Dei, dicit conſtare. Abuſus ergo & Irenæi auctoritate pro ſuo Tropo eſt Fabricius.

Sed quid Tertullianus, cuius duas ex libris contra Marcionem ſententias adducit, in hac cauſa? Primam ex 3. lib. c. 19. ita refert; *Deus in Euangelio panem corpus ſuum appellat.* An Panem, qui ſecundùm ſubſtantiam maneat, & abſentis ſit figura corporis, quæ Caluiniſtarum eſt expoſitio? Minimè verò. De figurato pane & vero corpore loquitur, vt clarè ex præcedentibus conſtat. *Hoc lignum*, dicit Marcioni Tertullianus, *& Hieremias tibi inſinuat dicturis prædicans Iudæis: Venite mittamus lignum in panem eius, vtique in corpus. Sic enim Deus in Euangelio quoque veſtro reuelauit, panem corpus ſuum appellans.* An Iudæi in verum panem, in figuram corporis ſe lignum miſſuros dixêre? Verúſne panis, qui tantùm corporis Chriſti figura fuit, crucifixus eſt? Panis dicitur, corpus intelligitur: hoc vtique verum in crucem actum eſt. Si ergo ſic, vt ſcilicet apud Hieremiam Iudæi, Panem corpus ſuum appellat Chriſtus, vtique non de pane materiali, qui maneat, nudaque corporis figura ſit, ſed de vero corpore ſub panis figura porrigendo

in cibum, & mox pro nobis ſub propria ſpecie cruci in ſalutem tradendo locutus eſt, cùm panem oſtendens dixerit, *hoc eſt corpus meum, quod pro vobis traditur.* Non panis, non figura corporis, ſed verum corpus traditum eſt. Altera ſententia ex quinto libro Tertulliani contra Marcionem cap. 40. hæc profertur à Fabricio. *Acceptum panem & diſtributum diſcipulis, corpus ſuum illum fecit, hoc eſt corpus meum, dicendo, id eſt, figura corporis mei. Figura autem non fuiſſet, niſi veritatis eſſet corpus.* Quomodo ſecundùm Tertullianum panis tantùm eſt figura corporis Chriſti, ſuamq; ſeruat ſubſtantiam, ſi Chriſtus panem corpus ſuum fecit? An Chriſtus panem fecit tantùm figuram corporis ſui? Ergo, quod continuò pro nobis tradendum dixit, de figura corporis ſui, de pane intellexit? Ergo, vt cum Tertulliano loquamur, panem debuit tradere pro nobis? *Faciebat ad vanitatem Marcionis (Caluinianorum) vt panis crucifigeretur pro nobis.* Chriſtus panem, non figuram corporis, qualis iam olim in veteri teſtamento fuerat, ſed ipſum corpus ſuum, quod antè non erat, fecit. Verba igitur illa, *id eſt, figura corporis mei,* non ad *corpus meum,* ſed ad particulam, *hoc,* quæ præceſſit, interpretandam pertinet, vt ſenſus verborum Chriſti iſte fuiſſe intelligatur; Hoc, quod hactenus fuit in veteri lege figura corporis mei, nunc miranda verborum meorum potentia mutatum, verè ac reipſa eſt corpus meum.

Hanc

Digitized by Google

Hanc ſuam mentem Tertullianus ſatis prodidit iſtis ſequentibus; *Figura autem non fuiſſet, niſi veritatis eſſet corpus.* De figura præterita veteris ſcilicet Teſtamenti, & de veritate præſenti, nimirum noui teſtamenti loquitur. In antiqua lege fuit figura corporis Chriſti, in noua eſt veritas: niſi enim verum nunc haberet Chriſtus corpus, figura illius non præceſſiſſet olim. Nam, vt ſubiungit Tertullianus, *vacua res, quod eſt phantaſma, figuram capere non poſſet.* Certè ſi de figura corporis Chriſti præſenti, nouiq; Teſtamenti propria loqui voluiſſet, vtiq; dixiſſet in præſenti, *Figura autem non eſſet*, ſicut præſenti vſus, de veritate corporis dixit, *niſi veritatis eſſet corpus.* At cùm dixerit, *figura non fuiſſet*, de veteri figura, præteritaq; ſe loqui oſtendit, idq; apertiùs inſequentibus indicauit, cùm quærens, cur Chriſtus *panem corpus ſuum appellet, & non magis peponem, quem Marcion cordis loco habuit*, hanc reddit, *veterem* ſcilicet *fuiſſe iſtam figuram corporis Chriſti dicentis per Hieremiam; Aduerſus me cogitauerunt cogitatum dicentes; venite proijciamus lignum in panem, ſcilicet crucem in corpus eius. Itaq; illuminator antiquitatum*(Chriſtus videlicet) *quid tum voluerit ſignificaſſe panem, ſatis declarauit, corpus ſuum panem vocans.* Vides, Fabrici, quàm omnia Tertullianus non ad hodiernam aliquam figuram, ſed ad præteritam veteris Teſtamenti ſignificationem referat. Veterem fuiſſe figuram in Hieremia, tunc ſignificaſſe panem, antiquitatem hanc inter cæteras

à Chriſto illuminatam eſſe memorat. De figura præſenti nec verbum hîc in Tertulliano, qui toto libro diſputat, quomodo figuræ veteris legis veritate in nouo Teſtamento impletæ ſint. Sed vt liberaliſſimè agamus, demus hoc mendicanti Fabricio, à Tertulliano etiam hoc loco in Euchariſtia figuram quandam corporis Chriſti denotari, an hinc concludet panis ſubſtantiam adeſſe, & corpus Chriſti abeſſe? Malè profectò. Non enim ſemper res à ſigno aut figura excluditur, ſed nonnunquam cum ſigno coniuncta eſt. Et Chriſti verba, & externa Euchariſtici panis figura Chriſti corpus ſignificant, ſed verè præſens continent & exhibent. Symbola noſtra non inania ſunt, ſed plena; dant vberrimè, quod repræſentant. Talis hæc eſt Caluiniſtarum de Sacramento conſecutio. *Hoc Sacramentum eſt ſignum & figura corporis Chriſti, ergo verè non adeſt corpus Chriſti*; quales illæ olim Marcionitarum de Chriſto ex litteris Apoſtoli ad Philippenſes deſumptæ; *Chriſtus accepit formam ſerui, ergo non veritatem; factus eſt in ſimilitudinem hominis, ergo non homo; habitu inuentus vt homo, ergo non ſubſtantia & carne*. Inſanæ illationes, quarum exemplo etiam Chriſti diuinitas impugnetur, cùm eodem loco Paulus dicat, eum in forma Dei fuiſſe, & alibi figuram ſubſtantiæ Patris appellet, quod acutè contra Marcionem libro quinto diſputans, obſeruauit Tertullianus.

nus. *Quaſi*, ait, *non etiam figura, & ſimilitudo, & effigies ſubſtantiæ quoque accedant. Benè autem, quòd & alibi Chriſtum imaginem inuiſibilis Dei appellat. Nunquid ergo & hic, qui in effigie eum Dei collocat, æquè non erit Deus Chriſtus verè, ſi nec homo verè fuit in effigie hominis conſtitutus?* Nihil ergo ſubſidij è Tertulliano habet Fabricius pro vacua ſua figura contra veritatem corporis Chriſti in Euchariſtia, etſi de figura ſacramenti loco citato locutus fuiſſet, cùm præſertim alibi apertè doceat, corpus & ſanguinem Chriſti in Euchariſtia verè etiam ore corporis guſtari, quod & ſuprà ex Irenæo audiuimus. *Caro*, inquit Tertullianus, *corpore & ſanguine Chriſti veſcitur, vt & anima de Deo ſaginetur.* Satis de Tertulliano. *lib. de reſur. carn. c. 8.*

Cyprianus, Cyrillus Alex. Hieron. Ambroſ. Auguſt. corruptè ac doloſè à Fabricio producuntur. §. *III.*

POſt Tertullianum Cypriani duas ſententias Prædicans partim corruptè recitat, partim inſcitè ad ſuum Tropum torquet. Primam ſententiam ex lib. 1. Ep. 6. (aliàs Ep. 76.) bis intrà non multos verſus diſſimiliter allegat: primùm quidem ità; *Dominus vocauit panem corpus ſuum, dicens, panis eſt corpus Chriſti.* At hæc verba poſteriora, *dicens, panis eſt corpus Chriſti*, Cypriani minimè ſunt, ſed à Fabricio doloſè, imò inſcitè aſſuta: potiùs enim Cyprianus, ſi tale aliquid voluiſſet, dicere debuiſſet,

ſet, *Dominus vocat panem corpus ſuum, dicens, panis eſt corpus meum,* quàm, *corpus Chriſti.* Verùm nihil horum, quæ eodem typo referuntur à Fabricio, reperitur, vt dixi, in Cypriano. Secundò ergo paulùm infra rectiùs, fideliuſq; ſic recitat; *Dominus corpus ſuum panem vocat de multorum granorum adunatione congeſtum.* Sed mox Caluiniſticam, hoc eſt, falſam conſequentiam hanc annectit. *Senſit ergo Cyprianus naturam panis remanere.* Fabricius ſomnium ſuum, non Cypriani ſenſum profert: eo enim loco Cyprianus ſolùm oſtendit, vnitatem Chriſtiani populi inter plura alia, etiam in ſacrificio Dominico eſſe à Domino delineatam, cùm panem & vinum voluit deligere, è quibus corpus & ſanguinem ſuum verbo conficeret. Sic habet integer locus Cypriani. *Deniq; vnanimitatem Chriſtianam firmam ſibi atq; inſeparabili charitate connexam, etiam ipſa Dominica ſacrificia declarant. Nam, quando Dominus corpus ſuum panem vocat de multorum granorum adunatione congeſtum, populum noſtrum, quem portabat, indicat adunatum.* Quo verbo hîc indicat Cyprianus panem, quem Chriſtus vocauit corpus ſuum, poſt illam vocationem manſiſſe panem ſecundùm ſubſtantiam? Nullo. Nam, vt rectè iam olim Petro Martyri hoc Cypriani dictum obijcienti reſpondit Bellarminus, *panis vocatus eſt corpus, ſed ipſa vocatione factus eſt verè corpus: & ideò non ſequitur, panem, dum eſt panis, eſſe corpus; ſed qui fuerat panis, iam eſſe corpus: quemadmodum, cùm exercitus priuatum*

lib. 2. de Euchar. c. 9.

aliquem

aliquem militem appellabat Imperatorem, ipſa appellatione fiebat ipſe Imperator, nec poterat dici, homo priuatus eſt Imperator, ſed qui fuerat paulò antè priuatus, nunc eſt Imperator. Alteram Cypriani ſententiam ex Ep. 3. l. 2. (aliàs Ep. 63.) iſtam depromit Prædicans. *Calix, qui in commemorationem eius offertur, mixtus vino offeratur; nam cùm dicat Chriſtus, Ego ſum vitis vera, ſanguis Chriſti non aqua eſt vtiq;, ſed vinum.* Aduerſùs Aquarios, qui in ſola aqua offerebant, diſputat, & calicem ex traditione Chriſti vino mixtum offerendum eſſe demonſtrat. *Admonitos,* inquit Cæcilio Cyprianus, *nos ſcias, vt in calice offerendo Dominica traditio ſeruetur, neq; aliud fiat à nobis, quàm quod pro nobis Dominus prior fecerit, vt calix, qui in commemorationem eius offertur, mixtus vino offeratur &c.* Huius ſententiæ priora verba Fabricius, hoſtis diuinæ traditionis nullo ſcripto proditæ, qualis eſt hæc de aqua calici Dominico miſcenda, ne ſeipſum feriret, ſubdolè omiſit, & particula, *vt*, reſecta, ac ſi nihil anteceſſiſſet, ab illis poſterioribus, *Calix, qui in commemorationem &c.* vt nos feriret, cæpit. Sed profectò & hic quoq; ſe tangit; nam Caluiniſta verum Chriſti ſanguinem in calice negat, verum vinum affirmat eſſe; Cyprianus verò hîc de vero Chriſti ſanguine, non vino loquitur. Etenim ex eo ſanguinem Chriſti vinum eſſe probat, quòd Chriſtus dixerit, *Ego ſum vitis vera*: ſi enim Chriſtus vitis, ſanguis eius vinum eſt. At Chriſtus ſe vitem non per proprietatem, ſed ſecun-

dùm ſimilitudinem apertè dixit, ergo & ſanguis eius non proprietate, ſed ſimilitudine vinum eſt. Nimirum in calice verè ſanguis eſt ſecundùm ſubſtantiam, non ſecundùm externam effigiem, vino ſecundùm exteriorem ſpeciem, non ſecundùm internam naturam manente repræſentatus: quod ipſum ſequentibus verbis præclarè declarat Cyprianus. *Nec poteſt videri ſanguis eius, quo redempti & viuificati ſumus, eſſe in calice, quando vinum deſit calici, quo Chriſti ſanguis oſtenditur.* Sed hæc verba itidem mutilè recitauit Fabricius, cùm iſta ſolùm à Cypriano addita memorat. *Vinum eſt, quo ſanguis Chriſti oſtenditur.* Vbi frons? vbi fides Prædicantis? Non ait Cyprianus vinum eſſe, quo ſanguis Chriſti oſtenditur, ſed, ſi vinū deſit calici, quo ſanguis Chriſti oſtenditur, non poſſe videri Chriſti ſanguinem, quo redempti ſumus, eſſe in calice. Annón his verbis clarè docet Cyprianus, verum illum ſanguinem, quo redempti ſumus, eſſe in calice, non ſuâ tamen, ſed alienâ, nec alterius liquoris, quàm vini ſpecie poſſe oſtendi ac videri? Vinum videtur, non eſt; ſanguis eſt, & videtur non ſua, ſed vini ſpecie; ſi vinum deſit calici, &, quod faciebant Aquarij, aqua infundatur, nunquam ſanguis Chriſti poterit videri eſſe in calice; noluit enim aquæ, ſed vini ſpecie verè præſentem, ſed latentem ſanguinem ſuum exhibere Chriſtus, ſicut corpus ſub ſpecie panis, quia in veteri

veteri Teſtamento panis & vinum frequentes Sacramenti corporis & ſanguinis eius figuræ præceſſerant. Quare non eſt, quòd Fabricius ſimilibus alijs verbis Cypriani, cùm infrà ait; *Videmus in vino oſtendi ſanguinem Chriſti*, Caluiniſticam cœnam indubitatè confirmari putet. Oſtenditur ſanguis, ſed præſens in vino, non effigie, ſed naturà mutato. Nec oſtenditur tantùm, ſed *bibitur, & epotatur*, vt in illa Epiſtola aliquoties loquitur de ſanguine Domini Cyprianus. Quid, quòd ille ipſe, vel certè auctor æquè vetuſtus & eruditus apud illũ in Serm. de Cœna Domini, tam clarè & ſubſtantiæ panis abſentiam, & carnis Chriſti præſentiam in Euchariſtia tradit, vt nullis Petri Martyris aliorumque nebulis potuerit, veluti apud Bellarminum videre eſt, tanta lux obſcurari. *Panis iſte*, inquit, *quem Dominus diſcipulis porrigebat, non effigie, ſed natura mutatus, omnipotentia Verbi factus eſt caro.* Quid potuit clarius aduerſus Caluiniſticorum Troporum tenebras?

Poſt Cyprianum ex Cyrilli Alexandrini explicatione II. Anathemat. ad Euoptium hæc verba à Prædicante recitantur. *Num hominis comeſtionẽ, noſtrũ hoc Sacramentũ pronuncias? & irreligioſè ad craſſas cogitationes vrges eorum, qui crediderunt, mentem? & attentas humanis cogitationibus tractare, quæ ſola pura & exquiſita fide ſumuntur?* Nihil iſta Caluino contra Catholicam veritatem fauent, ſed contra impiũ Neſtoriũ, qui carnẽ Chriſti à ver-

bo Dei ſacrilegè diuidebat, & in ſacramento corpus puri hominis manducari abſurdè dicebat, pro veritate fidei Catholicæ pugnant. Ante verba enim iſta à Prædicante deſcripta, ità Neſtorium Cyrillus alloquitur; *Num aſſeris eſſe alium quendam filium & Chriſtũ præter Verbũ ex Deo, quod apparuit?* Hęc malicioſè Fabricius diſſimulauit, ne fraudē ſuam proderet, lectorque animaduerteret non contra Catholicos veritatem corporis Chriſti in Euchariſtia aſſerentes, ſed contra Neſtorium, qui carnem meriſſimi hominis, non propriam Verbi Dei in ſacramento fatebatur, Cyrillum pugnare. Hoc nimirum ex Neſtorij errore abſurdum colligit Cyrillus, fore, vt nihil differat Sacramenti manducatio ab anthropophagia, minimeq; æternæ vitæ alimoniam nobis præſtet. Quapropter mox addit; *ſcire autem operæ pretium eſt, quòd, ſicut ſuprà diximus, proprium eſt corpus eius Verbi, quod omnia viuificat. Quoniam autem eſt corpus vitæ, viuificum eſt. Nam per hoc mortalibus noſtris corporibus largitur vitã, & mortis imperium euacuat.* Audis, Fabrici, etiam Cyrilli ſententia, quod anteà Irenæus & Tertullianus dixêre, per corpus Verbi viuificum à nobis ſumptum, corporibus quoq; noſtris vitæ immortalitatem oppignerari. Taceo plura huius Doctoris clariſſima teſtimonia pro veritate corporis Chriſti, quæ à Bellarmino diligenter producta ſunt. Vnum accipe hoc, Fabrici, & tam de fraude in Cyrillum, quàm de fictitio Tro-

Digitized by Google

po, ſi potes, erubeſce. *Decebat,* inquit Cyrillus Ep. ad Caloſyrium, *cum noſtris quodammodo vniri corporibus per ſacram eius carnem & precioſum ſanguinem, quæ accepimus in benedictione viuificatiua in pane & vino. Ne enim horreremus carnem & ſanguinem apposita ſacris altaribus, condeſcendens Deus noſtris fragilitatibus influit oblatis vim vitæ, conuertens ea in veritatem propriæ carnis,* (en habes, Fabrici, in Cyrillo conuerſionem panis in verum corpus Chriſti) *vt corpus vitæ quaſi quoddam ſemen viuificatiuum inueniatur in nobis.*

Audiamus iam teſtimonium, quod ex Hieronymo pro panis veritate, & corporis figura exhibet Prædicans. *Panis, quem fregit Dominus, deditq́; diſcipulis ſuis, eſt corpus Domini.* Paulò aliter Hieronymus ad verbum. *Nos,* inquit, *audiamus panem, quem fregit Dominus, deditq́; diſcipulis ſuis, eſſe corpus Domini Saluatoris.* Sed quid hinc infert Prædicans? An Hieronymum ſenſiſſe & ſcripſiſſe, quòd panis ſubſtantia in ſacramento maneat, ſolaq́; corporis Chriſti figura inſit? Vim Hieronymo facit: de pane in ipſum corpus mutato locutum eſſe, & ex ſequentib. eius loci verbis, & ex alijs Hieronymi locis clariſſimè liquet. Age enim, Fabrici, an panem in furno piſtum intellexit Hieronymus, cùm ibidem mox dixit? *ſi ergo panis, qui de Cœlo deſcendit, corpus eſt Domini &c.* Et quem panem deſignauit his paulò poſt verbis? *Nec Moſes dedit nobis panem verum, ſed Dominus Ieſus: ipſe conuiua & conuiuium: ipſe comedens, & qui comeditur.* Si in ſacramento

Ep. ad Hedib. 4. 2.

Digitized by Google

panis ſubſtantia manet, corporiſq; nudum Symbolum adeſt, certè & Moſes dedit panem verum, nam panem dedit, qui corpus Chriſti ſignificabat: ſed non dediſſe Moſen panem verum ait Hieronymus, quia panis verus proprium Chriſti donum eſt, imò ipſe Chriſtus eſt: nam ſi idem in ſacra cœna fuit comedēs, & qui comedebatur, quomodo terrenus panis erat, qui comedebatur? An de figura corporis Chriſti alibi loquitur Hieronymus? cùm eos dicit eſſe Sacerdotes, *qui Chriſti corpus ſacro ore conficiunt*, & *ad quorum preces Chriſti corpus ſanguiſq; conficitur.* An de figura, nō de veritate corporis Hieronymus loquitur, quando ab exemplo panum propoſitionis, quos Achimelech non niſi à mulierum congreſſu puris porrigere voluit, multò magis coniugibus ante Dominici ſacramenti guſtationem, thoro abſtinendum eſſe argumentatur, & exclamat; *Tantū intereſt inter panes propoſitionis, & corpus Chriſti, quantū inter umbrā, & corpora, inter imaginē & veritatē, inter exemplaria & ea ipſa, quæ per exemplaria præfigurabantur.* Tantam differentiam nec agnoſcit, nec capit Caluinianum cerebrū, quod etiam in Euchariſtia fingit vmbram ſine corpore, & imaginem ſine veritare.

Ep. 1. ad Heliod. c. 7. & Ep. 85 ad Euag.

In Com. Epiſt. ad Titum c. 1.

Quid porrò pro hoc ſigmento ex Ambroſio promit fallax præco? *Refert*, inquit, *Ambroſius vel quiſquis eſt auctor librorum de Sacramentis, hunc antiquum precandi modū.* Fac nobis hanc oblationem adſcriptam, rationabilem

l. 4. de ſacr. c. 5.

lem, acceptabilemq;, quæ eſt figura corporis & ſanguinis Domini. *Vltima verba correxit Eccleſia Romana in Miſſali, addiditq́; de ſuo, (vt oſtenderet, quàm aliena ſit ab interpretationibus Eccleſiæ primæuæ) vt nobis corpus & ſanguis fiat dilectiſsimi filij tui.* Tu ſcilicet, Fabrici, falſò & Ambroſij verba interpretaris, & Romanæ Eccleſiæ mutationem calumniaris. Nihil Romana Eccleſia correxit in Miſſali: aliud Romanum, aliud Ambroſianum ſeu Mediolanenſe eſt: habet iſtud verba ab Ambroſio in quarto ſacramentorũ libro recitata, nullam à Romanis paſſum eſt lituram; habuit illud ſemper ea verba, quæ hodie habet. Monſtra librum aliquem Prædicans, in quo Latinus Canon Romanus ſit, & verba iſta, *vt nobis fiat corpus & ſanguis* deſint. ſi tuũ de mutatione, aut correctione temerarium figmentum aliquam veri ſpeciem præſe ferre velis. Quomodo Romanus Canon nõ habuit ab initio illa verba, quæ totidem in antiquiſſima Græca S. Petri Apoſtoli Liturgia, ex qua Romanus ritus profluxit, expreſſè leguntur? ἵνα ἡμῖν σῶμα καὶ αἷμα γένηται τοῦ ἀγαπητοῦ σου υἱοῦ, κυρίου δὲ ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. Scio hanc Liturgiam à Caluiniſtis rideri: ſed quid iſti Diuûm hominumq́ue irriſores non rident? Solidam pro illa Lindani Apologiam refutent, & tum demum rideant. Interea Fabricius ſe Romanæ Eccleſiæ calumniatorem hîc egiſſe ſciat, quin & malum Ambroſij interpretem. Senſus enim is, quem illis Ambroſij verbis, *quod eſt figura corporis Chriſti*, de panis præſentia,

&

& corporis abſentia, tribuit Prædicans, à mente Ambroſij longè alieniſſimus eſt. Quid? ſenſerit Ambroſius manere ſubſtantiam panis, & corpus Chriſti abeſſe, qui eodem capite infrà dixit? *Antequam conſecretur, panis eſt; vbi autem verba Chriſti acceſſerint, corpus eſt Chriſti. Ante verba Chriſti calix eſt vini & aquæ plenus, vbi verba Chriſti operata fuerint, ibi ſanguis efficitur, qui plebem redemit. Ergo videte quantis generibus potens eſt ſermo Chriſti vniuerſa conuertere.* Non pergo reliqua ad finem capitis vſq; mera præſentis corporis Chriſti argumenta percenſere. Omitto præcedentis capitis clariſſima plura ad hanc rem teſtimonia, vt, *quòd panis iſte ſit panis ante conſecrationem, vbi acceſſerit conſecratio, de pane fiat caro Chriſti, quod ex pane fiat corpus Chriſti.* Hæc, quæ recitaui, inſignem Fabricij malitiam atq; impudentiam in Ambroſio allegando ſatis ſuperq; oſtendunt. Cur illa priora ambigua poſuit, & in ſuas partes rapuit, hæc poſteriora clariſſima diſſimulauit? Ante conſecrationem panis, ante verba Chriſti vinum eſt, cùm verba operata fuerint, corpus & ſanguis, quo redempti ſumus, efficitur, panis & vinum potenti Chriſti ſermone conuertuntur in corpus & ſanguinem. Hæc Ambroſij, hæc Catholicorum ſententia eſt, quam pernegant Caluiniſtæ, nimium profectò increduli: nam vt Ambroſius de eodem argumento alibi ait, *ſi tantum valuit ſermo Eliæ, vt ignem de Cœlo deponeret, non valebit Chriſti ſermo*

L. de ijs, qui initiantur myſteriis c. 9.

mo, vt ſpecies mutet elementorum. Sermo ergo Chriſti, qui potuit ex nihilo facere, quod non erat, non poteſt ea, quæ ſunt, in id mutare, quod non erant? Nónne his verbis omnes Caluiniſtici Tropi diſſipantur? Quo autem ſenſu Ambroſius figuræ nomine vſus ſit, clarum eſt ex ijs, quæ ſuprà ad locum ſimilem Tertulliani in ſecundo reſponſo diximus. Addo, ideo quoq; ab Ambroſio hîc oblationem vocari figuram corporis Chriſti, quia incruentum altaris ſacrificium, corporis Chriſti in cruce immolati ſanguiniſq; effuſi imago eſt adeò, vt in illa cruenti ſacrificij repræſentatione Chriſtiani ſacrificij ratio, naturaq; maximè conſiſtat.

Eodem ſenſu etiam Auguſtinus alicubi Euchariſtiam ſignum aut figuram corporis, de ſpeciebus ſcilicet externis panis, vel de ſacrificij memoria locutus appellat. Eiuſmodi ſunt duo Auguſtini loca, quæ profert hîc Fabricius; Contra Adimant. c. 12. *Dominus non dubitauit dicere, Hoc eſt corpus meum, cùm ſignum daret corporis ſui.* Et in Pſ. 3. *Cùm Iudæ cogitationes non ignoraret Dominus, eum adhibuit ad conuiuium, in quo corporis & ſanguinis ſui figuram diſcipulis commendauit & tradidit.* Et tertius, quem indicat his verbis, *Videatur Ep. 23. ad Bonifacium.* Videat Fabricius Bellarminum lib. 2. de Euchar. c. 24. & non modò has aliaſq; ſuorum obiectiones, pridem ex Auguſtino prolatas, de Symbolis externis, aut Dominicæ mortis imagine,

in quotidiano ſacrificio luculenter explicatas, verùm etiam plurimas ex omnibus S. Auguſtini Tomis, qui omninò decē ſunt, pro vera corporis Chriſti præſentia ſolidè ab eodem depromptas ſententias reperiet. Quare ne prolixitate, quam hîc ſe odiſſe Prædicans ait, ei nimium moleſti ſimus, vnicum Auguſtini locum, eumq; euidentiſſimum, ei opponemus, ex quo, ſi cerebrum habet, intelligat, illam de inani ſigno ſine ipſo corpore, quæ Caluini ſententia eſt, Auguſtini minimè fuiſſe. Ità ergo is dictum illud de Dauide prolatum, *Ferebatur in manibus ſuis*, in Pſ. 33. explicat; *Hoc quomodo poſſet fieri in homine, quis intelligat? quis enim portatur manibus ſuis? manibus aliorum poteſt portari homo, manibus ſuis nemo portatur. Quomodo intelligatur in ipſo Dauid ſecundùm litteram non inuenimus, in Chriſto autem inuenimus. Ferebatur enim Chriſtus in manibus ſuis, quando commendans ipſum corpus ſuum, ait; Hoc eſt corpus meum, ferebat enim illud corpus manibus ſuis,* Quot penè verba, tot contra Caluinianam figuram ſententiæ. An ſuprà hominis captum eſt, vt homo ſua ſe in imagine manibus ferat? Quomodo ſeipſum figuratè tulit Chriſtus, ſi quod in Dauide ſecundùm litteram non inuenitur, inuenitur in Chriſto; ſecundū litteram vtique, non ſecundùm figuram? ſuis manibus ferebatur, ſuis manibus ipſum ſuum corpus ferebat Chriſtus, quo modo nec Dauid tulit, nec homo alius ferre ſuum potuit.

Fa-

Fabricius falſò, mutilè, ac doloſè contra præſentiam Chriſti in Eucharistiâ, Theodoretum, Macarium, Vigilium citat: imperitiſſimè deniq; conuitiatur. §. IV.

SEd pergamus ad vltimos teſtes productos. De Theodoreto ità ſibi gratulatur Prædicans. *Theodoretus expreſſè affirmat*, Symbola myſtica poſt conſecrationem non amittere propriam naturam, *eratq; communis expoſitio.* Quænam? quòd ipſa interior ſubſtantia panis remaneat poſt conſecrationem, nec verè caro Chriſti adſit? Hoc nec Theodoretus, nec æqualis illius vllus dixit. Recitemus integrè Theodoreti verba Fabricii ſtilo mutilata, vt verum ſenſum illius, fraudemque iſtius lector videat. *Non recedunt ſymbola myſtica poſt ſanctificationem à ſua natura, manent enim in priore ſubſtantia, & figura, & forma, & videri & tangi poſſunt, ſicut priùs: intelliguntur autem ea eſſe, quæ facta ſunt, & creduntur, & adorantur, vt quæ illa ſint, quæ creduntur.* Non de interna ſiue ſubſtantiali natura, ſed de externis proprietatibus & affectionibus panis ac vini, quæ viſu tactuque diſcerni poſſunt, apertè loquitur Theodoretus: ità ait enim Symbola manere in priore ſubſtantia, quòd maneant in figura & forma, ac tangi viderique poſſint, ſicut priùs; & ne de interiori ſubſtantia, quæ ſenſibus non attingitur, locutus videatur, addit, Dial. 2.

addit, Symbola illa intelligi verè ea eſſe, quæ facta ſunt per conſecrationem, ſcilicet corpus & ſanguinem Domini, ideoq; adorari, quia id ſint, quod eſſe creduntur. An, Fabrici, vt Caluiniſtam *facias*, Artolatram facies Theodoretum? ſi id, quod de pane factum eſt, adoratur, non imago corporis Chriſti, ſed ipſum corpus Chriſti ſecundùm Theodoretum ſit neceſſe eſt in ſacramento. Verùm ne videretur Theodoreti auctoritate abuſus Prædicans, fidei ſuæ teſtimonium è noſtrate profert. *Fatetur*, inquit, *Gregorius à Valentia Ieſuita Theodoretum ità ſenſiſſe, at erraſſe.* Quid? fatetur Gregorius ità Theodoretum ſenſiſſe, ſicut Caluiniſtæ ſentiunt, ſcilicet & panis ſubſtantiam manere, & ſolam corporis figuram adeſſe? De figura corporis ne verbo quidem Gregorius meminit: eo enim loco aduerſùs Lutheranos, qui corpus Chriſti verè cum pane adeſſe ſentiunt, & panis ſubſtantiam ex loco Theodoreti, quem hîc Fabricius allegat, demonſtrare conantur, diſputat. Sed nec fatetur Gregorius, quòd Theodoretus manere ſubſtantiam panis ſenſerit, ac errârit: hoc ſolum, poſt commodam illius explicationem, & ab erroris ſuſpicione vindicationem, deniq; ſubiungit, ſi ità ſenſiſſet, vt hodie Aduerſarij ſentiunt, teſtimonio illius aduerſùs maximum grauiſſimorum Patrum numerum minimè nitendum eſſe. Audiatur ipſe Gregorius contra fallacem

l. de tranſ ſubſt. c. 7.

Fabri-

Fabricium. *Ad teſtimonium Theodoreti rectè dici poteſt, primò naturam & ſubſtantiam panis ac vini ab eis appellatas eſſe proprietates panis & vini, idq́ maximè ob facultatem, quæ in illis eſt, eadem efficiendi, quæ panis & vinum efficere poterant. Huiuſmodi enim proprietates rerum, quaſi quædam naturæ & ſubſtantiæ illarum ſunt externæ. Quòd autem rectè ità poßit exponi, patet primò, quoniam ſcribit quoque Chriſtum voluiſſe*, vt hìc non attenderetur ad naturam eorum, quæ videntur, ſed vt crederemus mutationi (*refero eius verba*) quæ hîc ex gratià fit. *Item poſtquam dixit manere panem & vinum in priore ſubſtantia & figura, hæc verba ſubiunxit:* Intelliguntur autem (*Symbola Euchariſtiæ*) ea eſſe, quæ facta ſunt, & creduntur, & adorantur, vt quæ illa ſunt, quæ creduntur. *Si Euchariſtia ex Theodoreti ſententia eſt adoranda, certè non èſt panis ſecundùm ſubſtantiam propriè dictam, ex ſententia Theodoreti, ſed Chriſtus ipſe. Secundò idem probatur, quoniam ad inſtitutum ſuum ſatis ei fuit, in eo ſenſu dicere, quòd maneat natura panis & vini, nempe ſecundùm panis & vini proprietates. Voluit enim exemplo Euchariſtiæ confirmare, quemadmodum in Chriſti perſona ſint inconfuſæ & diſtinctæ duæ naturæ. Hoc autem, vt paulò poſt etiam dicemus, ſatis exemplo Euchariſtiæ declarat, hoc ipſo, quòd proprietates certè panis & vini manent ibi re ipſa diſtinctæ à corpore, & ſanguine Chriſti, neq; cum eo confuſæ. Tertiò probatur, quia non eſt inuſitatum aliàs proprietatem ſeu affectionem rei alicuius, naturam rei, ſeu ſubſtantiam appellare. Sic enim & Philoſophi de naturis rerum ſuos libros quandoq; inſcribunt, in quibus tamen propriè agunt de rerum operatio-*

Dial. 1.

nibus & proprietatibus. Sic & Apoſtolus affectionem ipſam carnis carnem appellauit, caro, inquit, & ſanguis regnum Dei non poſſidebunt. Ita pro Theodoreto prolixus ac diligens verborum illius in bonum ſenſum interpres. Quæ ergo Fabricij eſt impudentia, vt his omnibus diſſimulatis audeat Gregorium de Theodoreti damnatione calumniari? Non illum erroris damnauit, quem contra malignā obtrectatorū interpretationem tam diſertè & accuratè defendit. Sed quia pertinacis hæreſeos ingeniū nouerat, aduerſarioſq́; huic bonæ interpretationi proteruè reclamaturos ſuſpicabatur, ad ora illorū penitus obſtruenda, hæc deniq; adiunxit. *Quòd ſi Theodoretum nolint Paniſtæ ità interpretari, vt certè poſſent, dabimus aliud breue & ſimplex & ſine vllo incommodo reſponſum. Enimuerò antequam quæſtio iſta de tranſſubſtantiatione in Eccleſia palàm agitaretur, minimè mirum eſt, ſi vnus aut alter, aut etiam aliqui ex veteribus minùs conſideratè & rectè hac de re ſenſerint & ſcripſerint: maximè cùm non tractarent ex inſtituto ipſam quæſtionem. Accedit, quòd Theodoretus ille de alijs quibuſdam erroribus in Concilio Ephesino notatus fuit, tametſi poſteà reſipuerit. Non igitur debēt nobis paucorum eiuſmodi teſtimonia, vtcunq; ea exponantur, præiudicare, cùm habeamus pro veritate tranſubſtantiationis nubem grauiſſimorum aliorū teſtium, quorum ſententias ſuprà recitauimus. Rectè enim Vincentius Lyrinenſis præcipit, vt ſi in ipſa vetuſtate diſcrepantes ſententias reperiamus, ſequamur ſententiam communiorem plurium & illuſtriorum Doctorum.* Vbi in verbis iſtis illa Gregorij confeſ-

ſio à Fabricio iactata? *Theodoretus ſenſit cũ Caluiniſtis & Paniſtis, ſed errauit.* Hoc dixit; ſi nolint aduerſarij nobiſcũ benè, vti poſſent ac deberent, Theodoretũ interpretari; ſi omninò eum ſecum ſenſiſſe vociferẽtur, certè vnius alteriúſue minùs recta ſententia, cùm hæc quæſtio nondũ agitaretur, reliquorũ grauiſſimorũ Patrum ſententiæ minimè eſt præferenda. An hoc dicere, eſt dicere Theodoretum ſenſiſſe cũ Paniſtis, & erraſſe? An dicere, Theodoretũ de quibuſdam aliis erroribus in Epheſina Synodo eſſe notatũ, eſt dicere, illum etiã in Euchariſtia erroris inſimulatũ eſſe? Hoc tibi notandũ in Gregorio fuerat, Theodoreti, ſi quidẽ ità ſenſiſſet, vt aduerſarij contendunt, auctoritatem plurimis, grauiſſimiſq; aliis Eccleſiæ Doctoribus anteferri minimè debere. Id ſi notâſſes, neq; falſò poſt Theodoreti verba ſubiunxiſſes, *eã fuiſſe communem expoſitionẽ*, quam tu Theodoreto ſcilicet affingis; neq; ridiculè demum concluſiſſes, *Vnde conſtat, quale tunc fuerit magiſteriũ, ſeu doctrina Eccleſiæ vniuerſalis.* Dignũ Prædicante argumentum. Theodoretus ità ſenſit: ergo Eccleſia vniuerſalis ità docuit. Antecedẽs falſum, & vt verũ ſit, conſequẽs nõ modò falſum eſt, ſed & peſſimè infertur. Imò rectiꝰ, quia plures grauiſſimiq; Patres Eccleſię aliter ſenſerũt, colligitur Theodoretũ tantis minimè voluiſſe repugnare. *Non eſt,* inquit bellè Bellarminus, *vllo modo credibile, Theodoretũ tã apertè repugnare voluiſſe Chryſoſtomo, Ambroſio, Cyrillo, & alijs, qui negant panem manere in Euchariſtia, hos* l. 1. de Euchar. c. 27.

enim

enim auctores in illis Dialogis frequentiſſimè citat, & præcipuè Chryſoſtomo Theodoretus addictiſſimus fuit. Nihil ergo hac allegatione Prædicans aliud effecit, quàm vt Theodoreto, Gregorio de Valentia, Eccleſiæ denique vniuerſali vnà imponeret.

Audiamus penultimum teſtimonium, quod Græcis Latiniſq; verbis tale ex S. Macario promit. ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ προσφέρεται ἄρτος καὶ οἶνος ἀντίτυπον τῆς σαρκὸς αὐτοῦ.
Hom. 27. *In Eccleſia panis & vinum offertur, figura carnis & ſanguinis eius.* Quid infers, Fabrici? Macarij ſententia in Euchariſtia eſſe verum panem, qui abſentis corporis ſit ſignum? Erras: ſignificat ipſum Chriſti corpus & ſanguinem in altari ſub panis viniq; externa ſpecie oblata, verum perfectumq; antitypon eſſe eiuſdem corporis fixi, & ſanguinis fuſi pro noſtra ſalute in cruce. Cur ſequentia verba, fraudator, omiſiſti, quibus panis veritatem abeſſe, corporis adeſſe clarè ſignificatur? καὶ οἱ μεταλαμβάνοντες ἐκ τοῦ φαινομένου ἄρτου πνευματικῶς, τὴν σάρκα τοῦ κυρίου ἐσθίουσι. *Et qui ſumunt ex apparente pane ſpiritualiter, carnem Domini comedunt.* Nimirum hæc verba Caluiniſticæ fraudi tegendæ non ſeruiebant: ideò illa mutilator reſcidit, vt poſſet fallere. Nec verò ſibi de voce *ſpiritualiter* blandiatur, ſignificat enim Macarius tantùm, non viſibiliter in Euchariſtia carnem Chriſti, vtpotè occultè præſentem, ſumi.

Nec alio deniq; animo hanc ex Vigilio ſenten-
l. 4. cont. Eutych. tiolam excerpſit; *Caro, quando in terra fuit, non erat in*

Cœlo

Cœlo, & nunc, quia in Cœlo eſt, non eſt vtiq; in terra. Aperta fraus. Contra Eutychetem, qui humanam naturã in Chriſto confundebat cum diuina, diſputat Vigilius, atq; infert; Si caro à diuinitate Verbi nihil differat, fore, vt hoc ipſo caro Chriſti vbiq; ſit. Ità habet integer Vigilij locus, decurtatus à Prædicante. *Si Verbi & carnis vna natura eſt, quomodo cùm Verbum vbiq; ſit, non vbiq; inueniatur & caro; namq; quando in terra fuit, non erat vtiq; in Cœlo, & nunc, quia in Cœlo eſt, non eſt vtiq; in terra: & in tantum non eſt, vt ſecundùm ipſam Chriſtum ſpectemus venturum de Cœlo, quem ſecundùm Verbum nobiſcum eſſe credimus in terra. Igitur ſecundùm vos, aut Verbum cum carne ſua loco continetur, aut caro cum verbo vbiq; eſt, quomodo vna natura contrarium quid & diuerſum non recipit in ſeipſa Diuerſum eſt autem, & longè diſsimile circumſcribi loco, & vbiq; eſſe, & quia Verbum vbiq; eſt, caro eius vbiq; non eſt, apparet vnum eundemq; Chriſtum vtriuſq; eſſe naturæ, & eſſe quidem vbiq; ſecundùm naturam diuinitatis ſuæ, & loco contineri ſecundùm naturam humanitatis ſuæ.* Pugnant iſta contra Vbiquitatem carnis Chriſti olim ſub Eutychete natam, & hodie ſub Lutheranis nonnullis renatam, non contra præſentiam corporis Chriſti in Euchariſtia. Neq; enim hìc eſt immenſitatis diuinæ ſibi communicatæ virtute, ſed potentiſſima verborum Chriſti operatione. De præſentia Euchariſtica nihil hìc Vigilius: negat carnem Chriſti, cùm eſſet in terris, fuiſſe in Cœlo, & nunc cùm in Cœlo eſt, eſſe in terris ex-

Vigil l. 4 cont: Eutych. paulò ante medium.

terna & aſpectabili forma, qua illum venturum iudicem exſpectamus. Verè, ſed aliter in Euchariſtia Chriſtum, quã olim in terris cum hominibus verſatus eſt, & nunc in cœlis ad dexteram Patris ſedet, adeſſe nec hîc, nec vſquam negat Vigilius. Atque hæc quidem ſunt illa clara vndecim Patrum teſtimonia, quibus Fabricius Romanæ Eccleſiæ in verbis Chriſti explicandis à veteris Eccleſiæ magiſterio diſcordiam demonſtrare pollicitus eſt: ſcilicet ſi Patrum dicta rapere, corrumpere, mutilare, ſit demonſtrare, abundè pollicitis Prædicans ſtetit. Fucum feciſſe, non demonſtraſſe Fabricium ſatis circa ſingulorũ adducta teſtimonia eſt à me monſtratum. Poſſem quidem facillimè, euidentiſſimeque ſummam iſtius Thraſonis temeritatem ac impudentiam in hoc genere plurimis aliis clariſſimiſque celeberrimorum per omnes ætates Doctorum teſtimoniis confutare, quia tamen id iam ante præter alios accuratiſſimè integro lib. 2. de Euchariſtia per 38. capita præſtitit Bellarminus, non eſt, quod ego prolixiùs contra Prædicantem in hoc argumento excurram. Inſcitam tamen & calumnioſam hanc Prædicantis concluſionem, non poſſum quin adhuc excutiam. *Sufficiant*, inquit, *hæ Patrum interpretationes diſſentaneæ omninò ab ea, quæ hodie colitur in Eccleſia Romana, quæ talis eſt.* Hoc, *id eſt, ſub his ſpeciebus, ſub colore abſq; colorato, ſub quantitate abſq; quanto, ſub*

rotun-

rotunditate abſq; rotundo (Eſt,) *id eſt*, Corpus meum. *De conſecrat. diſt. 2. Can. Non hoc corpus.* Ipſum quidem, & non ipſum. Ipſum inuiſibiliter, & non ipſum viſibiliter. Quod fractum eſt. *Minimè fractum, ſed accidentia panis fracta ſunt.* Hoc facite, *id eſt, ſacrificate pro viuis & mortuis.* Accepit calicem dicens. Hic calix eſt nouum teſtamentum in meo ſanguine. *Accepit calicem, hoc de vero calice.* Hic calix eſt. *Non calix, non vinum in calice, ſed ſanguis eſt nouum teſtamentum in meo ſanguine. An in his interpretatiunculis Papæ ſequuntur magiſterium Eccleſiæ vniuerſalis? Quis hoc in animum inducat ſuum?* Quis credat Caluinianum Prædicantem in hac labyrinthæa ſententia, tam imperitum iuxta atque maledicum eſſe potuiſſe? *Hoc, id eſt, ſub his ſpeciebus; eſt, id eſt, corpus meum; Hoc facite, id eſt, ſacrificate pro viuis & mortuis,* nō noſtrę interpretationes, ſed indocta Fabricii figmēta ſunt. Si *hoc* interpretaremur, *ſub his ſpeciebus,* ianuā Tropiſtis aperiremus, nec Paniſtas, qui dicunt *hoc,* id eſt, *ſub hoc pane,* ſolidè confutaremus. Noſtra interpretatio eſt, *hoc,* id eſt, hæc res, hæc ſubſtantia; quæ ſub ſpeciebus panis deliteſcit; hoc, quod apparet, ſeu videtur panis. Tam plumbei ſimus, vt verbum *Eſt,* ità explicemus, *id eſt, corpus meum?* Niſi ſomnians aut temulentus hoc ſcripſit Fabricius, certè inſanus fuit. Illud, *hoc facite,* interpretamur, *ſacrificate*, ſed non cum Fabricij aſſumento, *pro viuis & mortuis*: neque enim tam

Digitized by Google

rudes ſumus, vt neſciamus verbo *facite*, viuos & mortuos, pro quibus faciendum ſit, non ſignificari. Sacrificium hac voce ſignificatum à Chriſto dicimus; aliunde monſtramus, viuis & mortuis, illud prodeſſe. In cæteris, quæ refert Prædicans, vt videat, quàm vel inſcitè, vel malignè diſſenſionē à Patrum magiſterio nobis obiecerit, breuiter hæc repono. Illa verba de Chriſti corpore, *ipſum quidem & non ipſum. Ipſum inuiſibiliter, & non ipſum viſibiliter*, non ſerò ab aliquo Papa prolata, ſed ab Auguſtino in litteris ad Hyrenæum ſcripta, & exinde in Iuris Canonici volumen tranſlata ſunt. De fractione corporis Chriſti non ſecundùm ſe, ſed ratione ſpecierum in Sacramento luculentas S. Chryſoſtomi binas ſententias contra Fabricij conuitia iam in primi fundamenti defenſione cap. 4. paulò ante finem recitaui. Ex veteri more, non nouè, verbum Chriſti *facite* pro *ſacrificate* accipi, antiquiſſimum teſtem do Cyprianum. *Si Ieſus Chriſtus Dominus & Deus noſter*, ait ad Cæcilium Cyprianus, *ipſe eſt ſummus Sacerdos Dei Patris, & ſacrificium Patri ſeipſum primus obtulit, & hoc fieri in ſui commemorationem præcepit: vtiq; ille Sacerdos vice Chriſti verè fungitur, qui id, quod Chriſtus fecit, imitatur, & ſacrificium verum & plenum tunc offert in Eccleſia Deo Patri, ſi ſic incipiat offerre, ſecundùm quod ipſum Chriſtum videat obtuliſſe.* Mirum, ni Prædicanti oculos exurat hic locus, tot verbis ſacrificium altaris commendans, in quo tam

De conſecra. d. 2. Can Non hoc corp.

lib. 2. Ep 3. aliàs 63.

clarè

clare ait Cyprianus, Chriſtum ſacrificium obtuliſſe, & hoc fieri in ſui commemorationem præcepiſſe; quibus verbis, niſi illis, *hoc facite in meam commemorationem?* Deniq; verbis illis, *Hic calix*, nec materiarium calicem, nec infuſum vinum, ſed re ipſa ſanguinem calice ſub vini ſpecie contentum ſignificari, tam ex Græcis Lucæ verbis clarum eſt, vt ſummæ vel amentiæ, vel malitiæ ſit, id negare. Verba apud Lucam Græca ſunt hæc. τοῦτο τὸ ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματί μου τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον. Latinè ad verbum; *Hic calix nouum teſtamentum in meo ſanguine pro vobis effundendus.* Vulgatus vltima per relatiuum reddidit, *qui pro vobis effundetur*: & verò particulam *qui* ad calicis, nõ ad ſanguinis vocabulum referri debere, ex Græco liquet. Dic ergo, Fabrici, quid per calicẽ pro nobis effundendũ intelligis, an vitreũ, aut argenteũ calicẽ? An vinum de vite terrena expreſſum? Nihil ſane horũ pro nobis in cruce Dominus effudit. Sanguinem fudit. Illum ergo in calice ſub vini ſpecie demonſtrauit, cùm dixit; *Hic calix effundetur.* Quid ergo inſultas huic noſtræ interpretationi in tanta ſcripturæ luce? Quid ages tenebrio? An lucem hanc, quam adeò aliàs iactas, fugies? An cum Beza Lucam ſolœciſmi damnabis, quòd τὸ ἐκχυνόμενον pro τῷ ἐκχυνομένῳ poſuerit? an cum eodem in contextum ex margine irrepſiſſe hæc verba finges, etſi non modò Syrus interpres, ſed omnes Græci Codices, teſte tuo

Luc. 22. 20.

Beza in annot. in c. 22. *Lu.*

Beza, conſtanter ea in verſu exhibeant? Ità ſcilicet iſti tanti ſcripturæ ſacræ, veterumque Codicum laudatores, cùm ex ſcriptura, publica vetuſtiſſimorum Codicum fide, de manifeſto errore conuincuntur, Solœcophanes, aut additamentum deſperati confingunt, vt infamiam tegant. I nunc, Fabrici, & ludificare noſtras interpretatiunculas, tanquam Patrum interpretationi diſſentaneas. Dedi Patres, Patronos teſteſque noſtrarum explicationum; te, tuoſq; interpretes pudeat non ſolùm Patribus, ſed etiam diuinæ ſcripturæ ſacrilega licentia repugnare & inſultare.

A Fabricio contra Purgatorium multæ apertæ fraudes, & impoſturæ in Auguſtinum & Bellarminum commiſſæ. §. V.

SEcũdo loco demonſtrare proponit Fabricius, *Magiſterium Eccleſiæ Romanæ ſuper purgatorio non conuenire cum magiſterio Eccleſiæ Catholicæ in interpretandis ſcripturis, prout reperitur per omnes ætates.* Quonam verò ille argumento propoſitam concluſionem demonſtrat? *Bellarminus*, inquit Prædicans, *adfert pro purgatorio locũ Genes.* 23. Surrexit Abraham ab officio funeris. *Et ex Pſ.* 37. Domine ne in furore tuo arguas me, neq; in ira tua corripias me *Et illud Malachiæ* 3. Ipſe ſedebit quaſi ignis conflagrans. *Illum denique locum Matth.* 5. *& Luc.* 12. Amen dico tibi, non exibis

bis inde, donec reddas nouiſſimum quadrantem, *de purgatorio exponunt Pontificij.* At primum locum, *quis Patrum ità expoſuit?* Talem ſecundi *interpretationem an aliquando per omnes ætates Eccleſia tulit?* In tertio *miror Bellarminum recedere à communi conſenſu Eccleſiæ, quæ ſemper interpretata fuit hunc locum non de pœna mortuorum, ſed de ea, quæ purgat viuentes.* Quartum denique *quis veterum Patrum de purgatorio, ſeu loco ſubterraneo, in quo animæ igne cremantur, expoſuit? Nullus omninò.* Hæc eſt Argumentatio Fabriciana, quàm multis nominibus vana? Nam primùm pro Romana Eccleſia vnum Bellarminum impugnat. Deinde, nec de Bellarmino, quod debuit de Romana Eccleſia, demonſtrat. Oſtendere debebat Romanam Eccleſiam hodie, vel etiam Bellarminum ſacræ alicuius ſententiæ ſenſui, quem pro indubitato habuit & tradidit tota olim Eccleſia, repugnare, aut aliquod ſcripturæ dictum contra vnanimem Patrum conſenſum accipere, aut interpretari, vt aliquid ad rem diceret. Circa ſententias, quarum interpretatio à variis Patribus varia tradita, nec vna certa ab omnibus recepta, vel ab Eccleſia definita fuit, ſiue hos, ſiue illos Patres ſequi liberum eſt. Imo licet quoque nouos ſcripturæ ſenſus eruere, modò ne fidei, aut bonis moribus, aut receptæ in Eccleſia interpretationi aduerſentur. Argumentum ex ſenſu ſcripturæ, quem vnus aut pauculi Patres docuère,

pro-

Digitized by Google

probabile, non neceſſarium eſt. Talia ſunt, quæ de ſcriptura Bellarminus ex quorundam Patrum ſenſu, pro temporariis quorundam poſt hanc vitam pœnis deprompſit; alia protulit clariora, & efficaciora ex ſacris litteris. Sed iſta Prædicans diſſimulare, illa tanquam pro indubitatis allata vellicare voluit, imò falſis conuitijs lacerare. Confirmauit Bellarminus purgatorium prolixè per ſex integra capita ex veteris nouiq; teſtamenti compluribus locis, inter quos nullus eſt ille Gen. 23. *Surrexit Abraham ab officio funeris.* Et tamen de iſto ait initio ſuæ argumentationis Fabricius. *Adfert pro purgatorio locum Geneſis.* Non eſt ità: ſed cùm nono capite purgatorij ex ſcripturis defenſionem abſoluiſſet, decimo quinto demum, eoq; vltimo libri primi capite, Petri Martyris obiectioni, quòd in Geneſi Saræ, Abrahami, Iſaac & aliorum funera diligentiſſimè deſcriberentur, nullaq; tamen vſquam purgatorij mentio fieret, reſpondet Bellarminus primò, *non eſſe neceſſe, vt ſcriptura vbiq; omnia dicat.* Secundò, *in Geneſi non fuiſſe occaſionem ponendi doctrinam de purgatorio, quia liber Geneſis, non dogmatum liber, ſed hiſtoria quædam Patriarcharum ſit.* Vltimò dicit, *implicitè ſaltem contineri in Geneſi mentionem purgatorij: quando enim dicitur Gen. 23.* Surrexit Abraham ab officio funeris. *Quis prohibet per illud,* officium, *intelligere non ſolùm lachrymas, ſed etiam orationem & ieiunium.* Non igitur Bellarminus ex inſtituto purgatorium de

lib. 1. de purg. à c. 3. vſque ad. 9. incluſiue.

de Geneſi confirmat, quod illi Fabricius imponit, ſed Martyri Geneſeos de purgatorio ſilentium obijcienti reſpondet, in Geneſi nec debuiſſe, nec commodè potuiſſe illius mentionem fieri; quadam tenus tamen inſinuatum videri illis verbis; *Surrexit Abraham ab officio funeris.* Etſi enim ſcriptura antè dixiſſet, *veniſſe Abraham, vt plangeret & fleret* mortuam Saram, quis tamen vetet nomine funebris officij, quod coniugi dilectiſſimę proſtratus coniux reddidit, preces quoq; & ieiunia intelligere, cùm alibi quoq; legamus, in funebri luctu lacrymis addita eſſe ieiunia? Vidit Fabricius *officij funeris* vocabulum veroſimiliter ad preces & ieiunia extendi poſſe, eaq́; re contra verſionem quoq; contumelioſè exclamat; *Imò non ſolùm interpretatio falſa, ſed etiam verſio. In Hebræo nil tale legitur, ſed ſolùm,* quòd ſurrexerit Abrahā à conſpectu mortui ſui. *Auguſtinus, & LXX. legunt* ἀπὸ τοῦ νεκροῦ αὐτοῦ. Imò hæc Fabricij cenſura falſa eſt calumnia. Quomodo in Hebræo nihil tale legitur? nonné tale aliquid eſt, Abrahamum ſurrexiſſe à conſpectu mortuæ Saræ, quale ab officio funeris ſurrexiſſe. Fideliſſimè, quod boni interpretis eſt, verborum ſenſum interpres reddidit. Quid hîc falſum, ſurrexiſſe à funebri officio? quid fecit aliud humi ſtratus Abraham, quàm vt vltimum præſtaret charæ coniugi officium? An à ſomno, à quiete, ab otio ſurrexiſſe iuſtum illum ſuſpicaris, Prædi-

1. Reg. vlt. 2. Reg 1. & 3.

cans, ſi falſa noſtri interpretis de officio eſt verſio?

Ad alterum locum ex Pſ. 37. *Domine ne in furore tuo &c.* pergo, quem à Bellarmino adferri verè quidem dicit Prædicans, ſed fallaciter de Bellarmino hæc ſubdit; *Hanc producit interpretationem: in furore argui, eſt in æternum damnari; in ira corripi, eſt poſt hanc vitam puniri ſeuerè.* Audiamus ipſum Bellarminum. *Etſi hæc verba,* inquit, *variè exponi poſſint, tamen B. Auguſtinus ità exponit, vt in furore argui ſit in æternum damnari, in ira corripi, ſit puniri ſeuerè poſt hanc vitam, ad correctionem tamen & emendationem. Vnde ſubdit:* In hac vita, *inquit,* purges me; talem me reddas, cui iam emendatorio igne opus nõ ſit &c *Eodem modo exponit Beda, Haymo, Dionyſius Carthuſianus & alij.* Cur, Prædicans, verba illa prima Bellarmini, *etſi verba hæc variè exponi poſſint,* ſuppreſſiſti? ne ſcilicet Lector aduerteret, quod ſuprà notaui, locũ hunc, non tanquam certum atque neceſſarium, ſed probabile tantùm argumentum, afferri à Bellarmino, qui eum variè exponi poſſe fatetur. Cur Bellarmino tanquam Auctori hanc tribuis interpretationem, quam ipſe Auguſtini, aliorumq; poſt illum fuiſſe narrat? quia ſcilicet per omnes ætates Eccleſiæ ignotam fuiſſe illam interpretationem demonſtrare conaris. Producis Arnobium, Theodoretum, Baſilium, Remigiũ Altiſiodorenſem, Auguſtinum tanquam ab hac interpretatione diſſentiẽtes. Nullus diſſentit: aliqui ex his ipſis non obſcurè con-

lib. 1. de purg. c. 3.

ſen-

Digitized by Google

ſentiunt; Auguſtinus totus noſter eſt. Arnobius ait Dauidem petere, vt non in ira arguatur, ſed hîc in corpore miſericordiam conſequatur: hîc illum laborare in gemitu, lauare lectum lacrymis, quia in inferno confeſſio fructum non habet. An verò ait, nullam niſi æternæ damnationis pœnam deprecari Dauidē? generatim Arnobius loquitur de omni alterius vitæ pœna, ab irato Deo inflicta, quæ nullis gemitibus, nullis lacrymis, nulla confeſſione ab iis, qui eam infrà nos patiuntur, mitigari poteſt. Quid Theodoretus? Dauidem ait petere à Deo; *paternè corripias me, non iudicis ritu; medici more, non tortoris.* Et iſte amplioribus verbis vtitur, quæ ad ſententiam æterni & temporarij tormenti referre liceat. Baſilius verò, quem tertio loco citas, non parùm huic interpretationi fauet, cùm de Dauide ità loquitur; *Non detrectat corripi, ſed precatur citra iram Dei corripi. Veluti ſi quis medico, qui paratus ſit per ferrum, & cauterium, & amara remedia auxilium ferre, in cura morbi alicuius dicat; ne quæſo per ignem, non per ferrum & inciſionem, ſed per lenia ac mitiora pharmaca curaueris. Talis enim non medelam abnuit omninò, ſed laborem doloremq́ remedij detrectat.* Age dic, Fabrici, ſi Deus, vt medicus, igne in altero ſæculo peccatorum morbos curat, eumq́ue Dauid in mitiora huius vitæ pharmaca commutari petit, quis ignis ille, niſi purgatorius? Nam ignis damnatorum nihil medicinæ,

nihil curationis habet. Quos æternùm damnat, non ſanat, ſed perdit iuſtus Iudex. Et Remigius quoq; quàm apertè diſcrimen damnandorum & purgandorum in iudicio denotat, cùm Dauidem ſic loquentem inducit? *Scio quia alios venies iudicaturus in furore, alios in ira tua.* Audi, Fabrici, alios iudicabit Deus in furore, alios in ira: non eoſdem in furore, & in ira. Alia furoris, alia iræ ſententia, alios & alios plectet. Non ergo, vt tu vis, idem apud Remigium ſenſus eſt verborum, *ne in furore arguas me, & ne in ira corripias me.* Sed ad Auguſtinum veniamus. *Auguſtinus in pſalmum ſextum,* inquit Fabricius, *putat vnam & eandem rem duobus verbis ſignificari.* Quibus duobus verbis? *Argui, & corripi?* Imò expreſſè priore æternum interitum, poſteriore emendationem per ignem ad ſalutem, ſed *furoris* & *iræ* vocabulis idem ſignificari tantùm aſſerit Auguſtinus. Callidum Fabricij aſtum verba S. Doctoris detegent. Ità ergo ille. *Corripias mitius videtur. Ad emendationem enim valet. Nam qui arguitur, id eſt, accuſatur, metuendum eſt, ne in finem habeat damnationem. Sed quoniam furor videtur plus eſſe quàm ira, poteſt mouere, cur illud, quod eſt mitius, id eſt, correptio, cum eo poſitum eſt, quod eſt durius, id eſt, cum furore. Sed puto vnam rem duobus verbis ſignificari. Nã in Græco* θυμὸς, *quod eſt in primo verſu, hoc ſignificat, quod* ὀργὴ, *quod eſt in ſecundo verſu. Sed cùm Latini vellent etiam ipſi duo verba ponere, quæſitum eſt, quod eſſet vicinum iræ, & poſitum eſt furor. Ideò variè Codices habent. Nam in alijs*

prius

priùs inuenitur ira, deinde furor. In aliiſs priùs furor, deinde ira. In aliiſs pro furore ponitur indignatio aut bilis. Sed quidquid illud eſt, motus eſt animi prouocans ad pœnam inferendam. Inter iram ergo & furorem nihil hîc intereſſe docet Auguſtinus: at corripi mitius, argui durius quid eſſe ſignificat, & in ſequentibus clariùs vtriuſq; diſcrimen declarat. *In ira,* inquit, *non ſolùm argui ſe non vult anima, quæ nunc orat, ſed nec corripi, id eſt, emendari vel erudiri. Nam in Græco* παιδεύσῃς *poſitum eſt, id eſt, erudias. Arguuntur enim in die iudicij omnes, qui non habent fundamentum, quod eſt Chriſtus: Emendantur autem, id eſt, purgantur qui huic fundamento ſuperædificant lignum, fœnum, ſtipulam. Detrimentum enim patientur, ſed ſalui erunt tanquam per ignem.* En quàm diligenter & apertè inter *arguendi & corripiendi* vocabulum, atq; vtriuſq; ſignificatum diſtinguat Auguſtinus? in die Iudicij poſt hanc vitam ait arguendos eſſe, vtiq; æternùm damnandos, qui fundamentum Chriſtum non habent; emendandos verò & purgandos per ignem, vt ſalui fiant, qui fœnum ſtipulaſq; fundamento inædificarunt. Quæ ergò fuit Prædicantis impudentia, vt in controuerſia de *arguendi & corripiendi* vocibus, de Auguſtino auderet dicere; *putat eandem rem duobus verbis ſignificari*; cùm vno æternum ſupplicium, altero purgantem pœnam tam diſertis verbis dixerit Auguſtinus ſignificari.

Sed quid ad alterum Auguſtini locum in Pſ. 37. longè apertiſſimum, quem Bellarminus pro-

tulit, reſpondet Prædicans? Vim veritatis ſentiens furenti ſimilis multa mendacia & calumnias contra Bellarminum, Ieſuitas Colonienſes, ipſumque Auguſtinum effutit. Bellarminum accuſat, quòd falsò & vitiosè textum Auguſtini retulerit. *Sic enim, inquit, refert Bellarminus verba Auguſtini.* Talem me reddas, cui iam emendatorio ſeu purgatorio igne non ſit opus. *En adulterata verſio.* O inſanum calumniatorem? an Auguſtinus Græcus eſt, vt de verſione adulterata Bellarminum accuſes? *Lectio* dixiſſes, ſi tecũ fuiſſes. Et vbi verba illa in Bellarmino, quæ illum ex Auguſtino referre ais, *ſeu purgatorio*? ſicné refert Bellarminus, *Emendatorio ſeu purgatorio*? verbum *Emendatorio* habet; illa, *ſeu purgatorio*, tua fraus adiecit. Sed quænam illa Auguſtiniani textus adulteratio? quibus eam teſtibus probas? *Fatentur*, inquis, *Ieſuitæ Colonienſes. Ante enim biduum Auguſtini opera vendenda expoſuerunt ob ingratam ipſis verſionem, vetus enim erat admodũ. Quæ mihi gratiſſima fuit. Hoc Auguſtini opus mirabiliter conſpurcarunt lituris, delendo vel immutando ſcripta Auguſtini. Attamen integer hic locus relictus, & legitur, non vt ſuprà Bellarminus, ſed ſic.* Talem me reddas, vt cui iã emendato igne non ſit opus. *Non autem legitur Emendatorio.* Bone Deus, quot figmenta hîc congeſſit Fabricius! Ieſuitas Colonienſes opera Auguſtini teſtamento ſibi legata, quòd ea ſæpius haberent, venalia propoſuiſſe verũ eſt; veterẽ editionem odiſſe: multis lituris conſpur-

caſſe,

caſſe, mera Fabricij figmenta ſunt. Ieſuitæ amant, & in pretio habent vetuſtos Codices: ex lege *in libris quibus vti licet, nec ſcribunt quidquam, nec notã vllam imprimunt.* At etſi Ieſuitæ Colonienſes, qui maculas illas in libris Auguſtini nõ fecerunt, ſed circa Eraſmi aut Viuis cõmenta, non textũ Auguſtini ab aliis factas acceperunt, multis in Auguſtino locis immutatis hunc integrũ reliquiſſent, an ex eo conſequẽs eſt, illos fateri lectionẽ eius loci à Bellarmino eſſe adulteratã? Ergóne nullæ in Auguſtino ſunt variæ lectiones? & q̃dquid variũ eſt, Fabricio adulterinũ eſt? Plures, nõ modò recentes, ſed veteres quoq; editiones Auguſtini habẽt *Emendatorio.* Inſpice editiones, Antuerpienſem a. 1576. Lugdunenſ. a. 1561. Pariſien. a 1555. Baſileenſem deniq; a. 1497. apud Mag. Ioannem de Amerbach, & cùm in omnibus *Emendatorio*, non *Emẽdato* legeris, calumniam, qua Bellarminum proſcidiſti, retracta. Antiquior Bellarmino eſt hæc lectio: ante annos iam viginti & centum in typo viſa eſt. Oſtendat, ſi poteſt, Prædicans, alterius lectionis, *Emendato*, tantam ætatem. Sed quanquam *emendato* legatur, tamen per ignem, non æternum, ſed temporalem Auguſtinus manifeſtè intelligit. Quare cùm Fabricius ità Auguſtinum explicat: *Iuxta quam verſionem* (emendato ſcilicet, non emendatorio) *ſenſus verborum Auguſtini eſt talis, Talem me redde, quem iam liberatum & emendatum à peccatis in hac vita non ſit opus trahi in ignem æternum*, iure talionis meritò exclamare poſſum;

Reg. 8. inter cõmunes.

En

En adulteratus ſenſus Auguſtini. Ità enim Auguſtinus. *In hac vita purges me, & talem me reddas, cui iam emendato*, (vt habet editio Baſileenſis an. 56.) *igne non opus ſit propter illos, qui ſalui erunt, ſic tamen quaſi per ignem. Quare, niſi quia hic ædificant ſupra fundamentum ligna, fœnum, ſtipulam? ſi ædificarent autem aurum, argentum, lapides precioſos, & de vtroque igne ſecuri eſſent, non ſolùm de illo, qui in æternum cruciaturus eſt impios, ſed etiam de illo, qui emendabit eos, qui per ignem ſalui erunt. Dicitur enim: Ipſe autem ſaluus erit, ſic tamen quaſi per ignem. Et quia dicitur, ſaluus erit, contemnitur ille ignis. Ita planè, quamuis ſalui per ignem: grauior tamen erit ille, quàm quidquid poteſt homo pati in hac vita.* Nónne ex his verbis Prædicans tenetur reus adulterij? *Tantum enim*, teſte Tertulliano, *veritati obſtrepit adulter ſenſus, quantum corruptor ſtilus.* Quis ignis ille, Fabrici, quo iam emendatus opus non habet? quo habent opus, qui ſalui erunt, ſic tamen quaſi per ignem. An eos, qui per ignem ſalui erunt, *opus eſt trahi in ignem æternum?* Annon audis diſtingui ab Auguſtino inter ignem æternum, qui æternùm cruciabit impios, & illum, qui emendabit alios, ſaluos per ignem futuros? Annon audis eos, qui aurum ędificant, ab vtroq; igne ſecuros fore; qui verò fœnum ædificant, niſi hic emendati fuerint, ab æterna quidem, non tamen ab emendante flamma liberos futuros? Quid tu *emendatorio igne*, tanquam adulterinam lectionem diffamas, cùm disertè paulò poſt *ignis, qui emendabit*, meminerit Augusti-

In Pſ. 37

De præſc. c. 17.

Digitized by Google

guſtinus? An ignis emendans non eſt emendatorius? *At concedito*, addit Fabricius demum malè ſibi conſcius, *in ea enarratione Auguſtinum agere de aliquo igne purgatorio. Qualis eſt ille? num qui fingitur ante iudicij diem? vel ille, quo conflagraturus eſt mundus in extremo interitu? Aduertat Lector Auguſtinum, qui imitatus Ambroſium, Ambroſius Origenem, putâſſe & docuiſſe ignem conflagrationis futurum ad purgationem peccatorum: nullumq́; purgatorium agnouerunt illi Patres inter obitum & Chriſti iudicium, ſed ſolùm in ipſo mundi interitu. Ad quod referunt Pauli verba 1. Cor. 3. ſaluus erit quaſi per ignem.* Non liberalis hæc Prædicantis conceſſio, ſed apertæ veritatis vi extorta confeſſio eſt. Verba Auguſtini clariora ſunt, quàm vt negari poſſit de igne quodam purgante locutum eſſe. Aliud ergo effugium quærit, & ad ignem conflagrationis longè retrò confugit: de eo Auguſtinum meminiſſe, hoc loco fingit, ne poſt mortem illicò aliquos flammis purgantibus emendari, videatur Auguſtinus docuiſſe. Sed vtrumq; falſum eſt, quod Auguſtino tribuit Prædicans, & hîc ſolum ignem conflagrationis intellexiſſe, & nullas ante extremum mundi diem purgationis pœnas agnouiſſe. Nam hîc nullam vel leuiſſimā extremi ignis, quo mundus cōflagrabit, & alibi ſæpiùs pœnarum temporalium, quas defunctorum ſpiritus mox ab obitu patiuntur, apertiſſimam mentionem facit. Dic, Fabrici, quo verbo Auguſtinus in loco ſuprà à me recitato, ignē

Ss con-

Digitized by Google

conflagrationis denotat? volue, reuolue, nullum inuenies: de igne, qui emendabit minuta peccata omnium hominum poſt hanc vitam, qui contemnitur, quia æternus non eſt, ſed tamen grauior eſt omni huius vitæ tormento, loquitur. Ignis conflagrationis non pridem defunctos, ſed quos ſuperſtites in terris, leuioribus maculis aſperſos repererit, vltimo die torquebit & purgabit, vt à morte illicò rediuiui, ſurgant mundi ad gloriam. Quid illis fiet, qui multò ante vita defuncti purgatione indigent? An differetur eorum gloria, dum cum extremi temporis hominibus die purgentur extremo? An inemendati ad puriſſimum Beatorum cœtum admittentur? Vt in communi humani generis iudicio quidam flammis breuibus purgantur: alij in æternum ignem ablegantur: alij ſiue ante deceſſum è vita puri, ſiue in deceſſu purgati, ad gloriam cœleſtem vocantur; ità in priuato cuiuſque poſt mortem iudicio, valdè malum gehenna, valde bonum ſedes beata continuò excipiet: qui leues maculas habebit, purgabitur, vt purgatus Beatis coniungatur. Ergo communi nomine Auguſtinus, vel vnà, quod & Apoſtolus 1. Cor. 3. facit, huius noſtri & illius extremi temporis ignem emendatorium comprehendit vel noſtræ ætatis purgatorium ignem, quem nunc viuentes imminentem vereri maximè meritò debent, ſignificauit.

Pro

Pro ſolo illo vltimo conflagrationis igne, quem ſolum ab Auguſtino ſignificatum eſſe Fabricius confingit, nullum verbulum in hac Auguſtini ſententia extat. Sed quàm falſum illud quoque, quòd non modò Auguſtinus, ſed etiam Origenes & Ambroſius *nullum purgatorium inter obitum & Chriſti iudicium agnouerint*, ſed ſolùm in ipſo mundi interitu! Breuiſſimus erit ille vltimus ignis facturus orbis incendium; de illóne Origenes loquitur, cùm ait? *Purgatio quæ per pœnam ignis adhibetur, quantis temporibus, quantisué ſæculis de peccatoribus exigat cruciatus, ſolus ſcire poteſt, cui Pater omne iudicium tradidit.* Nónne purgatorias pœnas cuiq; ligna, fœnum, ſtipulas ſuperædificanti, poſt egreſſum animæ de corpore, mox luendas ità idem denunciat? *Quid tibi vis fieri, cùm anima ſeiuncta fuerit à corpore? vtrumnam ingredi vis in ſancta cum lignis tuis, cum fæno & ſtipula, & pollues regnum Dei? an propter lignum, fœnum & ſtipulam foris reſidere, & pro auro, argento, & lapide precioſo nihil mercedis accipere? Sed neque hoc æquum eſt. Quid igitur ſequitur, niſi vt primùm propter ligna ignis tibi detur, qui conſumat fœnum, lignum & ſtipulam?* Si nullas Ambroſius poſt hanc vitam temporales animarum pœnas agnouit, cur pro Theodoſij anima Deo ipſe ſupplicauit? cur ad Fauſtinum ſcripſit, germanæ illius *animam oblationibus Domino eſſe commendãdam?* Cur *placidè ac benignè ſacrificium de manibus ad ſalutem omnium tam viuorum, quàm mortuorum ſuſcipi* à Deo poſtulauit?

l. 8. in Ep. Rõ. c. 11.

Hom. 12. in Hierẽ.

Orat. fun. Theodoſ.

Ep. 8. ad Fauſtin.

Orat. 1. ad Miſſ.

lib. 21 de uit? Quid de Auguſtino dicam? *Temporarias pœnas*,
Ciu. Dei. inquit ille, *alij in hac vita tantùm, alij poſt mortem, alij nunc*
c. 13. *& tunc, veruntamen ante iudicium illud ſeueriſſimum nouiſſimumq́;*
patiuntur. Et de ijs, qui cum leuibus delictis vita ex-
Ibi c. 24. cedunt, ait. T*ales conſtat ante iudicij diem per pœnas tempora-*
les, quas eorum Spiritus patiuntur, purgatos, receptis corporibus
æterni ignis ſupplicijs non tradendos. Alibi quoq;. *Qui agrum*
De Gen. *ſuum non coluerit, & ſpinis eum opprimi permiſerit, habet in hac*
cont. Manich. l. 2. *vita maledictionem terræ ſuæ in omnibus operibus ſuis, & poſt*
c. 20. *hanc vitam habet vel ignem purgationis, vel vitā æternam.* Quo-
Serm. 32 de verbis modo nullas defunctorum pœnas ante vltimum
Apoſt. & diem agnouit, qui tam frequenter Spiritus mortu-
l. de cura pro mor- orum orationibus, aliiſq́; pijs operibus viuentium
tuis c. 1. adiuuari meminit? tam feruidè pro anima matris,
& c. 4. l. 9. Conf. quæ ſui memoriam ad altare Domini fieri deſide-
c. 13. rauerat, ipſe precatus eſt? tam diligenter monuit
religioſè mortuorum corpora in Martyrum baſili-
l. de cura cis condi, vt eorundem animæ *ſanctis Martyribus, tan-*
pro mort. c. 1. 4. 5. *quam Patronis apud Dominum iuuandæ commendentur*? Sed
18. hæc ſatis, de tot Fabricij criminationibus in Bellar-
minum, & ipſum Auguſtinum circa illam Dauidis
precatiunculam; *neq; in ira tua corripias me.*

Calumniatur Bellarminum Fabricius: impudenter Patrum ſuffragium pro purgatorio negat, & craſſas fallacias in Patribus committit. §. VI.

Excu-

EXcutiamus iam breuiter examen, quod circà Malachiæ locum. 3. *Ipſe ſedebit quaſi ignis conflans*, Prædicans inſtituit. Miratur initio Bellarminum recedere à communi interpretatione Eccleſię, quæ locum hunc ſemper expoſuit non de pœna mortuorum, ſed quæ purgat viuentes. Miror Fabricium perpetuò calumniari: Bellarminus locum hunc de pœnis purgatorijs mortuorum minimè interpretatur: ſed ex Patrum expoſitione de vltima viuentium, ante extremam iudicis ſententiã, purgatione colligit, nunc quoq; mortuos, qui purgatione opus habent, ſtatim à morte pœnis quibuſdam purgari. *Hunc locum*, ait Bellarminus, *exponunt de pœna purgatoria Origenes, Ambroſius, Auguſtinus, Hieronymus; & quanquam pœna illa purgatoria non eſt ea, de qua nunc agimus; nam illa purgabit viuentes, nos autem agimus de pœna mortuorum: tamen inde rectè infertur purgatorium. Nam ideò tunc præcedet tribulatio grauiſsima, & poſtea etiam ignis deſcendet, & purgabit celerrimè omnes reliquias peccatorum in hominibus iuſtis, quia, vt Irenæus etiam notat in fine lib. 5. tunc repente Eccleſia, quæ eſt in terris, aſſumenda erit ad ſponſum, nec erit tempus purgationis vlterius, vt nunc eſt poſt mortem ante iudicium.* Hæc ſunt Bellarmini verba; Non poſſum ego meis Bellarmini innocentiam, & Fabricij calumniam in clariori luce ponere. Sed addit huic calumniæ ſuæ, tanquam obſcuriori, aliam Fabricius luculentiorem. *Habemus*, inquit, *Bellarminum reum ſi fatentem. Poſtquã*

lib. 1. de purg. c. 3. ad fin.

enim articulo 27. expoſuit hunc locum de pœna purgatorij, Art. 60. corrigit errorem: Non, *inquit*, de pœna purgatorij, ſed de purgatorio in hac vita Patres locum expoſuerunt. *Videat Lector, quanta vertigine laboret ipſius cerebrum.* Fabricij ſcilicet. Nullus apud Bellarminum eſt Articulus Quos Articulos ergo Prædicantis vertigo numerat & oſtentat? Nulla in Bellarmino extat erroris correctio. Nam primo loco iam à me recitato, quo erráſſe illum falſò calumniatus eſt Prædicans, illud ipſum exertè dixit Bellarminus, quod in confic̄ta correctione eum dixiſſe narrat Fabricius. Non eſt ergo, quod impudēter poſtulet, vt oſtendamus, *quis Patrum, qua ætate, quo ſenſu lata fuerit hæc expoſitio pro purgatorio.* Neque enim hunc locum ità exponimus, ſed ex quorundam Patrum expoſitione de acerbiſſima illa ſuperſtitum iuſtorum ante vltimum iudiciū purgatione, probabile Argumētum pro grauibus purgatorii pœnis eorum, qui iā non omninò emaculati moriuntur, ducimus. Si enim Deus vltimi iudicii ſentētia imminente, poſtquam nullus purgationi erit locus, iuſtos adhuc viuos ideò tam acriter extra ordinem, per ignem purgaturus eſt quis credat iis, in quos ob temporariæ pœnæ debitum minimè grauiter in vita animaduertit, poſt mortem, cùm necdum vltimi iudicij dies inſtat, ob delic̄ta in vità non penitus expiata, parſurum eſſe?

Vlti-

Vltimus ſcripturæ locus à quibuſdam Patribus de purgatoriis pœnis explicatus, & tanquam argumentum probabile à Bellarmino allatus, quem Fabricius impugnat, eſt illa Domini ſententia; *Non exibis inde*, (ſcilicet ex carcere) *donec reddas nouiſſimum quadrantem.* Indignatur Prædicans hunc locum pro purgatorio à nobis produci. *Nullus omnino Patrum*, inquit, *ità expoſuit. Audent tamen Origenem, Ambroſium, Auguſtinum vocare, tanquam fautores interpretationis de purgatorio.* Audaciſſimus præco, qui tam breuibus duabus ſententiis totidem mendacia vulgat. Primùm enim, Auguſtinum huius interpretationis fautorem nemo noſtrùm nominat; Imò Bellarminus clarè locum hunc de pœnis æternis ab eo explicari aſſerit, his verbis. *Auguſtinus putat hic agi de pœnis æternis gehennæ, & ideò dicit illud; donec reddas, non ſignificare certum tempus, ſed æternitatem, ſicut cùm dicitur Matth. 1. non cognouit eam, donec pareret filium ſuum.* Quænam ergo illa eſt audaciſſima Fabricij temeritas, qua nobis audet obiicere ambitum patrocinii Auguſtiniani circa locum hunc de purgatorio intelligendum? De Origene & Ambroſio fatemur illos à nobis laudari huius interpretationis Patronos: & inſuper alios Tertullianum, Cyprianum, Euſebium Emiſſenum, Hieronymum, Bernardum nos habere, cum Bellarmino, qui horum omnium teſtimonia loco iam citato recitat, profitemur. Quà tu fron-

Matt. 5. & Luc. 12

Bell l. 1. de purg. c. 7.

te.

Digitized by Google

te, nullum omnino Patrem ità hunc locum expoſuiſſe, aſſeueras? Cyprianum, Euſebium Emiſſenum, Bernardum non tangis; clariùs enim de temporalibus pœnis, quibus emendentur & purgentur poſt hanc vitam nonnulli, locum illum interpretantur, quàm vt vllum fucum patiantur. *Aliud eſt*, inquit Cyprianus, *miſſum in carcerem non exire inde, donec ſoluat nouiſſimum quadrantem; aliud ſtatim fidei & virtutis accipere mercedem; aliud pro peccatis longo dolore cruciatuum emundari, & purgari diu igne; aliud peccata omnia paſſione purgaſſe &c.* Et Euſebius Emiſſenus. *Qui temporalibus pœnis digna geſſerunt, ad quos ſermo Dei dirigitur, quòd non exeunt inde, donec reddunt nouiſſimum quadrantem, per fluuium ignem tranſibunt.* Bernardus deniq;. *Illud ſcitote, quia poſt hanc vitam in purgatorijs locis centupliciter, quæ fuerint hic neglecta, redduntur, vſq; ad nouiſſimum quadrantem* Quare hæc iſtorum teſtimonia diſſimulaſti? Cur nobis nō obiecisti, quòd hos cauſæ noſtræ Patronos audeamus iactare? Et adhuc audes clamare, *Nullus omninò Patrum ità expoſuit?* Nondum erubeſcis? Imò inſuper illos alios Origenem, Ambroſium, Hieronymum, Tertullianum nouo fuco nobis impudenter eripere conaris. *Origenes*, inquis, *docebat, infideles, imò Diabolos purgari & emendari in inferno, ſaluosq́; fieri; Idem docuit animas detineri alibi vſq; ad extremum diem, tum purgandas igne conflagrationis. De his purgatorijs pœnis locum allegatum expoſuit. Ambroſius eandem doctrinam eſt ſecutus, docetq́; omnes, quicunq*

Cypr. l. 4. ep. 2. al. 52.

Hom de Epiph.

Serm. de obitu Huberti.

ad

ad paradiſum ire deſiderant, tranſire debere per flammas, ſiue Ioannes Euangeliſta, ſiue Petrus, qui claues accepit regni Cœlorum. Intelligit autem flammas conflagrationis. Origenem & circa infidelium temporarias pœnas, & circa ſanctiſſimorũ quorumq; purgationem per flammas faciendam erráſſe, verum eſt; in teſtimonio, quod Bellarminus ex illo recitat, de his, aut horum alterutro, locum ex Euangelio allegatum expoſuiſſe, quod Fabricius affirmat, apertè falſum eſt. *Si, qui parùm debet,* inquit Origenes, *non egreditur, niſi ſoluat minutum quadrantem, vtiq; qui tanto debito* (decies mille talentorum ſcilicet) *fuerit obnoxius, infinita ei ad reddendum ſecula numerabuntur.* Nónne apertè inter paruum, magnumq; debitum diſcernit? & huic infinita ſæcula, illi minus tempus in pœnam numerat? Quomodo per parabolam quadrantis damnatorum pœnas ſignificat, qui illam non de grandi debito, quale damnatorum eſt, ſed de paruo, quale plerumq; etiam iuſti habent, exponit? Ambroſius alicubi affirmat, etiam ſanctos per ignem tranſituros, ſed ſine vſtione, ſine læſione, cùm dicat, ignem illis roris inſtar, non ſecus atque tribus pueris in fornace Babylonica, futurum. Longè abeſt hæc ab Origenis errore ſententia, de qua ità cenſet Bellarminus, vt nec audeat pro vera aſſerere, nec vt errorem improbare. At eo loco, quo Ambroſius quadrantem explicat, non de celeri etiam ſanctorum

Ambr in Pſ. 36. & in pſ. 118 ſerm. 20.

Hom. 35. in Luc.

in Pſ. 36

l. 2. de purg. c. 1.

Digitized by Google

per ignem tranſitu, ſed de longiori pœnarum, quibus peccata eluuntur, morâ mentionem facit. Ait enim, ſicut per quadrantem in balneis oblatũ accipitur facultas lauandi, ità in iudicio accipi eluẽdi, *quia vniuscuiusq; peccatum eluitur, cùm tam diu exercetur noxius pœnis, vt commiſsi ſupplicia erroris expendat.* Locum iſtum à Bellarmino, pro pœnis purgatoriis per quadrantem ſignificatis, prolatum ſubticuit Fabricius, & alium, in quo non de quadrante nouiſſimo, ſed de innoxio ſanctorum per fluuium tranſitu mentio eſt, doloſè notauit. Sed etiam Hieronymi auctoritatem nobis circa quadrantis interpretationem Prædicans invidet. *Hieronymus eodem*, inquit, *modo exponit, quo Chryſoſtomus.* Quo ergo modo iſte? *Chryſoſtomus exponit de vera via, qua itur ad iudicem in hoc mundo, nullamq; docet parabolam ſubeſſe, ſed ad litteram terret diſsidentes condemnatione humanorum iudiciorum.* Verè hoc, quod his ipſis verbis notat Bellarminus, & ex illo Fabricius de Chryſoſtomo. Sed eandem eſſe Hieronymi interpretationem, falſum Fabricii commentum eſt. Nam præter aduerſarium, ille & viam, & iudicem, & carcerem, & quadrantem parabolicè intelligenda eſſe, in 5. cap. Matthæi clarè docet. An de vera via, qua itur ad Iudicem humanum, illud, *Eſto in via conſentiens aduerſario tuo*, intelligit, qui de iſtius ſæculi viâ, hoc eſt, vitâ iſtâ nominatim interpretatur? *Manifeſtus eſt ſenſus*, inquit, quod

In c. 12. Luc.

In 5. cap. Matth.

quod nos Dominus atq; Saluator noſter, dum in iſtius ſæculi via currimus, ad pacem & concordiam cohortetur. Aduerſarium ergo hominem, quem offendimus, aut à quo offenſi ſumus, argumentum ex antecedente Domini mandato de reconciliatione præ ſacrificio facienda, & ſequenti de diligendis inimicis deſumens, interpretatur. Nec improbat tamen deinde, per aduerſarium etiam Diabolum, cui in Baptiſmo renunciauimus, intelligi, quem ſenſum quoq; alibi tradit. *Ep 8. ad ad Deme.* Tum verò & Iudicem, & carcerem, & quadrantem ad iudicium & pœnas alterius vitæ apertè refert: Atque cùm dixiſſet quadrantem genus eſſe nummi, qui habet duo minuta, demum concludit. *Hoc eſt ergo quod dicit. Non egredieris de carcere, donec etiam minima peccata perſoluas.* Vides, Fabrici, per quadrantem nō pecuniam, ſed minima peccata in carcere ſupremi iudicis perſoluenda à Hieronymo intelligi, falſoq; à te illum in ſententiam Chryſoſtomi minimè parabolicam rapi. Nec verè deniq; Tertulliani ſuffragium nobis negas, cùm ais. *Tertullianus dicit, eam eſſe primam interpretationem, ſicq; ſimpliciter intelligendam. Aliam tradens exponit de dilectione inimicorū.* *l. de anima c. 35.* Plena dolis ſententia. Duplicem loci illius cōtra Carpocratē, qui eo ad metemphychoſin abutebatur, interpretationem adfert Tertullianus; primam de homine & Iudice Ethnico; alterā de Diabolo & Iudice Sūmo. Recitemus Tertulliani verba, vt multi-

 tipli-

tiplicem Fabricij fraudem meliùs retegamus. *Huc* (ad metempſychoſin ſcilicet) *temperat* (Carpocrates) *totam illam allegoriam Domini certis interpretationibus relucentem, & primò quidem ſimpliciter intelligendam. Nam & Ethnicus homo aduerſarius noſter, eſt incedens in eadem via vitæ communis. Cæterùm oportebat nos de mundo exigere, ſi cum illis conuerſari non liceret. Huic ergo animi bonum præſtes iubet.*
1. Cor. 5. Luc. 6. *Diligite enim inimicos veſtros (inquit) orate pro maledicentibus*
Math. 5. *vos, ne aliquo commercio negotiorum iniuria prouocatus, abſtrahat te ad ſuum iudicem, & in cuſtodiam delegatus, ad exolutionem totius debiti arcteris. Tum ſi in Diabolum transfertur aduerſarij mentio, ex obſeruatione comitante, cum illo quoq; noueris eam inire concordiam, quæ deputetur ex fidei conuentione: pactus es enim renunciare ipſi & pompæ, & Angelis eius. Conuenit inter vos de iſto. Hæc erit amicitia, obſeruatio ſponſionis, ne quid eius poſtea reſumamus ex his, quæ ei eieraſti, quæ illi reddidiſti, ne te, vt fraudatorem, vt pacti tranſgreſſorem iudici Deo obijciat, (ſi-*
Apoc. 12 *cuti eum legimus alibi ſanctorum criminatorem, & de ipſo etiam nomine Diaboli delatorem) & Iudex te tradat Angelo executio-*
Math. 5. *nis, & ille te in carcerem mandet infernum, vnde non dimittaris, niſi modico quoq; delicto mora reſurrectionis expenſo. Quid his ſenſibus aptius? quid his interpretationibus verius?* Iam multas in paucis Prædicantis verbis fraudes numeremus. Cùm Chryſoſtomi interpretationem verè retuliſſet, eamq; Hieronymi quoque fuiſſe falſò dixiſſet, quaſi eandem Tertullianus commendaret, mox ſubiungit. *Tertullianus dicit eam eſſe primam interpretationem.*

Digitized by Google

tationem. Hoc ſcilicet eſt fraudem ex fraude nectere. Chryſoſtomus nullam parabolam agnoſcit; Tertullianus *allegoriam* vocat. Chryſoſtomus viam veram, qua itur ad iudicem; Tertullianus *vitæ communis viam*; Chryſoſtomus aduerſarium quemcunq; nobis contrarium; Tertullianus *hominem Ethnicum*; ille quemuis; iſte *hominis Ethnici Iudicem* intelligit. Non ergo Tertullianus Chryſoſtomi interpretationem primam eſſe dicit, ſed primam ipſe longè diuerſam affert. Hæc prima Fabricij fraus. Altera eſt, cùm dicit, alteram Tertulliani interpretationem eſſe de dilectione inimicorum. Manifeſta fallacia; nam Domini mandatum de inimicis diligendis Tertullianus inter media primæ interpretationis verba profert, vt etiam Ethnico homini in hac via vitæ communis, bonum animi, hoc eſt, charitatis obſequium præſtandum eſſe demonſtret. *Huic*, inquit, *bonum animi præſtes iubet. Diligite enim inimicos veſtros, inquit, orate pro maledicentibus.* Cauſa his verbis redditur, vt vel ex vocula *enim* clarum eſt, cur Ethnico bonum animi præſtandum ſit, non alia interpretatio profertur. Sequuntur etiam pleraq; ad primam interpretationem pertinentia de commercio, iniuria, iudice, cuſtodia, debito, vt ex his quoq; non antè cœptam eſſe alteram expoſitionem apertum fiat. Tertia ergo Fabricij fraus eſt, quòd ſuppoſititiam iſtam obtrudens, germanam poſteriorem Tertulli-

Digitized by Google

ani expoſitionem de Diabolo aduerſario, Deo iudice, carcere inferno, delicto modico ante dimiſſionem morâ reſurrectionis expendendo, tam malignè retruſerit, præſertim cùm vtramq; demum, & primam ſimpliciorem, & alteram abſtruſiorem, vtramq;, inquam, tanquam aptam & veram illo epiphonemate Tertullianus commendârit. *Quid his ſenſibus aptius? Quid his interpretationibus verius?* In altera ergo interpretatione, quam Prædicans fallaciſſimè ſuppreſſit, locum illum de pœna temporaria, qua modica delicta poſt hanc vitam expenduntur, interpretatur Tertullianus, &, fremente licet aduerſario, ille quoq; nobiſcum eſt. Dicat iam Fabricius cum ſolœcophane. *Ex his patet nouam prorſus, & errore ſcatentem expoſitionem Eccleſiæ Romanæ de purgatorio.* Dicam ego rectiùs; Ex his patet, noſtras huius & aliorum locorum de purgatorio interpretationes, ob complurium veterum Patrum auctoritatem antiquas & probabiles: nouas verò & abſurdas Prædicantis impoſturas eſſe, quibus Patrum nos Patrocinio deſtituere cogitauit.

Malè cultum imaginum ex Synodo Francofordienſi impugnat Prædicans: peiùs varios Synodi Nicenæ II. Patres, poſt multas mutilas falſasq; eorum allegationes, ipſe ridendus irridet. §. VII.

ANtiqua & communis hæreticorum cantilena eſt, Synodi Nicenæ ſecundæ, quæ inter Oecumeni-

menicas ſeptima fuit, doctrinam de ſacrarum imaginum veneratione, etiamnum in Romana Eccleſia receptam, à celebri, numeroſoq; Francofordienſium Patrum Concilio reiectam, damnatamq; eſſe. Fidem ſuæ cantilenæ pleriq; hactenus fecêre, vel ex quadam Carolini libri præfatione, vel ex quorundam hiſtoricorum teſtimoniis. Etſi enim extat vna pars Actorũ Concilij Francofordienſis contra Fælicis & Elipandi errorẽ de adoptione Chriſti: pars tamen altera, quæ de imaginibus tractat, in Tomis Conciliorũ nõ reperitur. Quare Cẽturiatores alioquin in Eccleſiæ perniciẽ admodùm curioſi, cũ definitionẽ Cõcilij de imaginibus verbatim referre nõ poſſent, etiã ſentẽtiã de adoptione & ſeruitute, quã ad verbũ ex Actis recitare potuiſſent, proprio ſtilo in compendiũ vaferrimè redegerũt, ne ſcilicet quiſquã de mala fide in referenda Concilij de imaginibus definitione ſuſpectos haberet, ipſaq; verba Cõcilij authẽtica ſibi exhiberi poſtularet. Sed Fabricius, vt cultum imaginum vniuerſalis Eccleſiæ magiſterio repugnare oſtenderet, nec aliorum teſtimoniis niti, nec Concilij Francofordienſis definitionem alienis verbis recitatam opponere, ſed ipſiſſima eiuſdem Concilij verba nouo & inuſitato ſtratagemate producere in aciem voluit. *Patres*, inquit, *Concilij Francofortenſis cenſent imaginum cultum omninò contrarium eſſe magiſterio Eccleſiæ Catholicæ, id eſt, vniuerſalis. Hæc ſunt*

Tom. 3. Conc. Colon. anno 1567. & Venet. a. 1585. Cent. 8. c. 9.

ſunt verba. Nos propheticis, Apoſtolicis & Euangelicis ſcripturis contenti, & ſummorum Patrum ac Orthodoxorum, qui nullatenus in ſuis dogmatibus ab eo, qui eſt via, veritas & vita deuiârunt, inſtitutis imbuti, ſuſcipientesq́; ſanctas vniuerſales Synodos ſex, quæ pro varijs hæreſeon infeſtationibus à ſanctis & venerabilibus Patribus geſtæ ſunt, omnes nouitates vocum, & ſtultiloquas adinuentiones abijcimus, & non ſolùm non ſuſcipimus verùm etiam, tanquam purgamenta deſpicimus, ſicut & eam, quæ propter adorandarum imaginum impudentiſſimam traditionem in Bithyniæ partibus geſta eſt, Synodum, id eſt, Nicenam. Vnde verò tu hæc verba deſumpſiſti? ex quibus Concilij Francofordienſis Actis? cur librum nullum in margine notâſti? Fraudem tuam prodere noluiſti: non enim ex ipſis Concilij actis, ſed ex præfatione Carolinorum librorum, qui acta Concilij illius minimè continent, ea deſcripſiſti, & pro Concilij verbis venditâſti. Et tamen prolato illo decreto, quaſi rem maximam præſtitiſſes, ad par facinus me prouocas. *Ex aduerſo*, inquis, *tenetur Ieſuita nobis oſtendere cultum imaginum in ſcriptura, Duce Eccleſia, id eſt, communi conſenſu alicuius Synodi vniuerſalis.* Qua lege teneor? an quia ſcripſi, omnem veritatem in ſcripturis ductu Eccleſiæ quærendam eſſe? Non ego hoc ſcripſi, ſed Fabricius finxit, cùm argutè ſcilicet ſupra indefinitam propoſitionem vniuerſali æqualem eſſe contendit. Non omnis veritas in ſcripturis exprimitur: quæ verò expreſſa eſt, ità ibi quærendam eſſe aſſero,

vt

vt à communi Eccleſiæ ſenſu, quod in Euchariſticis Chriſti verbis explicandis Caluiniſtæ faciunt, nulla fiat diſceſſio. Traditionum auctoritas generatim à ſcriptura commendatur: ſingulæ in illa deſcriptæ non reperiuntur. Talis quoq; eſt Catholicæ Eccleſiæ, de venerandis Chriſti, Deiparæ, & Sanctorum imaginibus ſententia: quæ etſi ex ſcriptura non obſcurè deducitur, in ea tamen expreſſa non eſt, ideoq; inter traditiones non ſcriptas, non ſolũ à S. Damaſceno lib. 4. de fide. cap. 17. verùm etiam à Synodo ſeptima non in Act. 2., vt perperam Fabricius etiam numero paginæ adiecto, libro autem, vt ſuſpicor, minimè inſpecto, annotat, ſed in Act. 6. Tom. 4. *refutationis falſò nominatæ definitionis Iconomachorum* numeratur, vbi Iconomachis vſum imaginum, nec ex Chriſti, nec ex Apoſtolorum, nec ex Patrum traditione cœpiſſe criminantibus Epiphanius Diaconus reſpondet. *Quòd autem cum multis alijs, quæ in Eccleſia obſeruantur ſine ſcriptura, nobis imaginum veneratio tradita ſit ab Apoſtolorum temporibus, latè per Hiſtoricos traditum eſt, de imagine maximè hæmorrhoiſſæ, quam multis ſcriptoribus confirmare poſſumus.* Tum verò, cùm Baſilii, Gregorii Nyſſeni & Nazianzeni, Cyrilli Alexandrini, Anaſtaſii, Sophronii, Maximi loca, Actione 4. fuſiùs recitata indicaſſet, ſubiungit. *Sed quid hos nominatim citamus? Omnes enim ſancti Patres noſtri imagines receperunt. Quam ob cauſam mendaces deprehenduntur in hoc, quòd dicant, non eſſe Patrum tra-*

Act. 6. Tom. 4. refutat.

Digitized by Google

ditionem. Quanquam verò Synodus hæc Nicena imaginum venerationem pro traditione non ſcripta habuit, nuſquam tamen docuit, nullis eam argumētis ex ſcriptura confirmari poſſe, quod ei falſò his verbis imponit Prædicans. *Synodus Nicena irridens pueriles ſupradictorum Epiſcoporum* (ſcilicet Adriani Papæ, Theodori Patriarchæ, Leōtij, Theodoſij, &c.) *interpretationes locorum ſcripturæ de imaginibus, concludit imaginum cultum non debere peti ex aliqua interpretatioe ſcripturarum, ſed ex ſermone tradito non ſcripto.* Traditionem in ſcriptura non expreſſam eſſe cultum imaginum, vt audiuimus, tradit Synodus: nullis verò argumentis ſacrarum litterarum ſuaderi poſſe, nuſquam, quod Fabricius fingit, aſſerit. Teſtimonia ex veteri ſcriptura, vel ab exēplo, vel à ſimili ducta nec ſpernit, nec ridet, ſed ità probat ſancta Synodus, vt ijs vel maximè conſtantem Eccleſiæ Catholicæ traditionem adiungendam cenſeat, ad retundendam Iconomachorum de imaginum nouitate calumniam, quam ſupra iam alibi effuſam, & à nobis refutatam, hîc refundit Prædicans, cùm primis trecentis annis nullum imaginum vſum in templis fuiſſe iteratò impudentiſſimè negat.

In defen. 1. fundā. c. 3. ante finem.

Quid verò tandem eſt, quod Synodi Nicenæ Patres aliqui ità in ſcripturis interpretandis luſerunt, vt Synodus cum riſu illos notauerit, nihilq́; de imaginum cultu ex ſcripturis ſuadendum eſſe de-

decreuerit? *Adrianus primus*, inquit Fabricius, *in Epiſtola ad Synodum probat cultum imaginũ ex eo*, Confeſſio & pulchritudo corã eo. *Iterum*. Domine dilexi decorẽ domus tuæ, exquiſiuit te facies mea, faciem tuam, Domine, requiram. *Quis non rideret, niſi ageretur de Dei gloria?* Quis non indignetur, vbi agitur de Dei gloria, ità fraudulenter agere Prædicantem? Diſſimulo illum errorem, quòd Epiſtolam Adriani ad Synodum nominet, quæ ad Conſtantinum & Irenen Auguſtos data eſt. Malum hunc dolũ hominis diſſimulare nõ poſſum, quòd has duas regij pſaltis ſententias ab Adriano vltimo loco poſt alia multò firmiora ſcripturæ teſtimonia prolatas, quaſi in iis omne ſuæ confirmationis momentũ Pontifex poſuerit, ſolũ proferat: plura verò anteà ex Geneſi, Exodo, Numeris, Regum hiſtoria, pro ſacratum imaginum veneratione, ſimilia & exẽpla efficaciſſima ab eodẽ deprompta, iniquiſſimo prorſus ſilentio diſſimulet. Argumentũ Pontificis eſt, & hodie Catholicorũ Theologorũ, ꝙ Caluiniſtæ infirmare nunquã potuerunt. Si aliæ quædã res inanimæ ob peculiarem quendam ordinem ad Deum ſanctę olim habitæ, & veneratione dignæ rectè iudicatæ ſunt, cur imagines Chriſti, & Cœlitum ſacras & venerandas hodie iurè nõ æſtimemus? *Iacob vidit per viſum*, inquit Adrianus, *Angelos Dei per ſcalam aſcendentes & deſcendentes, & Dominum innixum ſcalæ ad ſe loquentem, poſtquam autem*

Pſ. 96. 6
Pſ. 26. 3
Pſ. 27. 8
Ep. ad Conſtant. & Irenem
Gen. 28.

Digitized by Google

ſurrexiſſet, ex ſua voluntate lapidem, in quo caput declinârat, ſuſtulit: & vbi erexiſſet eum, infudiſſetq́; oleum ſuper eum, vocauit locum Bethel, dicens; Non eſt hic aliud, quàm domus Dei. Ob quam ſanè cauſam non legimus illi iratum Deum, non enim illi exprobrauit, quòd ſua voluntate lapidem erexiſſet. Etenim, ó ſereniſſimi filij Principes, & rectè ſentientes Imperatores, quæcunq; in admonitionem hominum ad gloriam Dei ſpectantia fiunt, Deo diſplicere
Gen. 49. *nequeunt. Rurſus idem Iacob in ſummitate virgæ ſuæ adorauit, fi-*
Heb. 11. *de dilectionis id agens. De qua B. Apoſtolus in Epiſt. ad Hebræos. Non quòd virgam illam, ſed tenentem eam in ſignum dilectionis adorauit. Quid hoc ſibi vult? nimirum quòd & nos iuxta deſiderium & amorem, quo erga Deum, ſanctoſq́; illius affecti ſumus, figuras in imaginibus repræſentemus: non, inquam, in coloribus & tabulis honorem conſtituentes, ſed eorum prædicantes gloriam, quorum appellationem imagines referunt.* An hæc quoq; Adriani diſputatio pro ſacris imaginibus ex ſacra Geneſi, tibi, Prædicans, ſplenem in cachinnos ſoluit? An & Iacob ineptè locum, in quo cœleſte prodigium viderat, pro ſacro habuit, eumq́; aræ, ſolemni cerimonia Deo ſacratæ, ſtructura ridiculè cohoneſtauit? An cùm idem ille ſceptro filij oſculum reuerenter fixit, & per ſceptrum non modò Ioſephum, tunc Ægypti, ſed etiam Prophetico Spiritu Chriſtum, olim totius orbis Principem ac ſeruatorem de ſtirpe ſua naſciturum veneratus eſt, ſuperſtitionis notam meruit? Si hunc, quem ſcriptura cōmendat, damnare non audes, Fabrici, quo iure damnabis

Digitized by Google

mnabis, qui conſimili ratione in imagine Chriſtũ honorat? Quid tibi animi eſt de propitiatorio, & Cherubinis aureis, de quorum medio ſe locuturũ Dominus Moſi promiſit? Adrianus verbis Domini his de rebus è libro Exodi recitatis, ità concludit. *Ex his animaduertendum eſt, Sereniſsimi Domini & filij Principes, Deum omnipotentẽ Dominum noſtrum, de medio Cherubin manu hominum factorum, pro ſalute populi non dedignatum loqui. Quãobrem non eſt dubitandum, omnia, quæ in Eccleſiis Dei, ad laudem & decorem domus illius conſtituuntur, ſancta & colenda eſſe:* Et infra multò pòſt; *Quare ea, quæ ſancta ſanctorum dicuntur, cùm ſint manufacta, præterea Cherubin & ſex alata illa, quæ circa altare Domini fuerunt, cùm ſint animalia & imagines Angelorum, opera manuum hominum, non fuerunt eiecta, & à Iudæis proculcata? Non aliam ſanè ob cauſam, quàm quòd Dei mandato imagines fuerunt Angelorum ſacratæ. Gentium autem idola, quia imagines fuerunt Dæmonum, Deus eiecit & condemnauit. Nos verò in memoriam ſanctorum imagines facimus: quorum ais? Abrahæ, Moſis, Eliæ, Eſaiæ, Zachariæ, reliquorumq; Prophetarum, Apoſtolorum & ſanctorum Martyrum, qui propter Chriſtum tribulati ſunt, quò omnis, qui in imagine contemplatur, illorum & meminerit, & glorificet Deum, qui illos quoq; magnifecit. Decet ſiquidem eos, honor & veneratio propter iuſtitiam eorum, vt omnis, qui viderit eos, in imitationem illorum operum ducatur.* An & in his verbis habet Momus noſter, quod rideat? arca, propitiatorium, cherubinorum effigies, ſancta omnia, & locus, qui hæc capiebat, ſancta ſancto-

Digitized by Google

rum appellatus honorabilis fuit, cur Chriſti Cœlitumq́; iconibus nomē ſacrum, honorq́; omnis negetur? Grauiùs verò dein aduerſarios premit Adrianus ſerpentis æneï exemplo. *Sed & hoc*, ait, *ò Sereniſſimi Imperatores, ad incredulorum certiorem fidem, & errantium caſtigationem adijciendum eſt, non fruſtra Moſi famulo ſuo, quemad-*
Num. 21. *modum in lib. Numerorum legitur, propter peſtem in populo graſſantem præcepiſſe: Fac ſerpentem, & pone illum in ſignum, & qui tactus fuerit, illumq́; inſpexerit, viuet. Fecit igitur Moſes ſerpentē æneū, & poſuit illum, & ſeruati ſunt. O inſaniam infrementium* (etiam Caluiniſtarum) *aduerſus fidem & cultum ſacrum Chriſtianorum! ò ſtultitiam vetantium venerandas imagines honorari, in quibus ſeruatoris noſtri, cuius potentia genus humanum & conſtat adhuc, & ſeruatur: præterea genitricis eius omniumq́; ſanctorum hiſtoriæ continentur. Nam ſi Iſraëliticum populum per inſpectionē æneï ſerpentis ſeruatum à ſua peſte credimus: Chriſti verò Dei & ſeruatoris noſtri omniumq́; ſanctorum figuras contemplantes & venerantes, dubitamus nos ſeruari? abſit ut amplius dubitemus. Abſit vt à Patrum ſanctorum traditione diuerſa ſentiamus, hæreamus in doctrina illorū, nec ab illa declinemus.* Nondum riſu abſtines, Prædicans? Non poterit nunc Chriſtus in propria, claraq́;, qui in aliena, obſcuraq́; ſerpentis imagine olim potuit effigiari, inſpici, & honorari? Cur hoc, aliaq́; ſuperiora argumenta præteriſti, ſi & illa riſus materiam ſuppeditant? Sed quid deniq; in illis quoq; Pſalmorum verſiculis ab Adriano ad extremum allatis, ridiculū, quod tantos cachinnos merea-

rea-

reatur? Nihil omninò. Ab exemplo Salomonis Cherubinorum imaginibus magnificentiſſimum templum exornantis argumentatur Pontifex, licere etiam nobis in tēplis ſacras imagines collocare. Placuiſſe verò Deo illum veteris templi ornatum, imò & nunc venerandas Chriſti imagines in noſtris tēplis expoſitas, probat ex quibuſdā regij pſaltis ſententiis, quibus ille & tabernaculi tunc erecti, & tēpli à ſe iam tum animo concepti, atq; à filio exædificandi maieſtatem laudat, & Chriſtum ſeruatorem in humana forma intueri deſiderat. *Et Salomon,* inquit Adrianus, *in eo templo, quod Domino ædificauit, Cherubin in gloriam Dei fecit, & diuerſis coloribus illud adornauit.* 3. Reg 6.
Quare ergo non & nos quoq; ſentientes rectè confeſſionem fidei noſtræ, & ſpecioſitatem domus Dei ex diuerſis coloribus & picturis exornabimus, cùm & Iſaias Propheta dicat. In diebus illis Iſ. 19.
erit altare Domini in medio terræ Aegypti, & columna continēs fines eius: & erit in ſignum & teſtimonium Domino in terra Aegypti &c. Quin etiam pſalmorum Cantor Dauid hymnum canens dicit; Confeſſio & pulchritudo corā eo. Iterum. Domine dilexi de- Pſ. 95. 6
corē domus tuæ, & locū habitationis gloriæ tuæ. Pſ. 25. 8 *Rurſus idem aduentum & incarnationem filij Dei ſeruatoris noſtri prædicans, magnificè faciē illius iuxta diſpenſationem incarnationis illius adorandā cenſuit dicens; Exquiſiuit te facies mea, faciem tuam Domine re-* Pſ. 26.
quirā. Quid hîc rides, Fabrici? Nónne verſus ille *con-*
feſſio & pulchritudo in conſpectu eius, ſanctimonia & magnificen- Pſ. 95. 6.
tia in ſanctificatione eius, ſeu vt ex Hebræo vertit Hieron.

Digitized by Google

in ſanctuario eius, de tabernaculi, ſanctuarij, arcæ pulchritudine, & Dei reſponſa illinc dantis maieſtate per confeſſionem laudis prædicanda loquitur?
Pſ.25.8 Nónne de eadem in altero illo verſu, *Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ*, apertiſſimè meminit, cùm antè iam dixiſſet Dauid; *Circumdabo altare tuum Domine, vt audiam vocem laudis, & enarrem vniuerſa mirabilia tua.* Nónne tertio etiam loco, antequam diceret, *Exquiſiuit te facies mea* &c. ità de domo Domi-
Pſ.26.7 8.11.21 ni ſupplex vouit; *Vnam petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ, vt videam voluptatem Domini, & viſitem templum eius. Circumiui & immolaui in tabernaculo eius hoſtiam vociferationis, cantabo & pſalmum dicam Domino. Exaudi Domine orationem meam, qua clamaui ad te, miſerere mei, & exaudi me. Tibi dixit cor meum, exquiſiuit te facies mea, faciem tuam, Domine, requiram.* Si Dauidi hoc vnicum in votis fuit, habitare perpetuò in domo Domini, & viſitare templum eius, & arcam illã ac propitiatorium, ſacras Chriſti figuras cum voluptate videre, & earum intuitu in tabernaculo cum clamore ipſam Chriſti in humana forma faciem amabiliſſimam videndam poſtulare; quis nobis inuideat, ſi Chriſti, qui propria ſpecie nunc à nobis abeſt, pro ſalute noſtra nati, paſſi, rediuiui imagines ſuauiſſimo oculorum animiq; ſenſu intereadum intueamur, in iiſque illum & grati animi memoriâ, ob ea, quæ pro nobis geſſit, veneremur, & in-
timis

Digitized by Google

timis deſideriis, ob ea, quæ diligentibus ſe præparauit, expetamus? Hæc ex his locis Adriani argumenta ſunt, quæ quis præter ridendos Caluiniſtas rideat? quantumcunq; exclamet Fabricius, *Quis non rideret?* Nec Synodus, nec quiſquam pius, Adriani Pontificis, qui Synodo per legatos præfuit, argumenta ab exemplis antiquæ ſcripturæ petita ridet, quæ Fabricius, vt riſui exponeret, pleraq; malignè ſuppreſſit, & vltimum mutilè produxit.

Sed hac in Adrianum fraude non contentus, plures alias non minores in alios Patres deſignat. Theodoro Hieroſolymitano Patriarchæ ità imponit. *Theodorus Patriarcha interpretatur hæc ſcripturæ loca de eodem cultu,* (imaginum ſcilicet) Mirabilis Deus in ſanctis ſuis : *Item.* Sanctis in terra mirificas fecit omnes voluntates eius in ipſis. *An hoc eſt exponere ſcripturam?* An hoc eſt bona fide auctores citare? Falſum eſt Theodorum hæc loca de cultu imaginum interpretari. Inſpiciatur huius Patriarchæ Epiſtola Synodica in Act. 3. Synodi ſeptimæ, & fraus Fabricij deprehendetur. Incipit Theodorus quidem poſt allata hæc duo ex Pſalmis loca, de imaginum veneratione diſputare, illmáq; infrà etiam arcæ, propitiatorij, Cherubinorum exemplis confirmare; illa verò loca, non pro imaginum, ſed ſacrarum reliquiarum cultu eum protuliſſe, ex his ipſius verbis manifeſtum eſt. *S r.uator noſter Chriſtus fontes ſalutares ſanctorum*

Pſ.68. 36.
Pſ.16.3.
Tom. 3. Conc. Venet. Edit

Digitized by Google

ſunt verba. Nos propheticis, Apoſtolicis & Euangelicis ſcripturis contenti, & ſummorum Patrum ac Orthodoxorum, qui nullatenus in ſuis dogmatibus ab eo, qui eſt via, veritas & vita deuiârunt, inſtitutis imbuti, ſuſcipientesq́; ſanctas vniuerſales Synodos ſex, quæ pro varijs hæreſeon infeſtationibus à ſanctis & venerabilibus Patribus geſtæ ſunt, omnes nouitates vocum, & ſtultiloquas adinuentiones abijcimus, & non ſolùm non ſuſcipimus verùm etiam, tanquam purgamenta deſpicimus, ſicut & eam, quæ propter adorandarum imaginum impudentiſſimam traditionem in Bithyniæ partibus geſta eſt, Synodum, id eſt, Nicenam. Vnde verò tu hæc verba deſumpſiſti? ex quibus Concilij Francofordienſis Actis? cur librum nullum in margine notâſti? Fraudem tuam prodere noluiſti: non enim ex ipſis Concilij actis, ſed ex præfatione Carolinorum librorum, qui acta Concilij illius minimè continent, ea deſcripſiſti, & pro Concilij verbis venditâſti. Et tamen prolato illo decreto, quaſi rem maximam præſtitiſſes, ad par facinus me prouocas. *Ex aduerſo*, inquis, *tenetur Ieſuita nobis oſtendere cultum imaginum in ſcriptura, Duce Eccleſia, id eſt, communi conſenſu alicuius Synodi vniuerſalis.* Qua lege teneor? an quia ſcripſi, omnem veritatem in ſcripturis ductu Eccleſiæ quærendam eſſe? Non ego hoc ſcripſi, ſed Fabricius finxit, cùm argutè ſcilicet ſupra indefinitam propoſitionem vniuerſali æqualem eſſe contendit. Non omnis veritas in ſcripturis exprimitur: quæ verò expreſſa eſt, ità ibi quærendam eſſe aſſero;

Digitized by Google

vt à communi Eccleſiæ ſenſu, quod in Euchariſticis Chriſti verbis explicandis Caluiniſtæ faciunt, nulla fiat diſceſſio. Traditionum auctoritas generatim à ſcriptura commendatur: ſingulæ in illa deſcriptæ non reperiuntur. Talis quoq; eſt Catholicæ Eccleſiæ, de venerandis Chriſti, Deiparæ, & Sanctorum imaginibus ſententia: quæ etſi ex ſcriptura non obſcurè deducitur, in ea tamen expreſſa non eſt, ideoq; inter traditiones non ſcriptas, non ſolũ à S. Damaſceno lib. 4. de fide. cap. 17. verùm etiam à Synodo ſeptima non in Act. 2., vt perperam Fabricius etiam numero paginæ adiecto, libro autem, vt ſuſpicor, minimè inſpecto, annotat, ſed in Act. 6. Tom. 4. *refutationis falſò nominatæ definitionis Iconomachorum* numeratur, vbi Iconomachis vſum imaginum, nec ex Chriſti, nec ex Apoſtolorum, nec ex Patrum traditione cœpiſſe criminantibus Epiphanius Diaconus reſpondet. *Quòd autem cum multis alijs, quæ in Eccleſia obſeruantur ſine ſcriptura, nobis imaginum veneratio tradita ſit ab Apoſtolorum temporibus, latè per Hiſtoricos traditum eſt, de imagine maximè hæmorrhoiſſæ, quam multis ſcriptoribus confirmare poſſumus.* Tum verò, cùm Baſilii, Gregorii Nyſſeni & Nazianzeni, Cyrilli Alexandrini, Anaſtaſii, Sophronii, Maximi loca, Actione 4. fuſiùs recitata indicaſſet, ſubiungit. *Sed quid hos nominatim citamus? Omnes enim ſancti Patres noſtri imagines receperunt. Quam ob cauſam mendaces deprehenduntur in hoc, quòd dicant, non eſſe Patrum tra-* *Act. 6. Tom. 4. refutat.*

V u *ditio-*

Digitized by Google

ditionem. Quanquam verò Synodus hæc Nicena imaginum venerationem pro traditione non ſcripta habuit, nuſquam tamen docuit, nullis eam argumẽtis ex ſcriptura confirmari poſſe, quod ei falſò his verbis imponit Prædicans. *Synodus Nicena irridens pueriles ſupradictorum Epiſcoporum* (ſcilicet Adriani Papæ, Theodori Patriarchæ, Leõtij, Theodoſij, &c.) *interpretationes locorum ſcripturæ de imaginibus, concludit imaginum cultum non debere peti ex aliqua interpretatioẽe ſcripturarum, ſed ex ſermone tradito non ſcripto.* Traditionem in ſcriptura non expreſſam eſſe cultum imaginum, vt audiuimus, tradit Synodus: nullis verò argumentis ſacrarum litterarum ſuaderi poſſe, nuſquam, quod Fabricius fingit, aſſerit. Teſtimonia ex veteri ſcriptura, vel ab exẽplo, vel à ſimili ducta nec ſpernit, nec ridet, ſed ità probat ſancta Synodus, vt ijs vel maximè conſtantem Eccleſiæ Catholicæ traditionem adiungendam cenſeat, ad retundendam Iconomachorum de imaginum nouitate calumniam, quam ſupra iam alibi effuſam, & à nobis refutatam, hîc refundit Prædicans, cùm primis trecentis annis nullum imaginum vſum in templis fuiſſe iteratò impudentiſſimè negat.

In defen. 1. fundã. c. 3. ante finem.

Quid verò tandem eſt, quod Synodi Nicenæ Patres aliqui ità in ſcripturis interpretandis luſerunt, vt Synodus cum riſu illos notauerit, nihilq́; de imaginum cultu ex ſcripturis ſuadendum eſſe de-

decreuerit? *Adrianus primus*, inquit Fabricius, *in Epiſtola ad Synodum probat cultum imaginũ ex eo*, Confeſſio & pulchritudo corã eo. *Iterum.* Domine dilexi decorẽ domus tuæ, exquiſiuit te facies mea, faciem tuam, Domine, requiram. *Quis non rideret, niſi ageretur de Dei gloria?* Quis non indignetur, vbi agitur de Dei gloria, ità fraudulenter agere Prædicantem? Diſſimulo illum errorem, quòd Epiſtolam Adriani ad Synodum nominet, quæ ad Conſtantinum & Irenen Auguſtos data eſt. Malum hunc dolũ hominis diſſimulare nõ poſſum, quòd has duas regij pſaltis ſententias ab Adriano vltimo loco poſt alia multò firmiora ſcripturæ teſtimonia prolatas, quaſi in iis omne ſuæ confirmationis momentũ Pontifex poſuerit, ſolũ proferat: plura verò anteà ex Geneſi, Exodo, Numeris, Regum hiſtoria, pro ſacratum imaginum veneratione, ſimilia & exẽpla efficaciſſima ab eodẽ deprompta, iniquiſſimo prorſus ſilentio diſſimulet. Argumentũ Pontificis eſt, & hodie Catholicorũ Theologorũ, ꝙ Caluiniſtæ infirmare nunquã potuerunt. Si aliæ quædã res inanimæ ob peculiarem quendam ordinem ad Deum ſanctę olim habitæ, & veneratione dignæ rectè iudicatæ ſunt, cur imagines Chriſti, & Cœlitum ſacras & venerandas hodie iurè nõ æſtimemus? *Iacob vidit per viſum*, inquit Adrianus, *Angelos Dei per ſcalam aſcendentes & deſcendentes, & Dominum innixum ſcalæ ad ſe loquentem, poſtquam autem*

Pſ. 96. 6
Pſ. 26. 3
Pſ. 27. 8
Ep. ad Conſtant. & Irenem
Gen. 28.

Digitized by Google

ſurrexiſſet, ex ſua voluntate lapidem, in quo caput declinârat, ſuſtulit: & vbi erexiſſet eum, infudiſſetq́; oleum ſuper eum, vocauit locum Bethel, dicens; Non eſt hic aliud, quàm domus Dei. Ob quam ſanè cauſam non legimus illi iratum Deum, non enim illi exprobrauit, quòd ſua voluntate lapidem erexiſſet. Etenim, ô ſereniſſimi filij Principes, & rectè ſentientes Imperatores, quæcunq; in admonitionem hominum ad gloriam Dei ſpectantia fiunt, Deo diſplicere
Gen. 49. *nequeunt. Rurſus idem Iacob in ſummitate virgæ ſuæ adorauit, fi-*
Heb. 11. *de dilectionis id agens. De qua B. Apoſtolus in Epiſt. ad Hebræos. Non quòd virgam illam, ſed tenentem eam in ſignum dilectionis adorauit. Quid hoc ſibi vult? nimirum quòd & nos iuxta deſiderium & amorem, quo erga Deum, ſanctosq́; illius affecti ſumus, figuras in imaginibus repræſentemus: non, inquam, in coloribus & tabulis honorem conſtituentes, ſed eorum prædicantes gloriam, quorum appellationem imagines referunt.* An hæc quoq; Adriani diſputatio pro ſacris imaginibus ex ſacra Geneſi, tibi, Prædicans, ſplenem in cachinnos ſoluit? An & Iacob ineptè locum, in quo cœleſte prodigium viderat, pro ſacro habuit, eumq́; aræ, ſolemni cerimonia Deo ſacratæ, ſtructura ridiculè cohoneſtauit? An cùm idem ille ſceptro filij oſculum reuerenter fixit, & per ſceptrum non modò Ioſephum, tunc Ægypti, ſed etiam Prophetico Spiritu Chriſtum, olim totius orbis Principem ac ſeruatorem de ſtirpe ſua naſciturum veneratus eſt, ſuperſtitionis notam meruit? Si hunc, quem ſcriptura cõmendat, damnare non audes, Fabrici, quo iure damnabis

mnabis, qui conſimili ratione in imagine Chriſtū honorat? Quid tibi animi eſt de propitiatorio, & Cherubinis aureis, de quorum medio ſe locuturū Dominus Moſi promiſit? Adrianus verbis Domini his de rebus è libro Exodi recitatis, ità concludit. *Ex his animaduertendum eſt, Sereniſsimi Domini & filij Principes, Deum omnipotentē Dominum noſtrum, de medio Cherubin manu hominum factornm, pro ſalute populi non dedignatum loqui. Quãobrem non eſt dubitandum, omnia, quæ in Eccleſiis Dei, ad laudem & decorem domus illius conſtituuntur, ſancta & colenda eſſe*: Et infra multò pòſt; *Quare ea, quæ ſancta ſanctorum dicuntur, cùm ſint manufacta, præterea Cherubin & ſex alata illa, quæ circa altare Domini fuerunt, cùm ſint animalia & imagines Angelorum, opera manuum hominum, non fuerunt eiecta, & à Iudæis proculcata? Non aliam ſanè ob cauſam, quàm quòd Dei mandato imagines fuerunt Angelorum ſacratæ. Gentium autem idola, quia imagines fuerunt Dæmonum, Deus eiecit & condemnauit. Nos verò in memoriam ſanctorum imagines facimus: quorum ais? Abrahæ, Moſis, Eliæ, Eſaiæ, Zachariæ, reliquorumq; Prophetarum, Apoſtolorum & ſanctorum Martyrum, qui propter Chriſtum tribulati ſunt, quò omnis, qui in imagine contemplatur, illorum & meminerit, & glorificet Deum, qui illos quoq; magnifecit. Decet ſiquidem eos, honor & veneratio propter iuſtitiam eorum, vt omnis, qui viderit eos, in imitationem illorum operum ducatur.* An & in his verbis habet Momus noſter, quod rideat? arca, propitiatorium, cherubinorum effigies, ſancta omnia, & locus, qui hæc capiebat, ſancta ſancto-

rum appellatus honorabilis fuit, cur Chriſti Cœlitumq́; iconibus nomẽ ſacrum, honorq́; omnis negetur? Grauiùs verò dein aduerſarios premit Adrianus ſerpentis ænei exemplo. *Sed & hoc, ait, ô Sereniſſimi Imperatores, ad incredulorum certiorem fidem, & errantium caſtigationem adijciendum eſt, non fruſtra Moſi famulo ſuo, quemadmodum in lib. Numerorum legitur, propter peſtem in populo graſſantem præcepiſſe: Fac ſerpentem, & pone illum in ſignum, & qui tactus fuerit, illumq́; inſpexerit, viuet. Fecit igitur Moſes ſerpentẽ æneũ, & poſuit illum, & ſeruati ſunt. O inſaniam infrementium* (etiam Caluiniſtarum) *aduerſus fidem & cultum ſacrum Chriſtianorum? ô ſtultitiam vetantium venerandas imagines honorari, in quibus ſeruatoris noſtri, cuius potentia genus humanum & conſtat adhuc, & ſeruatur: præterea genitricis eius omniumq́; ſanctorum hiſtoriæ continentur. Nam ſi Iſraëliticum populum per inſpectionẽ ænei ſerpentis ſeruatum à ſua peſte credimus: Chriſti verò Dei & ſeruatoris noſtri omniumq́; ſanctorum figuras contemplantes & venerantes, dubitamus nos ſeruari? abſit ut amplius dubitemus. Abſit vt à Patrum ſanctorum traditione diuerſa ſentiamus, hæreamus in doctrina illorũ, nec ab illa declinemus.* Nondum riſu abſtines, Prædicans? Non poterit nunc Chriſtus in propria, claraq́;, qui in aliena, obſcuraq́; ſerpentis imagine olim potuit effigiari, inſpici, & honorari? Cur hoc, aliaq́; ſuperiora argumenta præteriſti, ſi & illa riſus materiam ſuppeditant? Sed quid deniq; in illis quoq; Pſalmorum verſiculis ab Adriano ad extremum allatis, ridiculũ, quod tantos cachinnos merea-

Num. 21.

rea-

Digitized by Google

reatur? Nihil omninò. Ab exemplo Salomonis Cherubinorum imaginibus magnificentiſſimum templum exornantis argumentatur Pontifex, licere etiam nobis in tēplis ſacras imagines collocare. Placuiſſe verò Deo illum veteris templi ornatum, imò & nunc venerandas Chriſti imagines in noſtris tēplis expoſitas, probat ex quibuſdā regij pſaltis ſententiis, quibus ille & tabernaculi tunc erecti, & tēpli à ſe iam tum animo concepti, atq; à filio exædificandi maieſtatem laudat, & Chriſtum ſeruatorem in humana forma intueri deſiderat. *Et Salomon,* inquit Adrianus, *in eo templo, quod Domino ædificauit, Cherubin in gloriam Dei fecit, & diuerſis coloribus illud adornauit.* 3. Reg. 6.
Quare ergo non & nos quoq; ſentientes rectè confeſſionem fidei noſtræ, & ſpecioſitatem domus Dei ex diuerſis coloribus & picturis exornabimus, cùm & Iſaias Propheta dicat. In diebus illis Iſ. 19.
erit altare Domini in medio terræ Aegypti, & columna continēs fines eius: & erit in ſignum & teſtimonium Domino in terra Aegypti &c. Quin etiam pſalmorum Cantor Dauid hymnum canens dicit; Confeſſio & pulchritudo corā eo. Iterum. Domine dilexi de- Pſ. 95. 6 Pſ. 25. 8
corē domus tuæ, & locū habitationis gloriæ tuæ. Rurſus idem aduentum & incarnationem filij Dei ſeruatoris noſtri prædicans, magnificè faciē illius iuxta diſpenſationem incarnationis illius adorandā cenſuit dicens; Exquiſiuit te facies mea, faciem tuam Domine re- Pſ. 26.
quirā. Quid hîc rides, Fabrici? Nónne verſus ille *con-*
feſſio & pulchritudo in conſpectu eius, ſanctimonia & magnificentia in ſanctificatione eius, ſeu vt ex Hebræo vertit Hieron. Pſ. 95. 6.

in

timis deſideriis, ob ea, quæ diligentibus ſe præparauit, expetamus? Hæc ex his locis Adriani argumenta ſunt, quæ quis præter ridendos Caluiniſtas rideat? quantumcunq; exclamet Fabricius, *Quis non rideret?* Nec Synodus, nec quiſquam pius, Adriani Pontificis, qui Synodo per legatos præfuit, argumenta ab exemplis antiquæ ſcripturæ petita ridet, quæ Fabricius, vt riſui exponeret, pleraq; malignè ſuppreſſit, & vltimum mutilè produxit.

Sed hac in Adrianum fraude non contentus, plures alias non minores in alios Patres deſignat. Theodoro Hieroſolymitano Patriarchæ ità imponit. *Theodorus Patriarcha interpretatur hæc ſcripturæ loca de eodem cultu,* (imaginum ſcilicet) Mirabilis Deus in ſanctis ſuis : *Item.* Sanctis in terra mirificas fecit omnes voluntates eius in ipſis. *An hoc eſt exponere ſcripturam?* An hoc eſt bona fide auctores citare? Falſum eſt Theodorum hæc loca de cultu imaginum interpretari. Inſpiciatur huius Patriarchæ Epiſtola Synodica in Act. 3. Synodi ſeptimæ, & fraus Fabricij deprehendetur. Incipit Theodorus quidem poſt allata hæc duo ex Pſalmis loca, de imaginum veneratione diſputare, illmáq; infrà etiam arcæ, propitiatorij, Cherubinorum exemplis confirmare; illa verò loca, non pro imaginum, ſed ſacrarum reliquiarum cultu eum protuliſſe, ex his ipſius verbis manifeſtum eſt. *Seruator noſter Chriſtus fontes ſalutares ſan-*

Pſ.68. 36.
Pſ.16.3.
Tom.3. Conc. Venet. Edit

Digitized by Google

atque ex eo concludere, imagines ſcripturis eſſe æquiparandas, aperta Prædicantis impoſtura eſt; nullo enim vel leuiſſimo verbulo huius loci Act. 4. notatis à Fabricio paginis, Leontius meminit. In Actione ſexta quidem Epiphanius Diaconus verba Dauidici Pſalmi allegat, non tamen vt ex iis concludat, imagines pares ſcripturis eſſe, ſed vt confirmet, quod dixerat, æquè res à Chriſto geſtas ex ſacrarum imaginum adſpectu, atq; ex Euangelicæ legis auditu diſci repetiq; poſſe. *Videmus omnes*, inquit Epiphanius, *& intelligimus, quòd & ante ſacras ſex Synodos, & poſt has etiam, Sanctorum picturæ in Eccleſia traditæ fuerint, non aliter ac ſacra Euangelica lectio. Nam quæ leguntur, vbi ad aures venerint, ad animam deinde legamus & tranſmittimus: & quæ oculis videmus in picturis, ea quoque mente complectimur: atque ità per duo iſta inuicem conſequentia, lectionem, inquam, & picturam, vnam cognitionem acquirimus, qua ad recordationem rerũ geſtarũ peruenitur. Vnde è duobus iſtis ſenſibus in Canticis Can-* Cant. 2.
ticorum inuenire licet efficacem coniunctionem. Sic enim ibi dicitur. Oſtende mihi faciem tuam, & audire fac mihi vocem tuam. Vox enim tua ſuauis & facies tua ſpecioſa. Quibus nos conuenienter & illud ex Pſalmo accantamus; Quemadmodum audiui- Pſ. 47.
mus, ità & vidimus. Quid abſurdi eſt, his verbis vti, cùm, quod ex Euangelio lecto audiuimus, idem in imagine picta videmus? Annon accommodatè dicimus, nos ità videre, ſicut audiuimus?

Poſt Leontium Prædicans Ioannē Diaconũ &

Digitized by Google

Cancellariũ, nomine illius ſuppreſſo, craſſiſſimâ calumniâ inuadit. *Sequitur alius*, inquit, *probans idem ex eo* Matt. 5. 15. *Matthæi*, Nemo accendit lucernam, & ponit eam ſub modio. *Inde infert, ergo imagines collocandæ ſunt in templis.* O impudens conuitium. Non probat Ioannes ex illo Chriſti dicto imagines publicè in templis erigendas eſſe, ſed eo vtitur ad falſæ ſeptimæ Synodi Iconoclaſticæ, quæ ſe vniuerſalem nuncupârat, ſuperbiam reprimendam. Act. 6. Tom. 1, re ſus. *Quomodo*, ait Ioannes, *magna & vniuerſalis, in quam neq; omnes conſenſerunt, & reliquarum Eccleſiarum præfecti non admiſerunt, ſed anathemate eam deuouerunt? Non habuit cooperantem, vt hæc, quæ nunc celebratur, Romanum Papam, neque illius ſacerdotes, neq; per vicarios, nec per prouinciales literas, quemadmodum fieri in Synodis debet. Quin etiam neque concordantes ſibi habuit Orientis Patriarchas, Alexandrinum, inquam, Antiochenum & vrbis ſanctæ ſummos Pontifices, neque cum illis etiam Myſtas & Sacerdotes. Verè fumus eſt caligine plenus, obtenebrans oculos, inſipientium eorum oratio, nõ* Matt. 5. *lucerna poſita ſuper candelabrum, quò lumen præbeat omnibus, qui in domo ſunt: quamobrem eorum verba, veluti ſub lectulo enunciata ſunt, non ſupra montem Orthodoxæ fidei: neque in omnem terram Apoſtolicè egreſſus eſt ſonus eorum, aut in fines orbis terrarum verba eorum, quemadmodum ſex priores ſanctæ vniuerſales Synodi.* Quæ hic imaginum mentio? an imagines lucernis, candelabra templis comparantur? Sanctæ vniuerſales Synodi lucernis ſuper candelabra: definitiones conciliabuli Iconomachorum fumiganti tædæ ſub modio conferuntur.

Sed

Sed pergit Fabricius alium quendam Anonymum falſò carpere, argumentumq́; illi falſò affictũ ludere. *Alius ibidem*, inquit, *inde probat.* Adorate ſcabellum pedum eius, quia ſanctum eſt. *Item.* Adorate in monte ſancto eius. *Ergo imagines ſunt venerandæ in templis.* Quis ille alius ibidem, nimirum in ſeptima Synodo, ità diſputat? Cur non nominas illum, Prædicans? Nimirum iterum fumum vendis. Nullus omninò Patrum illius Synodi hoc argumento vſus eſt: ſed centum amplius annis ante hanc Synodum, huius verſus Dauidici meminit Leontius Epiſcopus Neopoleos. Cypr. in 5. lib. Apologiæ pro Chriſtianis contra Iudæos de imaginibus Sanctorum. Locum prolixum Leontij ex illo libro pro ſacris imaginibus in Synodo legit Stephanus Diaconus, & Notarius Act. 4. in qua plurima aliorum veterum Patrum teſtimonia ab aliis pro ſanctarum imaginum cultu publicè prælecta fuêre. At verò nec Leontij quoq; talis fuit argumentatio; *Dicit Dauid, Adorate ſcabellum pedum eius: ergo imagines ſunt venerandæ in templis.* Sed cùm Iudæus cum Chriſtiano colloquens, apud Leontium affirmaſſet, omnis creaturæ adorationem in vniuerſa ſcriptura à Deo vetari, Chriſtianus ei Dauidis verſum de adoratione ſancti ſcabelli oppoſuit. Ità enim habent verba Leontij. *Iudæus dixit; Qua ratione per vniuerſam ſcripturam præcepit Deus, nullam creaturam adorandam? Chriſtianus dixit; dic*

Pſ. 99. 5

nubi, terra & montes nónne ſunt Dei creaturæ? Iudæus dixit; recte. Chriſtianus dixit; Quomodo igitur ait ſcriptura; Exaltate
Pſ. 98. *Dominum Deum noſtrum, & adorate ſcabellum pedum eius, quoniam ſanctum eſt, & adorate in montem ſanctum ſuum. Et rurſus*
Eſ. 56. *Deus ait; Cœlum mihi ſedes eſt, terra autem ſcabellum pedum meorum. Iudæus: ſed tamen non vt Deos, verùm per illa eum, qui hæc fecit, adoras. Chriſtianus: fidelis ſermo, quamobrem ſcias & tu, quòd & ego per Cœlum, terram, mare, ligna, lapides, reliquias, templa, crucem, angelos, homines, per omnem deniq; creaturam viſibilem & non viſibilem, omnium auctori Domino & factori ſoli adorationem & cultum exhibeam.* Non ergo Chriſtianus apud Leontium ex Dauidis verſu concluſit imagines eſſe venerandas, ſed creaturam aliquam, quod ſcripturis repugnare Iudæus dixerat, eſſe adorandam. Sed demus Leontium, imò ipſum Stephanum ex adoratione ſcabelli pedum Domini rectà collegiſſe licitam ſacræ imaginis venerationem, quid in tali collectione vicioſum eſt? Si enim terra, quæ ſuppedaneum Domini eſt, ſancta & venerabilis rectè à Dauide cenſetur, quæ iniuria ſit Chriſti imaginem ſacram dicere & venerari?

Vltimò deniq; Theodoſium Amorij Epiſcopum contumelioſè inuadit Fabricius. *Theodoſius,* inquit, *corrumpens textum Pauli, approbat imagines, quia inquit;*
Rom. 15. 4. Quæcunq; præſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam præſcripta ſunt. *Infert.* Ipſæ igitur imagines & picturæ ad noſtram doctrinã factæ ſunt. *Græcè legitur apud*

Pau-

Paulum προεγράφη, *id eſt, quæ antè ſcripta ſunt, non autem præſcripta ſunt.* Primùm aperta & indocta contumelia eſt, quam Theodoſio hic Fabricius facit, de Paulini textus corruptela; Synodus enim ſeptima Græca fuit, Patreſq; Græci ſua lingua ſententias dixerunt, inter quos & Theodoſius Græcũ Pauli textum recitauit. Si quæ ergo eſt corruptela textus ſacri, nõ Theodoſij, ſed interpretis, qui Synodum latinè vulgauit, ea erit. Verũ quænam hic etiam interpretis corruptela? an quòd Græcam vocem προεγράφη reddiderit latinè, *præſcripta ſunt*, cùm reddere potiùs debuiſſet, antè ſcripta ſunt? quaſi verò *præſcribere* vno modo acceptum, non idem ſignificet, quod *antè ſcribere*, & *præſcribere* tantùm idem ſit, quod *imperare*? Nunquámne in Tullio legiſti de *aduerſariis præſcriptionum & liturarum?* vbi præſcriptio non capitur pro imperio, ſed pro eo, quod antè in Aduerſarijs deſcriptum, poſtea in tabulas aut Codicem refertur. Quàm imperitus ergo conuiciator eſt Prædicans, qui corruptelæ arguere audet interpretem, à quo Græca vox προεγράφη Latino *præſcribendi* vocabulo exprimitur? Quin arguis, Fabrici, huius criminis inſuper non ſolùm Eraſmum, qui ità latinè verbum Apoſtoli reddidit in nouo ſuo teſtamento Græcolatino Lipſiæ impreſſo, ſed etiam Lutherum, cuius te Patronum ſimulas; nam is in Germanico teſtamento Auguſtæ & Norimbergæ

Orat. pro Roſcio.

a. 1563.

a. 1523. & 1524.

In recen-tioribus legitur, vorhin geſchriben.

gæ primis annis edito, *præſcribendi* quoque vocabulum Germanicè voce, **fürgeſchrieben**/ expreſſit.

Sed iam alterum videamus, de quo Theodoſium Prædicans accuſat, quantum piaculum ſit, ex eo Apoſtoli loco colligere ſacras imagines ad doctrinam fidelium multum facere. Ità ergo loquitur in Synodo Theodoſius Amorij Epiſcopus. *Diuinus Apoſtolus ſic docet: Quæcunq; præſcripta ſunt, in noſtram doctrinam ſunt præſcripta. Ipſæ igitur ſacræ imagines & picturæ tum muſaicis operibus, tum colorum materia delineatæ, in noſtram doctrinam, Zelum & typum eriguntur, & pictæ ſunt, vt & nos illis conformes idem certamen apud Deum exhibeamus, quò & nos eo ſtatu, & parte conſtituat, quo illi fuerunt, & cohæredes ſui regni cœleſtis faciat.* Quid in hoc argumento à ſimili eſt vitij? Si ea quæ litteris de rebus Sanctorum benè geſtis mandata ſunt, ad virtutem præclarè nos erudiunt, cur eadem coloribus depicta mentem non doceant, excitentq;? Cur non liceat à litterarum præſcriptione, ad imaginum præſcriptionem argumentando progredi? cùm & Græca vox προγράφειν & Latina *præſcribere*, hìc quidem ad ſcripturam, alibi tamen etiam ad quandam picturam ſignificandam ab Apoſtolo vſurpetur? Nam Galatis ait, *Chriſtum crucifixum ante oculos illorum eſſe præſcriptum*, in Græco eſt προεγράφη, & Lutherus etiam Germanicè tranſtulit, **Welchen Chriſtus für die Augen gemahlet war.** Si non modò litteris deſcribere, ſed viua quoque

Act. 4.

Galat. 3. 1.

que voce Chriſti extremos dolores depingere vtile viſum eſt, eoſdem in imagine pijs oculis ſpectandos præbere inutile ſiet? *Quod legentibus ſcriptura*, Magni Gregorij verba ſunt, *hoc idiotis præſtat pictura cernentibus, quia in ipſa etiam ignorantes vident, quod ſequi debeant: in ipſa legunt, qui litteras neſciunt.* Nec his ſolùm, ſed omnibus omninò, ſiue memoriæ, ſiue affectus excitandi optima occaſio eſt, imaginum inſpectio. Nam, vt idem S. Doctor ait, *dum nobis pictura, quaſi ſcriptura ad memoriam filium Dei reducit, animũ noſtrum aut de reſurrectione lætificat, aut de paſſione demulcet.*

l. 9. Ep. 9 ad ſeuer.

l. 9. Ep. 54. ad Seuerum.

Sed iam mittamus ſtolidos Fabricij cachinnos, quibus non ſeptimæ Synodi Patres, ſed ſeipſum pudefecit, omniumq; riſui obiecit. Pudor eſt, Patrum dicta, vt ludus fiant, mutilare, mentem peruertere, ſcopum euertere, in perſonis errare, linguam mutare, nihil deniq; in imaginum cultu ex quibuſdam veteris ſcripturæ (de virga Ioſeph, ſerpente æneo, arca, propitiatorio, cherubinis, ſcabello Domini,) ſententijs aſſerendo, poſſe reprehēdere, niſi quod vno pluribúſue ſęculis antè Athanaſius, Leontius, Beda, apertè tradiderunt. Leontius ſuprà auditus eſt. Athanaſius ait *Quemadmodũ Iacob, cùm eſſet è vita diſceſſurus, faſtigium virgæ Ioſeph adorauit, non virgam ipſam honorans, ſed eum, qui virgam tenebat: Ità nos Christiani non alia ratione imagines colimus, niſi quemadmodum etiam, cùm filios noſtros & Patres oſculamur, animi noſtri deſiderium*

Athan. q. & reſp. ad Antioch. c. 38.

Leont. l. 5. contra Iud. Beda de templo Salom. c. 19.

Digitized by Google

rium indicamus. Sicut & Iudæus olim legis tabulas, & duo cherubin aurea & ſculptilia quondam adorabat, non lapidis auriué naturam colens, ſed Dominum, qui, ea vt fierent, præceperat. Et Beda. *Si licebat ſerpentem exaltari æneum in ligno, quem aſpicientes filij Iſrael viuerent: Cur non licet exaltationem Domini Saluatoris in Cruce, qua mortem vicit, ad memoriam fidelibus depingendo reduci, vel alia eius miracula & ſanationes, quibus de eodem mortis auctore mirabiliter triumphauit, cùm horum aſpectus ſæpè multum compunctionis ſoleat præſtare contuentibus, & iis quoq;, qui litteras ignorant, quaſi viuā Dominicæ hiſtoriæ pandere lectionē? Nam pictura Græcè ζωγραφία id eſt, viua ſcriptura vocatur. Si licuit duodecim boues æneos facere, qui mare ſuperpoſitum ferentes, quatuor mundi plagas terni reſpicerent: quid prohibet duodecim Apoſtolos depingere, quomodo* euntes docerent omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & filij, & Spiritus ſancti, *viuâ, vt ità dixerim, præ oculis omnium deſignare ſcripturâ?* Vides, Fabrici, quos in Nicenis Patribus rideas, & quàm pudendum mendacium ſit, horum argumenta è ſcripturis deſumpta, antiquioribus Patribus incognita, & ab ipſa Synodo, tanquam puerilia, exſibilata fuiſſe.

Inſignis inſcitia Fabricij in Patribus: & fraus in Augustino, contra mediationem interceſſionis ſanctorum. §. IIX.

QVartum atq poſtremum noſtræ à Patrum ſenſu diſcordiæ exemplum Fabricius profert duos ſcripturæ locos, contra omniū Patrum

trum

Digitized by Google

trum mentem pro ſanctorum inuocatione à nobis explicatos. Primus eſt ille Pauli. 1. Tim. 2. v. 5. & 6. *Vnus mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus, qui dedit ſemetipſum redemptionem pro omnibus.* Quàm hoc loco ineptè, mutileq; contra Sanctorum inuocationem vſus ſit Philippus, in primo fundamento: & quàm turpiter, additis alijs Pauli & Patrum corruptelis, Philippũ Fabricius excuſarit, in primi fuudamenti defenſione c. 3. in ſeptimo conuitio clarè demonſtraui. Redit hîc Prædicans, & nobis, quòd eo loco non omnem mediationẽ interceſſionis, ſed eam, quæ redemptoris eſt, vni Chriſto Apoſtolũ tribuere aſſeramus, inſultat, nullius Patris hanc eſſe interpretationem, & Auguſtini apertè contrariam eſſe. *Quis Patrum*, inquit Fabricius, *ità expoſuit? Producat Ieſuita aliquem Patrem ità exponentem.* Produco Cyrillum Alexandrinum verba Apoſtoli clarè hoc ſenſu exponentem, nihilque dubito fore, vt Prædicantem ſui poſtulati pœniteat. Ità igitur ille in hæc ipſa Apoſtoli verba alicubi recitata commentatur. *Mediator Dei & hominũ Ieſus Chriſtus eſt, non ſolũ, quia reconciliauit homines Deo, verùm etiam, quia naturaliter & ſubſtantialiter & Deus, & homo in vna hypoſtaſi eſt. Hoc enim modo naturam noſtram ſibi Deus reconciliauit. Nam aliter quomodo vnum mediatorem Chriſtũ Paulus dixiſſet? Multi enim ſanctorum mediationis miniſterio vſi ſunt, & ipſe Paulus clamat: Rogamus pro Chriſto, reconciliamini Deo. Moſes quoq; mediator fuit, miniſtrauit*

Lib. 12. Theſaur. c. 10.

2. Cor. 5.

Exod. 20

uit filijs Iſrael legem datam à Deo. Mediator etiam fuit B. Hieremias, præcipuè quando clamabat ad Deum: recordare mei
Hierem. 18.
ſtantis coram te ad loquendum pro ipſis bona. Quid multa? ſinguli Prophetarum mediatores fuerunt, Apoſtolorum quoq; ſinguli. Quomodo igitur vnicus mediator Dei & hominum Chriſtus eſt, niſi noua, inauditaq́ in alijs mediatio ſua ſit? Sed modum quoq; perſtringere non alienum eſt. Quod igitur duo quædam ſicut medium coniungit, ab vtroque neceſſariò tangitur: & hoc modo diuerſa per medium coniunguntur. Eſt autem Chriſtus mediator Dei & hominum, quia in eo vno Deus & homo coniunguntur. Non eſt tamen ipſe aliquid tertium præter Deum & hominem, ſed Deus verè, & homo verè. Quid? hæc Cyrilli verba, Thraſonicum illum exactoris faſtum non deprimant? cùm Moſen, Hieremiam, Paulum, imò Prophetarum & Apoſtolorum ſingulos, mediatores fuiſſe, ſed non eo modo, quo vnus Chriſtus verè Deus, & verè homo humanum genus ſua illa ineffabili vtriuſque naturæ coniunctione Deo reconciliauit, & hanc mediationem, non omnem aliam vni Chriſto ab Apoſtolo vendicari audit? Sed Cyrillo & alterum eiuſdem ſententiæ teſtem adiungamus, vt plures Fabricio, quàm inconſultò petijt, liberaliter demus. Eſt is Gregorius Nazianzenus, qui oratione ſexta ad Gregorium Nyſſenum diſertè *Martyres, diuinitatis*, hoc eſt, Cœleſtis beatitudinis *conſequendæ mediatores eſſe* teſtatur, cùm ait, τῆς θεώσεως οἱ μάρτυρες μεσιτεύουσι. An cum Fabricio Paulum intellexit Gregorius, nullum-

nullumq́; vlla ratione mediatorem præter Chriſtũ agnouit, qui ſanctos Martyres *μεσίτου* ſeu Mediatoris partes facere affirmauit?

Sed Prædicans aduerſùs nos Auguſtinum, quaſi ex iſto Pauli loco nullum etiam qualem qualem Mediatorem præter Chriſtum eſſe poſſe confirmet, producit. *Sufficit*, inquit, *Auguſtini iudicium.* l.2. con. Mediatorem, *ait iſte*, Apoſtolus ſe non facit. Sed ro- Epiſt. Parmen. gat, vt pro ſe inuicem orent omnia membra cor- c.8. poris Chriſti: Nam ſi Mediator eſſet Paulus, vtique eſſent & cæteri Apoſtoli, & ſi multi eſſent Mediatores, Pauli ratio non conſtaret, qui dixit; vnus eſt Mediator Dei & hominum. *Senſus verborum Auguſtini, (teſte omnium iudicio) ille eſt, neminem alium à Chriſto agnoſcendum pro Mediatore, ſiue habita ratione interceſſionis, ſiue redemptionis. Patet, quia præceſſit.* Si quis Epiſcopus ſe Mediatorem inter populum & Deum dicat, quis fidelium feret? *At certum, non poſſe cadere in mentem hominis, vt ſe Mediatorem redemptionis credat: at facilè, vt ſe Mediatorem interceſſionis nuncupet.* Hæc Fabricius, vt Auguſtinum omni mediationi, interceſſionis etiam, quam nos & ſanctis in Cœlo, & Eccleſiæ miniſtris in terra tribuimus, repugnaſſe demonſtret. Sed quàm vanè fallaciterq; Auguſtinum tractet Prædicans, & quantoperè nobis faueat Auguſtinus, oſtendamus. Donatiſtæ, & inter illos Parmenianus docebant, malum Epiſcopum non exaudiri, cùm pro

populo rogat; nam vti Baptiſmum, abſolutionem, ſacrificium mali Sacerdotis: ità eiuſdem publicas preces pro ſalute populi fuſas, inutiles eſſe, irritáſque dictitabant. Plus roboris viriumque ſacerdotis ſanctæ vitæ, quàm Chriſti ſummis meritis, & perpetuę apud Patrem interpellationi tribuebant. Hoc ſcilicet erat, copioſam Chriſti redemptionem, & primi ſummique apud Patrem aduocati officium Chriſto negare, atq; in Miniſtros ſacrilegè transferre. Hoc erat Miniſtros bonæ vitæ merito facere redemptores atq; primarios aduocatos, qui nullo alio Mediatore indigerent, &, vt ait Auguſtinus, *non veraci & pia humilitate cum S. Ioanne*; ſi quis peccauerit,
1. Ioan. 2 aduocatum habemus apud Patrem, Ieſum Chriſtum, & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, *ſed ſuperbè & falſò ſeipſos à peccatoribus quaſi ſegregantes, dicerent*; Aduocatum habetis, ipſe eſt propitiatio pro peccatis veſtris; *quaſi opus illis non eſſet propitiatione, quæ fit per Mediatorem ſedentem à dextris Patris.* Imò inſuper plus ſuæ ſanctitati, quàm Chriſti meritis dantes, ſe intolerabili faſtu in Chriſti locum intruderent, ac fidelibus oggererent; *Si quis peccauerit, Mediatorem me habetis apud Patrem, & ego exoro pro peccatis veſtris.* Tales Mediatores Auguſtinus ait, *Parmenianum quodam loco poſuiſſe inter populum & Deum*, non ſecundarios & mediatos, ſed extra, aut ſupra Chriſtum primarios ac mediatos. Tales Mediatores, qui nullum agnoſcũt aduo-

uocatum, & ab omnibus, ſuo merito à Deo audiendi aduocati, haberi volunt, à bonis Chriſtianis minimè ferendos eſſe aſſerit Auguſtinus; *homines enim omnes Chriſtiani*, inquit, *inuicem ſe commendant orationibus: pro quo autem nullus interpellat, ſed ipſe pro omnibus, hic vnus, veruſq́; Mediator eſt*, qualem nec ſanctiſſimum Paulum ſe feciſſe addit. *Paulus autem Apoſtolus, quanquam ſub capite præcipuum membrum, ſed tamen, quia membrum eſt corporis Chriſti, ſe orationibus fidelium & ipſe commendat: nec Mediatorem ſe facit inter populum & Deum, ſed rogat, vt pro ſe orent inuicem omnia membra corporis Chriſti.* Non igitur verborum Auguſtini ſenſus eſt, quem fingit Fabricius, nullum alium quauis ratione Mediatorem præter Chriſtum, ſed nullum talem eſſe poſſe, qualem Parmenianus poſuit, & qualis vnus Chriſtus eſt, qui pro omnibus, & pro quo nullus interpellat. Aliorum enim nemo eſt, ſiue ſacerdotum in terris, ſiue Sanctorum in cœlis, qui ita pro aliis oret, vt non per Chriſtum oret, & pro quo Chriſtus non oret. Cuiuſmodi quidem Mediatores ſecundarios & mediatos nõ reiicit, ſed admittit Auguſtinus, cùm rectè fideles ſe fidelium orationibus commendare affirmat. Contra Parmenianum ergo & Donatiſtàs, qui Sacerdotes in Sacramentis redemptores, in precibus ſummos & immediatos aduocatos faciebant, non contra Catholicos, qui ſiue Sacerdotes, ſiue Sanctos inferiores Chriſto, & *Serm. de B. Virg.*

ſuper illud, ſignũ magnum &c. vt Bernardus loquitur, *mediatores ad mediatorem* agnoſcunt, pugnare Auguſtinum, ex hactenus dictis contra Fabricij commenta clariſſimum eſt.

Vaniſſima Fabricij de omnium Patrum conſenſu gloriatio contra inuocationem Angeli à Iacob Patriarcha factam ex ipſis Patribus reprimitur. §. *IX.*

ALter locus, cuius interpretationem apud nos nouam eſſe criminatur Prædicans, eſt illud Iacob Patriarchæ filijs Ioſeph nepoti- *Gen. 48. v. 16.* bus ſuis benè precantis pium votum. *Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris iſtis.* Quid de hoc Fabricius? *Hunc locum,* inquit, *de Angelo creato inuocato à Iacob ferunt Pontificij. At omnes Patres vnanimi conſenſu hunc Angelum interpretantur Chriſtum, qui Malach. 3. Angelus noui fœderis appellatur, & Exodi. 14. & 13. v. 21. Iehoua dicitur, qui priùs Angelus fuit vocatus.* Glorioſam audio iactationem de vnanimi omnium Patrum conſenſu: ſed verbis facta non ſuppetunt; nam ex omnibus totos quatuor Athanaſium, Cyrillum, Baſilium, Tertullianum, qui per Angelum illum filiũ Dei intelligunt, producit. De Chryſoſtomo fatetur, *eum ex hoc loco in Sermone de Aſcenſione inferre Angelos vbiq; nobis præſtò eſſe, ſed inconſideratè & leuiter ſolum modò locum hunc ibi attingere.* Hoc de inconſiderantiâ, conuitium eſt Prædicantis, Chryſoſtomum ſuo pede metientis. Sed vbi is conſideratiùs de Chriſto iſtum locum

locum explicat? Reſpondet Fabricius. *Hom. 66. in Gen. exponens ex profeſſo locum hunc, per Angelum ſatis oſtendit ſc. Chriſtum intelligere, ſic enim ait. Angelus, qui me liberauit. Gratæ animæ ac piæ & benè memoris beneficiorum Dei verba. Ille, inquit, qui me à iuuentute educauit, qui ab initio me liberauit ab omnibus malis, qui tantam ergà me declarauit prouidentiam.* Quod hîc verbum, quo ſe Chriſtum intelligere oſtendat Chryſoſtomus? An quia beneficia Dei Iacob grato animo prædicaſſe ait? quaſi verò inter beneficia Dei numerari nequeat Angelorum ad homines tuendos deſignatio; quaſi nulla ſit diuinæ prouidentiæ pars, Angelis ſuis de homine mandare, vt cuſtodiant eum in omnibus vijs ſuis, & *Pſ. 90.*
mittere adminiſtratorios Spiritus in miniſterium propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis. *Heb. 1.*
Vbi ergo, Fabrici, eſt ille omnium Patrum vnanimis conſenſus de Angelo, qui Iacob in Geneſi, & Moſi in Exodo apparuit, quòd is in perſona ipſe filius Dei fuerit? Controuerſia eſt, vtrum Deus in veteri Teſtamento ipſemet externa aliqua ſpecie, an verò per Angelos ſolummodò, tanquam legatos, apparuerit. Neutra pars de fide certa eſt: prior aliquos, poſterior alios grauiſſimos Patres, quibus hodie communiter Theologi conſentiunt, Patronos habet. Et non nemo eſt, qui etiam priores cum poſterioribus ità conciliet, vt illi filium Dei apparuiſſe dixerint ea tantùm ratione, quòd Angelus ab illo

Voſq. 1. p. d. 285. c. 1. & 2. Lorin. in c. 7. Act. in v. 30. Cornel. à Lapide in Genes. 32. & Exod. 3.

Digitized by Google

miſſus eius perſonam repræſentaret, quæ etiam poſteriorum Patrum ſententia fuit. *Rectè dicitur*, inquit Auguſtinus, *Deus dixit, & Deus apparuit, Et itè rectè. Angelus dixit, & Angelus apparuit, cùm illud dicatur ex perſona inhabitantis Dei, hoc ex perſona ſeruientis creaturæ.* Et alibi, vbi ex propoſito ſententiā de Deo non per ſeipſum, ſed per Angelos tantùm apparente defendit. *Cùm verba Iudicis præco præmunciat, non ſcribitur in geſtis, ille præco dixit, ſed, ille Iudex dixit.* Hieronymus etiā in illud Pauli, lex ordinata per Angelos. *Hoc vult intelligi*, ait, *quod in omni veteri teſtamento, vbi Angelus primùm viſus refertur, & poſtea quaſi Deus loquens inducitur: Angelus quidem verè ex miniſtris pluribus quicunq; ſit viſus, ſed in illo mediator loquatur, qui dicat, Ego ſum Deus Abraham &c.* Et Gregorius. *Hinc eſt, quòd Angelus, qui Moſi apparuiſſe deſcribitur modò Angelus, modò Dominus memoratur: Angelus videlicet propter hoc, quòd exteriùs loquendo ſeruiebat; Dominus autem dicitur, quia interiùs præſidens loquendi efficaciam miniſtrabat. Cùm ergo loquens ab interiori regitur, & per obſequium Angelus, & per inſpirationē Dominus nominatur.* Certè ipſos Angelos, perſonā tamē Dei agentes, in veteri Teſtamēto apparuiſſe, ſcripturæ ſatis innuunt; nam & eum, qui cum Iacob luctatus eſt, Oſeas: & qui Moſi apparuit, Stephanus abſolutè Angelū appellauit. Legem per Angelos ordinatā, ad Galatas, & ſermonē per Angelos factū eſſe, ad Hebræos Paulus, & legē Iudæos in diſpoſitione Angelorum accepiſſe, Moſiq; Angelū locu-

lib. contr. Adimant. c. 9. — *l. 3. de Trin. c. 11.* — *In Gal. 3.* — *Præfat. in lib. Moral.* — *Oſe. 12. 3.* — *Act. 7. 30.* — *Gal. 3. 19.* — *Heb. 2. 2.* — *Act. 7. 38. 53.*

Digitized by Google

locutum eſſe, Stephanus in Actis teſtantur. At verò iſti de veris Angelis apertè loquuntur, & nuſquam in ſcripturis ipſe filius Dei Angelus, niſi cum addito, v. g. *magni conſilij, noui fœderis*, aut ſimili nuncupatur. Nec verò tantùm ex ſcripturis & citatis Patribus, vanitas Fabricij de conſenſu omnium Patrum per Angelum, Chriſtum in propria perſona ſe monſtrantem, intelligentium gloriantis luculentè demonſtratur, ſed inſuper ex illis etiã, quorum ipſe teſtimonia in medium adduxit, ità confutari poteſt, vt illos non de filio Dei in propria, ſed in legati Angeli perſonâ viſo locutos eſſe, ꝓbabiliſſimũ fiat. Quid enim aliud Baſilius, quàm repræſentationẽ & figurã quandam Chriſti in carne venturi verbis illis indicare conuincitur? *Patet vbicunque Angelus & Deus idem appellatur, vnigenitum ſignificari, cùm ſe ipſum hominibus manifeſtet*, nimirum in veteri teſtamẽto in figurâ per Angelos, in nouo in veritate per ſemetipſum. Athanaſij verò in illo ipſo ſermone contra Arrianos, vnde Prædicans teſtimoniũ recitauit, quàm clara ſunt hæc verba de Domino per veros Angelos apparente & loquente? *Quòd ſi miſſo aut conſpecto Angelo, is, qui hoc vidit, Dei vocem audierit: quemadmodum in rubo euenit: ſiquidẽ vbi Angelus Dei è rubo conſpectus eſt, & vocauit Dominus Moſen è rubo, his verbis; Ego ſum Deus Patris tui Abrahæ, Iſaac & Iacob, non tamẽ ob id Angelus ille erat Deus corũ, ſed in Angelo loquebatur Deus, & is quidẽ,*

li. 2. contra. Eunom.

Zz 2 qui

In recentioribus legitur, vorhin geſchriben.

gæ primis annis edito, *præſcribendi* quoque vocabulum Germanicè voce, **fürgeſchrieben/** expreſſit.

Sed iam alterum videamus, de quo Theodoſium Prædicans accuſat, quantum piaculum ſit, ex eo Apoſtoli loco colligere ſacras imagines ad doctrinam fidelium multum facere. Ità ergo loquitur in Synodo Theodoſius Amorij Epiſcopus. *Diuinus Apoſtolus ſic docet: Quæcunq; præſcripta ſunt, in noſtram doctrinam ſunt præſcripta. Ipſæ igitur ſacræ imagines & picturæ tum muſaicis operibus, tum colorum materia delineatæ, in noſtram doctrinam, Zelum & typum eriguntur, & pictæ ſunt, vt & nos illis conformes idem certamen apud Deum exhibeamus, quò & nos eo ſtatu, & parte conſtituat, quo illi fuerunt, & cohæredes ſui regni cœleſtis faciat.* Quid in hoc argumento à ſimili eſt vitij? Si ea quæ litteris de rebus Sanctorum benè geſtis mandata ſunt, ad virtutem præclarè nos erudiunt, cur eadem coloribus depicta mentem non doceant, excitentq; ? Cur non liceat à litterarum præſcriptione, ad imaginum præſcriptionem argumentando progredi? cùm & Græca vox προγράφειν & Latina *præſcribere*, hîc quidem ad ſcripturam, alibi tamen etiam ad quandam picturam ſignificandam ab Apoſtolo vſurpetur? Nam Galatis ait, *Chriſtum crucifixum ante oculos illorum eſſe præſcriptum*, in Græco eſt προεγράφη, & Lutherus etiam Germanicè tranſtulit, **Welchen Chriſtus für die Augen gemahlet war.** Si non modò litteris deſcribere, ſed viua quoque

Act. 4.

Galat. 3. 1.

que

que voce Chriſti extremos dolores depingere vtile viſum eſt, eoſdem in imagine pijs oculis ſpectandos præbere inutile fiet? *Quod legentibus ſcriptura*, Magni Gregorij verba ſunt, *hoc idiotis præſtat pictura cernentibus, quia in ipſa etiam ignorantes vident, quod ſequi debeant: in ipſa legunt, qui litteras neſciunt.* Nec his ſolùm, ſed omnibus omninò, ſiue memoriæ, ſiue affectus excitandi optima occaſio eſt, imaginum inſpectio. Nam, vt idem S. Doctor ait, *dum nobis pictura, quaſi ſcriptura ad memoriam filium Dei reducit, animũ noſtrum aut de reſurrectione lætificat, aut de paſſione demulcet.*

l.9. Ep.9 ad ſeuer.

l.9. Ep. 54. ad Seuerum.

Sed iam mittamus ſtolidos Fabricij cachinnos, quibus non ſeptimæ Synodi Patres, ſed ſeipſum pudefecit, omniumq́; riſui objecit. Pudor eſt, Patrum dicta, vt ludus fiant, mutilare, mentem peruertere, ſcopum euertere, in perſonis errare, linguam mutare, nihil deniq; in imaginum cultu ex quibuſdam veteris ſcripturæ (de virga Ioſeph, ſerpente æneo, arca, propitiatorio, cherubinis, ſcabello Domini,) ſententijs aſſerendo, poſſe reprehẽdere, niſi quod vno pluribúſue ſęculis antè Athanaſius, Leontius, Beda, apertè tradiderunt. Leontius ſuprà auditus eſt. Athanaſius ait. *Quemadmodũ Iacob, cùm eſſet è vita diſceſſurus, faſtigium virgæ Ioſeph adorauit, non virgam ipſam honorans, ſed eum, qui virgam tenebat: Ità nos Chriſtiani non alia ratione imagines colimus, niſi quemadmodum etiam, cùm filios noſtros & Patres oſculamur, animi noſtri deſiderium*

Athan. q. & reſp. ad Antioch. c. 38. Leont. l. 5. contra Iud. Beda de temp!o Salom. c. 19.

rium indicamus. Sicut & Iudæus olim legis tabulas, & duo cherubin aurea & ſculptilia quondam adorabat, non lapidis auriué naturam colens, ſed Dominum, qui, ea vt fierent, præceperat. Et Beda. *Si licebat ſerpentem exaltari æneum in ligno, quem aſpicientes filij Iſrael viuerent: Cur non licet exaltationem Domini Saluatoris in Cruce, qua mortem vicit, ad memoriam fidelibus depingendo reduci, vel alia eius miracula & ſanationes, quibus de eodem mortis auctore mirabiliter triumphauit, cùm horum aſpectus ſæpè multum compunctionis ſoleat præſtare contuentibus, & iiſ quoq;, qui litteras ignorant, quaſi viuã Dominicæ hiſtoriæ pandere lectionẽ? Nam pictura Græcè ζωγραφία id eſt, viua ſcriptura vocatur. Si licuit duodecim boues æneos facere, qui mare ſuperpoſitum ferentes, quatuor mundi plagas terni reſpicerent: quid prohibet duodecim Apoſtolos depingere, quomodo* euntes docerent omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & filij, & Spiritus ſancti, *viuâ, vt ità dixerim, præ oculis omnium deſignare ſcripturâ?* Vides, Fabrici, quos in Nicenis Patribus rideas, & quàm pudendum mendacium ſit, horum argumenta è ſcripturis deſumpta, antiquioribus Patribus incognita, & ab ipſa Synodo, tanquam puerilia, exſibilata fuiſſe.

Inſignis inſcitia Fabricij in Patribus: & fraus in Auguſtino, contra mediationem interceſſionis ſanctorum. §. *IIX.*

QVartum atq poſtremum noſtræ à Patrum ſenſu diſcordiæ exemplum Fabricius profert duos ſcripturæ locos, contra omniũ Patrum

trum mentem pro ſanctorum inuocatione à nobis explicatos. Primus eſt ille Pauli. 1. Tim. 2. v. 5. & 6. *Vnus mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus, qui dedit ſemetipſum redemptionem pro omnibus.* Quàm hoc loco ineptè, mutileq; contra Sanctorum inuocationem vſus ſit Philippus, in primo fundamento: & quàm turpiter, additis alijs Pauli & Patrum corruptelis, Philippũ Fabricius excuſarit, in primi fuudamenti defenſione c. 3. in ſeptimo conuitio clarè demonſtraui. Redit hîc Prædicans, & nobis, quòd eo loco non omnem mediationẽ interceſſionis, ſed eam, quæ redemptoris eſt, vni Chriſto Apoſtolũ tribuere aſſeramus, inſultat, nullius Patris hanc eſſe interpretationem, & Auguſtini apertè contrariam eſſe. *Quis Patrum*, inquit Fabricius, *ita expoſuit? Producat Ieſuita aliquem Patrem ita exponentem.* Produco Cyrillum Alexandrinum verba Apoſtoli clarè hoc ſenſu exponentem, nihilque dubito fore, vt Prædicantem ſui poſtulati pœniteat. Ità igitur ille in hæc ipſa Apoſtoli verba alicubi recitata commentatur. *Mediator Dei & hominũ Ieſus Chriſtus eſt, non ſolũ, quia reconciliauit homines Deo, verùm etiam, quia naturaliter & ſubſtantialiter & Deus, & homo in vna hypoſtaſi eſt. Hoc enim modo naturam noſtram ſibi Deus reconciliauit. Nam aliter quomodo vnum mediatorem Chriſtũ Paulus dixiſſet? Multi enim ſanctorum mediationis miniſterio vſi ſunt, & ipſe Paulus clamat: Rogamus pro Chriſto, reconciliamini Deo. Moſes quoq; mediator fuit, miniſtrauit*

Lib. 12. Theſaur. c. 10.

2. Cor. 5.

Exod. 20

Digitized by Google

uit filijs Iſrael legem datam à Deo. Mediator etiam fuit B. Hieremias, *præcipuè quando clamabat ad Deum: recordare mei*
Hierem. 18. *ſtantis coram te ad loquendum pro ipſis bona. Quid multa? ſinguli Prophetarum mediatores fuerunt, Apoſtolorum quoq; ſinguli. Quomodo igitur vnicus mediator Dei & hominum Chriſtus eſt, niſi noua, inauditaq́ in alijs mediatio ſua ſit? Sed modum quoq; perſtringere non alienum eſt. Quod igitur duo quædam ſicut medium coniungit, ab vtroque neceſſariò tangitur: & hoc modo diuerſa per medium coniunguntur. Eſt autem Chriſtus mediator Dei & hominum, quia in eo vno Deus & homo coniunguntur. Non eſt tamen ipſe aliquid tertium præter Deum & hominem, ſed Deus verè, & homo verè.* Quid? hæc Cyrilli verba, Thraſonicum illum exactoris faſtum non deprimant? cùm Moſen, Hieremiam, Paulum, imò Prophetarum & Apoſtolorum ſingulos, mediatores fuiſſe, ſed non eo modo, quo vnus Chriſtus verè Deus, & verè homo humanum genus ſua illa ineffabili vtriuſque naturæ coniunctione Deo reconciliauit, & hanc mediationem, non omnem aliam vni Chriſto ab Apoſtolo vendicari audit? Sed Cyrillo & alterum eiuſdem ſententiæ teſtem adiungamus, vt plures Fabricio, quàm inconſultò petijt, liberaliter demus. Eſt is Gregorius Nazianzenus, qui oratione ſexta ad Gregorium Nyſſenum diſertè *Martyres, diuinitatis*, hoc eſt, Cœleſtis beatitudinis *conſequendæ mediatores eſſe* teſtatur, cùm ait, τῆς θεώσεως οἱ μάρτυρες μεσιτεύουσι. An cum Fabricio Paulum intellexit Gregorius, nullum-

nullumq; vlla ratione mediatorem præter Chriſtũ agnouit, qui ſanctos Martyres μεσίτου ſeu Mediatoris partes facere affirmauit?

Sed Prædicans aduerſùs nos Auguſtinum, quaſi ex iſto Pauli loco nullum etiam qualem qualem Mediatorem præter Chriſtum eſſe poſſe confirmet, producit. *Sufficit*, inquit, *Auguſtini iudicium.* Mediatorem, *ait iſte*, Apoſtolus ſe non facit. Sed rogat, vt pro ſe inuicem orent omnia membra corporis Chriſti: Nam ſi Mediator eſſet Paulus, vtique eſſent & cæteri Apoſtoli, & ſi multi eſſent Mediatores, Pauli ratio non conſtaret, qui dixit; vnus eſt Mediator Dei & hominum. *Senſus verborum Auguſtini, (teſte omnium iudicio) ille eſt, neminem alium à Chriſto agnoſcendum pro Mediatore, ſiue habita ratione interceſſionis, ſiue redemptionis. Patet, quia præceſſit.* Si quis Epiſcopus ſe Mediatorem inter populum & Deum dicat, quis fidelium feret? *At certum, non poſſe cadere in mentem hominis, vt ſe Mediatorem redemptionis credat: at facilè, vt ſe Mediatorem interceſſionis nuncupet.* Hæc Fabricius, vt Auguſtinum omni mediationi, interceſſionis etiam, quam nos & ſanctis in Cœlo, & Eccleſiæ miniſtris in terra tribuimus, repugnâſſe demonſtret. Sed quàm vanè fallaciterq; Auguſtinum tractet Prædicans, & quantoperè nobis faueat Auguſtinus, oſtendamus. Donatiſtæ, & inter illos Parmenianus docebant, malum Epiſcopum non exaudiri, cùm pro

l. 2. con. Epiſt. Parmen. c. 8.

populo rogat; nam vti Baptiſmum, abſolutionem, ſacrificium mali Sacerdotis: ità eiuſdem publicas preces pro ſalute populi fuſas, inutiles eſſe, irritáſque dictitabant. Plus roboris viriumque ſacerdotis ſanctæ vitæ, quàm Chriſti ſummis meritis, & perpetuę apud Patrem interpellationi tribuebant. Hoc ſcilicet erat, copioſam Chriſti redemptionem, & primi ſummique apud Patrem aduocati officium Chriſto negare, atq; in Miniſtros ſacrilegè transferre. Hoc erat Miniſtros bonæ vitæ merito facere redemptores atq; primarios aduocatos, qui nullo alio Mediatore indigerent, &, vt ait Auguſtinus, *non veraci & pia humilitate cum S. Ioanne*; ſi quis peccauerit,
1.Ioan.2 aduocatum habemus apud Patrem, Ieſum Chriſtum, & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, *ſed ſuperbè & falſò ſeipſos à peccatoribus quaſi ſegregantes, dicerent*; Aduocatum habetis, ipſe eſt propitiatio pro peccatis veſtris; *quaſi opus illis non eſſet propitiatione, quæ fit per Mediatorem ſedentem à dextris Patris.* Imò inſuper plus ſuæ ſanctitati, quàm Chriſti meritis dantes, ſe intolerabili faſtu in Chriſti locum intruderent, ac fidelibus oggererent; *Si quis peccauerit, Mediatorem me habetis apud Patrem, & ego exoro pro peccatis veſtris.* Tales Mediatores Auguſtinus ait, *Parmenianum quodam loco poſuiſſe inter populum & Deum*, non ſecundarios & mediatos, ſed extra, aut ſupra Chriſtum primarios ac mediatos. Tales Mediatores, qui nullum agnoſcũt aduo-

uocatum, & ab omnibus, ſuo merito à Deo audiendi aduocati, haberi volunt, à bonis Chriſtianis minimè ferendos eſſe aſſerit Auguſtinus; *homines enim omnes Chriſtiani*, inquit, *inuicem ſe commendant orationibus: pro quo autem nullus interpellat, ſed ipſe pro omnibus, hic vnus, verusq́; Mediator eſt*, qualem nec ſanctiſſimum Paulum ſe feciſſe addit. *Paulus autem Apoſtolus, quanquam ſub capite præcipuum membrum, ſed tamen, quia membrum eſt corporis Chriſti, ſe orationibus fidelium & ipſe commendat: nec Mediatorem ſe facit inter populum & Deum, ſed rogat, vt pro ſe orent inuicem omnia membra corporis Chriſti.* Non igitur verborum Auguſtini ſenſus eſt, quem fingit Fabricius, nullum alium quauis ratione Mediatorem præter Chriſtum, ſed nullum talem eſſe poſſe, qualem Parmenianus poſuit, & qualis vnus Chriſtus eſt, qui pro omnibus, & pro quo nullus interpellat. Aliorum enim nemo eſt, ſiue ſacerdotum in terris, ſiue Sanctorum in cœlis, qui ita pro aliis oret, vt non per Chriſtum oret, & pro quo Chriſtus non oret. Cuiuſmodi quidem Mediatores ſecundarios & mediatos nõ reiicit, ſed admittit Auguſtinus, cùm rectè fideles ſe fidelium orationibus commendare affirmat. Contra Parmenianum ergo & Donatiſtàs, qui Sacerdotes in Sacramentis redemptores, in precibus ſummos & immediatos aduocatos faciebant, non contra Catholicos, qui ſiue Sacerdotes, ſiue Sanctos inferiores Chriſto, & Serm. de B. Virg.

vt

ſuper illud, ſignũ magnum &c. vt Bernardus loquitur, *mediatores ad mediatorem* agnoſcunt, pugnare Auguſtinum, ex hactenus dictis contra Fabricij commenta clariſſimum eſt.

Vaniſſima Fabricij de omnium Patrum conſenſu gloriatio contra inuocationem Angeli à Iacob Patriarcha factam ex ipſis Patribus reprimitur. §. *IX.*

ALter locus, cuius interpretationem apud nos nouam eſſe criminatur Prædicans, eſt illud Iacob Patriarchæ filijs Ioſeph nepoti-
Gen. 48. v. 16. bus ſuis benè precantis pium votum. *Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris iſtis.* Quid de hoc Fabricius? *Hunc locum,* inquit, *de Angelo creato inuocato à Iacob ferunt Pontificij. At omnes Patres vnanimi conſenſu hunc Angelum interpretantur Chriſtum, qui Malach. 3. Angelus noui fœderis appellatur, & Exodi. 14. & 13. v. 21. Iehoua dicitur, qui priùs Angelus fuit vocatus.* Glorioſam audio iactationem de vnanimi omnium Patrum conſenſu: ſed verbis facta non ſuppetunt; nam ex omnibus totos quatuor Athanaſium, Cyrillum, Baſilium, Tertullianum, qui per Angelum illum filiũ Dei intelligunt, producit. De Chryſoſtomo fatetur, *eum ex hoc loco in Sermone de Aſcenſione inferre Angelos vbiq; nobis præſtò eſſe, ſed inconſideratè & leuiter ſolum modò locum hunc ibi attingere.* Hoc de inconſiderantiâ, conuitium eſt Prædicantis, Chryſoſtomum ſuo pede metientis. Sed vbi is conſideratiùs de Chriſto iſtum

locum

Digitized by Google

locum explicat? Reſpondet Fabricius. *Hom. 66. in Gen. exponens ex profeſſo locum hunc, per Angelum ſatis oſtendit ſe Chriſtum intelligere; ſic enim ait. Angelus, qui me liberauit. Gratæ animæ ac piæ & benè memoris beneficiorum Dei verba. Ille, inquit, qui me à iuuentute educauit, qui ab initio me liberauit ab omnibus malis, qui tantam ergà me declarauit prouidentiam.* Quod hîc verbum, quo ſe Chriſtum intelligere oſtendat Chryſoſtomus? An quia beneficia Dei Iacob grato animo prædicaſſe ait? quaſi verò inter beneficia Dei numerari nequeat Angelorum ad homines tuendos deſignatio; quaſi nulla ſit diuinæ prouidentiæ pars, Angelis ſuis de homine mandare, vt cuſtodiant eum in omnibus vijs ſuis, & *Pſ. 90.* mittere adminiſtratorios Spiritus in miniſterium propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis. Vbi *Heb. 1.* ergo, Fabrici, eſt ille omnium Patrum vnanimis conſenſus de Angelo, qui Iacob in Geneſi, & Moſi in Exodo apparuit, quòd is in perſona ipſe filius Dei fuerit? Controuerſia eſt, vtrum Deus in veteri Teſtamento ipſemet externa aliqua ſpecie, an verò per Angelos ſolummodò, tanquam legatos, apparuerit. Neutra pars de fide certa eſt: prior aliquos, poſterior alios grauiſſimos Patres, quibus hodie communiter Theologi conſentiunt, Patronos habet. Et non nemo eſt, qui etiam priores cum poſterioribus ità conciliet, vt illi filium Dei apparuiſſe dixerint ea tantùm ratione, quòd Angelus ab illo

Vaſq. 1. p. d. 285. c. 1. & 2. Lorin. in c. 7. Act. in v. 30. Cornel. à Lapide in Geneſ. 32. & Exod. 3.

 miſſus

locutum eſſe, Stephanus in Actis teſtantur. At verò iſti de veris Angelis apertè loquuntur, & nuſquam in ſcripturis ipſe filius Dei Angelus, niſi cum addito, v. g. *magni conſilij, noui fœderis*, aut ſimili nuncupatur. Nec verò tantùm ex ſcripturis & citatis Patribus, vanitas Fabricij de conſenſu omnium Patrum per Angelum, Chriſtum in propria perſona ſe monſtrantem, intelligentium gloriantis luculentè demonſtratur, ſed inſuper ex illis etiã, quorum ipſe teſtimonia in medium adduxit, ità confutari poteſt, vt illos non de filio Dei in propria, ſed in legati Angeli perſonâ viſo locutos eſſe, ꝓbabiliſſimũ fiat. Quid enim aliud Baſilius, quàm repræſentationẽ & figurã quandam Chriſti in carne venturi verbis illis indicare conuincitur? *Patet vbicunque Angelus & Deus idem appellatur, vnigenitum ſignificari, cùm ſe ipſum hominibus manifeſtet*, nimirum in veteri teſtamẽto in figurâ per Angelos, in nouo in veritate per ſemetipſum. Athanaſij verò in illo ipſo ſermone contra Arrianos, vnde Prædicans teſtimoniũ recitauit, quàm clara ſunt hæc verba de Domino per veros Angelos apparente & loquente? *Quòd ſi miſſo aut conſpecto Angelo, is, qui hoc vidit, Dei vocem audierit: quemadmodum in rubo euenit: ſiquidẽ vbi Angelus Dei è rubo conſpectus eſt, & vocauit Dominus Moſen è rubo, his verbis; Ego ſum Deus Patris tui Abrahæ, Iſaac & Iacob, non tamẽ ob id Angelus ille erat Deus corũ, ſed in Angelo loquebatur Deus, & is quidẽ,* li. 2. contra. Eunom.

tura perſonaque à filio Dei diſtinctum, ſicut per hominem in parabola Iudicis poſt Deum, verum hominem, per Moſen poſt Deum, cui populus credidit, verum Moſen intellexit. Nec verò alioqui Athanaſij argumentum aduerſùs hæreticos, firmũ ſolidumq; eſſet. Ergo cùm aliàs per Angelum, à quo Iacob & in lucta ſibi, & in obitu nepotibus benedictionem petijt, filium Dei, non creatum Angelum denotari ſcripſit, indicauit Angelum, non vt quemuis ex adminiſtratorijs ſpiritibus apparuiſſe, ſed filij Dei vicem, vt legatum, ſingulari modo egiſſe. Quare cùm Arriani ex eo, quòd Iacob cum Deo Angelum, qui creatura eſt, ad Cœleſtem benedictionem nepotibus impetrandam coniunxiſſet, inferrent, etiam Chriſtum cum Patre in ſacris literis frequenter copulatum, creaturam eſſe poſſe: reſpondit rectè Athanaſius, à Iacob Angelum non ob ſuam, ſed ob filij Dei perſonam, cuius peculiari vice fungebatur, cum Deo ad conciliandam diuinam benedictionem coniunctum fuiſſe. Eadem planè mens Cyrilli eſt, cùm per Deum à Iacob Patrem, per Angelum verbum Patris intellectum eſſe, hæreticis eodem argumento de Angelo cum Deo in diuina benedictione danda coniuncto vtentibus reſpondet. Et profectò acutiſſima, veriſſimaque horum Patrum reſponſio eſt, ſi vocabulum, *benedicat*, in vno eiuſdem benedictionis ſignifi-

Serm. 4. cont. Arianos.

l. 3. Theſ. c. 1.

Digitized by Google

cato ad Deum & Angelum referatur; neq; enim creatus Angelus vnà cum Deo eandem benedictionem largiri poteſt. At verò, ſi vox, *benedicat*, diuerſimodè ad Deum & Angelum accommodetur, ità vt per illam petatur à Deo benedictio ſolius Dei propria, & ab Angelo, quæ illius vires, poteſtatemq; illi à Deo conceſſam non ſuperat, (quomodo & vox *credere*, in illa ſententia Exodi, *Credidit populus Deo & Moſi*, aliter ad Deum, qui prima veritas eſt, aliter ad Moſen, ſummæ veritatis nuncium pertinet) abſurdi planè nihil eſt, aliter Deum, aliter Angelum: illum, vt humanæ ſalutis auctorem & effectorem, hunc, vt à Deo datum adminiſtrum & cuſtodem à Iacob fuiſſe inuocatum, cùm Angelo diuinæ potentiæ conſortium hac ratione nequaquam tribuatur. Cæterùm Deum in veteri lege, præſertim Moſi, non in propria perſona, ſed miniſterio Angelorum apparuiſſe, etiam Cyrillus ſæpius apertè tradit lib. 8. Theſauri c. 2. vbi quàm longè Chriſtus Angelos dignitate ſuperet, ex Apoſtoli ad Hebræos Epiſtola prolixè diſſerit. Denique Tertullianus, imò non Tertullianus, ſed alius auctor, (cùm librum de Trinitate Hieronymus Nouatiani, & Pamelius Tertulliani non eſſe manifeſtis argumentis demonſtret) licet Dei Angeliq; nomine eundem Chriſtũ à Iacob inuocatum fuiſſe cenſeat, eoq; loco aduerſus hæreticos Chriſto Dei appel-

Exod. c. 14.

l. 2. aduerſ. Ruffin. Pam. in arg. libri.

appellationẽ inuidentes vtatur, tamen eã interpretationem, qua Angeli nomẽ propriè ſumatur, Deique nomen Angelo impropriè, vti Moſi, Principibus, aliiſq; in ſcriptura, tribuatur, minimè reijcit, ſed ex illa etiam, ſi hæreticis Chriſti diuinitati detrahentibus placeat, ſibi argumentum veriſſimum pro Chriſti diuinitate, ad frangendos aduerſarios ſuppetere indicat. *Ac ſi quis hæreticus*, inquit, *obluctans aduerſus veritatem* (ſcilicet diuinitatis Chriſti) *voluerit in his omnibus exemplis propriè Angelum aut intelligere, aut intelligendum eſſe contenderit, in hoc* (ſenſu ſcilicet) *viribus veritatis frangatur neceſſe eſt.* Hæc quoque verba Fabricius, illis tamen, *aut intelligendum eſſe contenderit*, omiſſis, recitauit, vt videretur interpretatio de Angelo propriè intellecto tanquam falſa, quæ viribus veritatis frangenda eſſet, explodi. Sed audiamus porrò ſequentia, vt pateat non hanc interpretationem damnari, ſed ex illa hæreſin Chriſto Dei nomen denegantiũ confutari. Sequitur ergo. *Nam ſi omnibus cæleſtibus, terrenis & infernis Chriſto ſubditis, etiam ipſi Angeli cum omnibus cæteris, quæcunq; ſubiecta ſunt Chriſto, dicantur Dij, iure & Deus Chriſtus. Et ſi quiuis Angelus ſubditus Chriſto, Deus poteſt dici, & hoc ſi dicitur, & ſine blaſphemia profertur, multò magis vtiq; & hoc ipſi Dei filio Chriſto cõpetere poteſt, vt Deus pronũcietur. Si enim, qui ſubiect⁹ Chriſto angel⁹, Deus promitur, multò magis & cõſtãtiùs Chriſt⁹, cui ſunt omnes angeli ſubiecti, Deus eſſe dicetur. Nec enim naturæ* l. de Trin. c. 15.

congruit

gruit, vt quæ minoribus conceſſa ſunt, maioribus denegentur. Ità ſi Angelus Chriſto minor eſt, Angelus autem Deus dicitur, magis conſequenter Chriſtus Deus eſſe dicitur: qui non vno, ſed omnibus Angelis & maior, & melior inuenitur. Nihil ergo hic auctor, quiſquis ille ſit, Angelorum inuocationi repugnat; vel enim hoc maximè argumento aduerſùs interpretationem de Angelo propriè intelligendo pugnare debuiſſet, ſi Angelorum inuocationem illicitam exiſtimaſſet, quòd ex eo ſenſu conſequens ſit, Sanctiſſimum Patriarcham petita Angeli benedictione peccàſſe. At enim verò non ille hoc abſurdo illam interpretationem oppugnauit, ſed ex ea hæreticorum de Chriſto abſurdam ſententiam feliciter expugnauit. Quid verò Fabricius? Coronidem, & cum illa totam ſecundi fundamenti refutationem vaniſſimam inſeliciter claudit, atq; ex pugna non clarus victor, ſed turpiter victus redit, cui iam honeſtum nihil eſſe poſſit, quàm Angeli, qui fugitiuæ Agar etiam Dei vice
Gen. 16. (quod nonnulla Angeli Agarq; verba indicant)
10.13. apparuit, ſalutare monitum de reditu ad Dominam, & humiliatione ſub manu illius, exemplumque Agar Angelicũ præceptũ audientis ſectari. Sed valdè vereor, ne bonus Cœli nuncius Tubicini huic Caluiniano tanquam ſurdo fabulam canat: iam enim altera hæc iſtius Apoſtatæ fuga eſt de domo Dei, vt proinde, quem poſt primam fugam

cum

Digitized by Google

cum Agar bonus Deus benigniſſimè per bonum Angelum ad Eccleſiam reduxit, iuſtâ Dei vindictâ nunc cum Agar prorſus eiectus, nunquā deinceps redux futurus videatur. *Iniuriam à te patitur*, inquit hæreſi Arianæ de Catholica Eccleſiâ Catholicus Auguſtinus, *domina ab ancilla, multas ei ingeris contumelias; licet hæc doleat, non te magna metuit ſponſa Chriſti, ſancta, Catholica. Cùm enim reſpexerit ille ſponſus, eijcieris tu, vt ancilla cū filijs tuis, quoniam non erunt hæredes filij ancillæ cum filijs liberæ.* Habet, quod metuat hanc ſententiam, de filio liberæ Catholicæ, iteratò Caluinianæ ancillæ factus filius. Gen. 21. 10. Lib. 4. de Symbolo. c. 10.

Facillimè quidem nunc vaniſſimis iſtis Fabricij contra Romanam Eccleſiam calumnijs, ſolidiſſimas de aperto Caluinianæ Synagogæ ab antiquis Patribus diſſenſu demonſtrationes coronidis inſtar reponere poſſemus, ſed quia hoc tum in verborum Euchariſticorum interpretatione iam ſuprà ex parte fecimus; tum verò Becanus noſter in *Titulis Caluiniſtarum* Tit. 1. Euangelici q. 6. & 7. falſas ſcripturæ interpretationes, ineptaſq; ex illa Caluiniſtarum argumentationes, & in opuſculo *de Eccleſia Rom.* Caluini à veteribus diſcordiam in compluribus doctrinæ capitibus, & ex ipſius Caluini diſerta confeſſione, & ex clara Inductione accuratè demonſtrauit; tum deniq; deinceps exempla huiuſcemodi paſſim occurrent, nos hîc quoq;, ne nimia prolixitate moleſtiores ſimus, ſecundi fun-

Digitized by Google

damenti defenſioni finem imponamus. Cæterùm ijs, qui plus ignorantia, quàm pertinacia per auia ſectarum extra Catholicæ Eccleſiæ domum errant, cum bono Angelo precamur, vt ad Eccleſiam, tanquam veram Saram, exemplo Agar *reuertantur, ac ſub manu illius humlientur.*

Finis Defenſionis Secundi Fundamenti.

INDEX

Digitized by Google

INDEX CAPITVM ET PARAGRAPHORVM HVIVS PRIMÆ PARTIS EXCVBIARVM ANGELICARVM.

Generalis hoſtium in omnia Fundamenta irruptio ab Angelicis Excubiis vniuerſe repellitur. pag. 1.

CAPVT. I.

Duodecim generalia Argumenta Meiſneri refelluntur. ibid.
§. 1. *Confutantur prima tria Meiſneri argumenta.* 2.
§. 2. *Quartum, quintum, ſextum Argumentum Meiſneri refutatur.* 10.
§. 3. *Septimi, Octaui & Noni Argumenti confutatio.* 15.
§. 4. *Vltima tria Meiſneri Argumenta refelluntur.* 26.

CAPVT II.

Fabricii Baſſecourt in Præfatione ad lectorem mala fides in Patribus & Theologis Scholaſticis citandis demonſtratur. 40
§. 1. *Epiphanius à Fabricio corruptus.* 41
§. 2. *Hilarius ab eodem deprauatus.* 45.
§. 3. *Bernardus violatus à Fabricio.* 48.
§. 4. *Hieronymus truncatus à Calumiſta.* 51.
§. 5. *Tertullianus vitioſè citatus à Fabricio.* 55.
§. 6. *Caſſandri, Coſteri, Bellarmini, Gelaſii, Gregorii de Valentia, circa myſterium Tranſſubſtantiationis, corruptela à Fabricio facta.* 57.

ANGELVS PRIMVS, DEFENSOR PRIMI FVNDAMENTI, ANGElus Balaam. Num. 22. pag. 67.

CAPVT I.

Inepta Fabricii aduerſus primum Fundamentum indignatio exploditur. 73.
§. 1. *Ineptè ac fraudulenter Hieronymus à Fabricio citatus.* 74.
§. 2. *Auguſtinus imperitè & impiè productus,* 77.
§. 3. *Prædicantis inſania & fraus inſignis in trib. Bernardi teſtimonijs adductis.* 81.

CAPVT II.

Inanis Meiſneri in primo Fundamento labefactando conatus retunditur. 85.
§. 1. *Aliquot Argumenta Meiſneri contra primum Fundamentum, de Sectis ob impoſturas deſerendis, confutantur.* 85.
§. 2. *Impudentes Meiſneri contumeliæ de noſtris impoſturis refelluntur.* 87.

CAPVT III.

Meiſneri & Fabricij in ſeptem conuitijs Philippi Auguſtanæ Confeſſionis architecti excuſandis, ineptiæ & impoſturæ deteguntur. 96
§. 1. *De primo conuitio Philippi & Prædicantium ridicula purgatione: Fabricij etiam in Paulo explicando impoſtura.* 97.
§. 2. *De ſecundo conuitio Philippi: trib. Meiſneri erratis: Fabricij ignorantia & in Vega citando impoſtura.* 104.
§. 3. *De tertio conuitio Philippi à Prædicantibus ſæpe repetito: de vtriuſq; contradictionibus & inſcitijs: Fabricij deniq; craſſa circa Paulum & Trident. Synodum impoſtura.* 114.
§. 4. *De quarto conuitio Philippi: ridiculâ Prædicantium excuſatione, & craſſâ Fabricij inſcitia.* 124.
§. 5. *De quinto conuitio Philippi: Prædicantium diuerticulo, & Fabricij in Patrib ac præſertim in Stapletono corrumpendo impudentia.* 130.
§. 6. *Sextum conuitium Philippi inſignib. Iuris Canonici vterq; Prædicans: Fabricius etiam Bellarmini corruptelis & calumnijs, defendunt.* 134

§. 7.

Digitized by Google

§ 7 *Circa ſeptimum & vltimum Philippi conuitium quadam noua vtriuſque Prædicantis communia conuitia.* 147.

§. 8. *Calumniæ Fabricÿ pudendæ in quinq; Theologos noſtros.* 154.

§. 9. *Paulinum dictum, Vnus Mediator Dei & hominum &c. variè corrumpit Fabricius.* 165.

§. 10 *Indigniſsimè Gregorium Magnum corrumpit, & Hieronymum malè tractat Fabricius.* 168.

§. 11. *Antiqua Eccleſiæ & trib. noſtris Theologis iniurias Fabricius imponit.* 170.

CAPVT IIII.

Graues errores Lutheri, Philippi, Brentÿ, Magdeburgenſium quàm friuolè excuſent Prædicantes. 176.

§. 1. *Fabricÿ in blaſphemo Philippi dicto excuſando impudentia.* 177.

§. 2. *Prædicantes cum Brentio in blaſphemiam de Chriſto conſpirant.* 181.

§. 3. *Ad Buceri & Magdeburgenſium errores miræ Prædicantium ineptiæ: Meiſneri Anabaptiſmus: Fabricii multiplices ſacrarum litterarum corruptelæ & barbaræ calumniæ.* 185.

§. 4. *Miſerè Lutherum de iniquo in S S. Trinitatem animo Prædicantes purgant: Fabricius turpiter quoque ſibi ipſi repugnat.* 202.

§. 5. *Lutherum Meiſnerus frigidè, Fabricius impiè S. Pauli exemplo excuſant.* 206.

§. 6. *Fabricius, vt Lutheri de malitia bonorum operum impium dictum excuſet, ſcripturas corrumpit, & Theologos noſtros calumniatur.* 209.

§. 7. *Fabricius inſcitam Emphaſin fingit, & iterum Paulum calumniatur, vt Lutheri ſolam fidem & malam vitam tueatur.* 216.

§. 8. *Vanum Meiſneri effugium in Luthero excuſando: Fabricii aperta contradictio, & futilis conſequentia.* 222.

§. 9. *Prædicantes Lutheri libidinem malè purgare, ex ipſo Luthero, & Fabricium Auguſtino imponere ex Auguſtino oſtenditur.* 226.

§. 10. *Fabricius ſcripturas neſcit: eaſdem & Ius Canonicum corrumpit, vt ſacrilegum ſuum thorum defendat.* 233.

§. 11. *Lutheri licentia à Meiſnero extenuata, ex Serario caſtigatur.* 241.

Digitized by Google

§. 12. *Lutherus inuitis Patronis de contemptu Virginitatis præ Matrimonio cõuincitur, & ex Auguſtino confutatur.* 243.
§. 13. *Fabricius turpib. corruptelis Ius Pontificum fœdat, vt Miſogamiæ calumniam ei imponat.* 248.
§. 14. *Conuitia in Nicolaum Papam, Diuos cælites, Beſſaum Concionatorem, à Fabricio impudenter in Epilogo iacta, ex SS. præſertim Patribus refelluntur.* 256.

SECVNDVS ANGELVS, DEFENSOR SECVNDI FVNDAmenti, Angelus Agar, Gen. 16. p. 261.

CAPVT. I.

Inſulſa & fraudulenta Prædicantium cenſura de Magiſterio Eccleſiæ excutitur. 264.
§. 1. *Abſurda Meiſneri antilogia.* 265.
§. 2. *Fabricius calumniatur, & quinq; Patres pro ſolis ſcripturis contra Eccleſiam corrumpit & torquet.* 268.
§. 3. *Inſanæ Fabricij nugæ contra Magiſterium Præſidum Eccleſiæ pro ſumma populi libertate.* 281.
§. 4. *Imperita Meiſneri figmenta contra ſcripturam & Patres, de nimia Eccleſiæ ſeueritate in hæreticos.* 286.
§. 5. *Imperitia Fabricij in Oſea contra Eccleſiam Catholicam producto, & Meiſneri in Pontificem calumniæ.* 293.
§. 6. *Prædicantium delira effugia ad Patrum conſenſum declinandum: Fabricij etiam in eundem finem in Patrib. impoſtura.* 301.

CAPVT II.

Fabricij alia quædam impoſtura circa Traditiones, Scripturam, eiuſq; interpretationem perſtringuntur. 308.
§. 1. *Inſcitè & abſurdè ab abſurdo contrà Traditiones argumentatur Fabricius.* 309.
§. 2. *Fabricij in ſex Patrib. contra Traditiones citandis multiplex fraus & corruptela.* 314.

§. 3.

Digitized by Google

§. 3. Fabricius malus Dialecticus me calumniatur: Auguſtinum & Bellarminum corrumpit. 333.
§. 4. Vt claras & faciles ſcripturas eſſe oſtendat Fabricius, indignè ſcripturas, & Bellarminum tractat. 337.
§. 5. Malignæ fraudes & technæ Fabricij, de vero ſenſu ſcripturæ ab Eccleſia diſcendo: craſſa quoq; in nos calumnia. 346.

CAPVT III.

Reſponſa Fabricij ad auctoritates ex Vincentio Lyrinenſi, Tertulliano, Auguſtino allatas examinantur. 353.
§. 1. Fabricius doloſè, falſoq; duo Vincentij loca eludit: vnum S. Matthæi mutilat. 353.
§. 2. Apertiſſima Fabricij in plurib. Tertulliani locis fallacia, & craſſiſsima in Catholicos calumnia. 363.
§. 3. Turpes doli & fuci Fabriciani, circa duo S. Auguſtini loca, & quædam Catholicorum dicta de ſacra ſcriptura. 374.

CAPVT IIII.

Lutherum à Prædicantibus de ſcriptura corruptela malè excuſari oſtenditur. 385.
§. 1. Deprauati à Luthero Dauidici verſus, vana excuſatio Prædicantium: & Fabricij votifragi contrà ſacra vota irritus impetus. 386.
§. 2. Vana & fœda mulieroſorum Prædicantium commenta ſuper ſecundo, & tertio deprauata ſcriptura exemplo. 394.
§. 3. Solam fidem à Luthero perfidè ſacris inſertam, impudentib. ſtrophis, & ineptis ratiunculis Prædicantes defendunt. 406.
§. 4. Inanis excuſatio quinti, ſexti, & ſeptimi exempli ſcripturæ à Luthero violatæ: & quædam vtriuſq; Prædicantis calumnia ac impoſtura 415.
§. 5. Fabricij vana admiratio: falſa, furtiua, & ridicula Argumenta contra librum Tobiæ à Luthero reiectum. 425.
§. 6. Fabricius pro Luthero contra librum Eccleſiaſtici falſis ſcripturæ & Patrum allegationibus, & apertâ antilogiâ pugnat. 431.

§. 7.

§. 7. Furta, calumniæ, Pſeudologia & Antilogia Fabricii contra Machabæorum libros. 437.

CAPVT V.

Coronis Fabriciana de Romanæ Eccleſiæ, in ſacræ ſcripturæ interpretationibus à veteri Eccleſia diſsidio excutitur. 444.

§. 1. Fabricius Iuris Canonici imperitiſſimus, ex eo de verbis Dominicæ cœnæ inſulſiſſimè diſputat, eorumq; abſurdiſſimam interpretationem S S. Patribus affingit. 445.

§. 2. Fabricius pro Cœna Caluiniſtica Iuſtinum & Irenæum doloſè mutilat: Tertullianum perperam producit. 449.

§. 3. Cyprianus, Cyrillus Alex. Hieron. Ambroſ. Auguſt. corruptè ac doloſè à Fabricio producuntur. 457.

§. 4. Fabricius falſo, mutilè, ac doloſè contra præſentiam Chriſti in Euchariſtia, Theodoretum, Macarium, Vigilium citat: imperitiſſimè denique conuitiatur. 469.

§. 5. A Fabricio contra Purgatorium multæ apertæ fraudes & impoſturæ in Auguſtinum & Bellarminum commiſſæ. 480.

§. 6. Calumniatur Bellarminum Fabricius: impudenter Patrum ſuffragium prò purgatorio negat, & craſſius fallacias in Patribus committit. 494.

§. 7. Malè cultum imaginum ex Synodo Francofordienſi impugnat Prædicans: peiùs varios Synodi Nicenæ II. Patres poſt multas mutilas, falſaſq; eorum allegationes, ipſe ridendus irridet. 504

§. 8. Inſignis inſcitia Fabricii in Patribus: & fraus in Auguſtino contra mediationem interceſſionis ſanctorum. 522.

§. 9. Vaniſſima Fabricii de omnium Patrum conſenſu gloriatio contra inuocationem Angeli à Iacob Patriarcha factam ex ipſis Patribus reprimitur. 528.

INDEX

Digitized by Google

INDEX
Mendorum correctorum.

PAg. 12. v. 10. *ſcripturis*, p. 20. v. 8. *nemo*, p. 40. v. vlt. *ſua*, p. 43. v. 23. *vnaquæq;*, v. 24. *aut*, p. 50. v. 16. *rumpitur*, p. 70. v. 5. *ſub*, p. 72. v 22. *clarè*. p. 78. v. 11. *grauitate*, p. 77. v. 16. *euidenter*, p. 81. v. 1. *inquit*. v. 9. *Manichæi*, p. 90. v. 22. *Pſalmi*, v. 24. *loquitur*, p. 101. v. 1. *bono*, p. 143. v. 10. *Apoſtoli*, p. 144. v. 11. *fornicationem*, p. 152. v. 21. *quærant*, p. 156. v. 11. *manifeſtè*, p. 164. v 4. *eſt* p. 194. v. 22. *alterius*. p. 229. v. 13. *poſſis*, p. 278. v. 19. *mundi*, v. 23. *eorumq;*, p. 281. v. 18. *Præſidum*, p. 287. v. 22. *elidens*, p. 364. v. 12 *diffidentia*, p. 377. v. 1. *libris*, p. 386 v. 15. *Pontificios*, p. 465. v. 14. *ſanguis*, v. 21. υἱȣ̃ & ἡμῶν, p. 480. v. 22. *officio*, p. 501. v. 2. *currimus*, p. 508 v. 9. *interpretatione*.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

9-1-1

Google